MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DEUTSCHE AKADEMIE DER NATUR-
FORSCHER (LEOPOLDINA), Halle

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

XXI 6

https://archive.org/details/b30416279



Delamonce invenit

F. A Aveline Sculp.

HISTORIA MORBORUM

QUI ANNIS

MDCXCIX. MDCC. MDCCI. MDCCII.

VRATISLAVIÆ

GRASSATI SUNT,

A COLLEG. ACAD. LEOPOLD. NAT. CUR.
VRATISLAVIENS. IN LUCEM EDITA.

Opus variis Caſibus & Cautelis Practicis, Judiciis item de Remediis, & vera Curandi ratione inſtructum.

ACCEDIT APPENDICIS LOCO

I. TRACTATUS DE EXPERIENTIA,

In quo natura Experientiæ deſcribitur, & quam caute comparanda ea ſit, explicatur.

II. OBSERVATIONES PRACTICÆ
DE HYDROPE PECTORIS,

A CCLL. Acad. Leopold. Nat. Cur. Vratiſl. editæ.

PRÆFATUS EST

ALBERTUS HALLER,
M. Phil. D. M. Anat. Bot. P. P. O. Archiater & Conſ. Aul. Reg. M. Brit. Soc. Reg. Londin. & Upſal. Sod. & Reipubl. Bernenſis Ducentumvir.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

LAUSANNÆ & GENEVÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & Sociorum.

MDCCXLVI.

LECTORI &c.

ALBERTUS HALLER.

QUANDO Morborum Vratiſlavienſium hiſtoriam edendam ſibi ſumſit *Bouſquetus*, me in primis, qua eſt humanitate, ſelegit, cujus Præfationem novæ editioni utilis libri præfigeret. Neque ego detrectare laborem potui, qui Bernenſis civis eſſem ejuſque Reipublicæ adſcriptus Senatui, quæ *Bouſqueti* induſtriam Academiæ ſuæ Lauſannenſi decori & emolumento fore olim ſperavit, eamque ſpem luculentis teſtimoniis demonſtravit, & reſpondentem ſuæ opinioni, atque a decem fere retro annis non ſine publico commodo in optimis Scriptoribus edendis occupatum experta eſt. Sed breves meæ horæ ſunt, debitumque aliis operibus otium ita arctum eſt, ut in hanc Præfationem tempus multum impendere, aut aliquam partem artis noſtræ minutius tradere minime mihi liceat.

Sufficere adeo credidi, ſi aliqua adferrem, ex quibus conſtaret, utilem & egregium librum eſſe, quem *Bouſquetus* ederet.

Auctores habuit Naturæ Curioſos omnes, MAXIMILIANUM PREUSSIUM, MICHAELEM PAULI, GODOFREDUM KLAUNIG, SAMUELEM GRASSIUM, CAROLUM OEHMB, ſed in primis CHRISTIANUM de HELWICH, cujus etiam calamo ſocietas uſa eſt (*a*). Clinici omnes, magnam ſibi in elegantiſſima & opulenta, & ſatis populoſa urbe auctoritatem conciliarunt merendo. VRATISLAVIÆ enim faſti emortuales eumdem fere numerum mortuorum habent, quem Edimburgenſes (*b*).

STAHLIANA quidem principia (*c*) tenuerunt omnes, & plurimum animæ in motubus vitalibus dirigendis tribuerunt. Verum, etſi nondum hoc mentis imperium adgnoſcere poſſim, ob rationes alibi fuſe exhibitas (*d*), minime tamen diſſimulo, nihil aliqua theoretica præjudicia impedire, quin in practicis experimentis utilis, & eximia STAHLIANORUM induſtria eſſe poſſit. Imo vero animus horum virorum alienior ab elegantiis ſermonis, Litterarum, Botanices, Anatomes (*e*), contractis ad anguſtiores limites ingenii viribus, eadem ratione acutius poteſt in practicis vidiſſe, qua vulgo ſolent, qui in unico objecto ſibi placent, in eo excellere. Deinde Stahliani, ab ipſo ſuo PRÆCEPTORE fere ita inſtituti ſunt, ut in morbis non plurimum medico agendum eſſe perſuaſi, naturæ pleraque relinquant (*f*). Sed

(*a*) Præf. ad Morb. ann. 1702.

(*b*) Vratiſlavienſes an. 1700. mortuos ſepelierunt 1394. Edimburgenſes vero an. 1734. habent funera 1149. *Vol. IV. pag.* 29.

(*c*) Hinc hæmorrhagiarum per ætates mutatus locus, 1699. *pag.* 28. corticis condemnatio, 1699. *p.* 31. *ſq.* podagra a plethora deducta, 1699. *p.* 121. &c.

(*d*) Comm. ad Inſtit. BOERH. *n. DCIX.*

(*e*) Nego, quod ex corporis ſtructura & textura, partium corporis organicarum, non ſolum ſpecifice, quatenus mechanicæ ſunt, ſed etiam generice, quatenus textæ ſunt atque ſtructæ, quidquam ſubſit, quod vere ad medicum pertineat, ſeu medico quatenus tali ulla neceſſitate cognitum eſſe debeat, ſeu ad ſcopum medendi, reſtituendi, reparandi &c. utilitatem eximiam adferat &c. STAHL. ad *theor. med. proleg. p.* 69.

(*f*) Vide variolarum curationem 1700. *p.* 146. &c.

Sed eam HIPPOCRATIS in curando rationem fuiſſe fere ſuadent Epidemicorum libri, qui obſervati morbi accuratiſſimam hiſtoriam, medicamenta vero pauciſſima continent. Qui venæ ſectionibus, creberrime repetitis, & mochlicis vomitum moventibus medicamentis acutos morbos curant, ii certe medici ſymptomatum robur, ſeriem, naturam paſſim mutant, & alia pericula evitando inducunt forte aliqua. SYDENHAMUS ipſe, qui obſervandi auctor fuit recentioribus medicis, ſolebat in morbo novo (g) aliquot ægros fere expectatione curare, ut morbi ingenium diſceret nihil turbando. Hujuſmodi fere eſt Vratiſlavienſium noſtrorum medendi ratio, quæ juvare, & leniter monere naturam poſſit, a tramite retrahere nequeat.

Sed utile etiam inſtitutum mihi videtur, quo epidemias morborum ſcribendas ſibi ſumſerunt. Iidem Viri, quos modo laudavi, HIPPOCRATES & SYDENHAMUS, non aliis magis inclaruerunt laboribus, quam epidemiarum hiſtoriis. Morbi equidem in univerſum videntur generis ſui tenaces eſſe, & fere eadem conſtantia characteres intimos conſervare, qua plantæ ſpecierum notas per tot ſæcula retinent. Ruta, Alliumque eadem nobis ſunt, quæ THEOPHRASTO fuerunt: ſed etiam Pleuritis procul dubio, & tertiana nobis eadem eſt, quæ HIPPOCRATI. Verum in hac communi morborum perpetuitate, multum tamen diverſitatis eſſe facile intelligitur, ſi ſanorum hominum in diverſis mundi aut regionibus aut ætatibus diverſas temperies conſideraverimus: & ipſæ denique regiones genium ſuum non parum inflexerunt. Rhenus olim frequentiſſimo gelu coibat, ut Galli limitaneum flumen etiam hoſtiis exorarent, ne patiens dorſum præberet tranſituris in mitiores terras ferocibus Germaniæ populis. Omnis aberat a Germania vitium lætitia, & Alces denique, ultimi nunc fere Septemtrionis incolæ, ſaltus tunc incolebant Rheno finitimos. Excifis inde vaſtiſſimis ſylvis promotus eſt nivium

† 3 deflu-

(g) Obſervat. S. V. ad fin.

defluxus, diminuta vaporum ex terra halantium copia, & ipſum cœlum ita ſiccatum, atque mitigatum, ut non copioſæ ſolum vites, ſed generoſæ ſint apud Germanos, omniumque frugum ſe ea regio patientem præbeat. Quidni vero morbi genium deflectant, ſi ipſe denique aer, & cœlum, & anni tempeſtates mutantur?

Non obſcurum eſt, quo ſermo meus ſpectet. Si morborum minutior hiſtoria mutabilis eſt, ſi venerea lues nobis alia eſt, quam CARPI temporibus, ſi nova Ægypto incumbit peſtilentia, ſi ſcorbutus nuper malis acceſſit mortalium, ſi denique, quod ubique inculcat SYDENHAMUS, eædem febres ſubinde aliam & aliam medendi poſtulant methodum, tunc certe non aliud utilius conſilium eſt, quam epidemias, morborum nempe vitas quaſi ſcribere, & initia & adoleſcentiam, & declinationem, & variam in variis annis indolem, aliamque, & ad medicationes aut obſequium aut pertinaciam, & cum cœli ſtatu conjunctionem & ſympathiam fideli, & naturæ imitatrice manu notare.

Unum, quod addam habeo. Epidemiarum ſcriptores, id fere clinicis præſtant medicis, quod illi botanicis tribuunt, qui *floras*, ut LINNÆUS loqui amat, urbium & regionum ſcribunt. Sunt certæ & plantæ, & morbi, patriæ ſuæ tenaces. Ab omni tempore cœcitas Ægypto, ab ævo Galeni ſemitertiana Romanis gravis & moleſta fuit. Quando adeo periti medici, ex multorum ægrorum frequentatione, ſtatum morborum urbis ſuæ ſcripſerunt, multa ipſis poſteri debent, qui morbos patrios in ſcriptis eorum fere æque facile diſcunt & adgnoſcunt, uti ex RUPPII flora, ſenenſis ſoli plantas diſtinguimus.

Hæc fere, ut vocant, generalia ſunt. Sed peculiaria merita ſcriptorum noſtrorum liceat demonſtrare. In compendia medica morbi, & ab iis in primis ætatis ſcriptoribus, pauci recipiuntur, iique fere ſimplices. Qui prioris ævi ſyſtematicos praxeos auctores legerunt, non poſſunt non ſenſiſſe, quam paucæ febres, quamque ſimplices, ibi recenſeantur. Quotus auctor eſt, coætaneus VRATISLAVIENSIBUS

BUS noſtris, qui petechialis febris (*a*), febris purpuratæ, rubræ illius (*b*) mitioris, & albæ, & hæmorrhoidum (*c*), & hecticæ (*d*) ex internis viſcerum malis multipluis, hæmorrhoidum veſicæ (*e*) & oris, & febrium intermittentium mali moris (*f*) & in primis hydropis pectoris (*g*) fidas, & minutas hiſtorias, per ſua ſigna, ſuos eventus, ſuaſque curationes deſcripſerunt?

Sed non vulgares morborum aliorum varietates in hoc opere reperio, ut botanice loquar, & eventus (*h*), aut ex recuperata valetudine manifeſtos, aut ex cadaverum diſſectorum (*i*) mala conditione excuſabiles, & ſymptomatum pericula.

Effectus deinde felices ſimplicium medicamentorum, experimento firmatos (*k*), aut viciſſim nimias laudes, ab ipſa re confutatas (*l*), paſſim fidi recenſuerunt URATISLAVIENSES.

Morbi denique rariores & obſervationes (*m*), ut vulgo vocant, magno numero intercurrunt.

Differ-

(*a*) 1699. init.

(*b*) 1700. p. 163. ſeq.

(*c*) 1700. p. 170.

(*d*) 1700. p. 188. ſeqq.

(*e*) 1701. p. 240. AURELIANO quidem tactas.

(*f*) 1702. p. 342. ſeq.

(*g*) In propria ad finem diſſertatione.

(*h*) Venæ ſectio in petechiis funeſta, 1699. *init.* Hæmorrhagiæ funeſtæ in petechiis 1699. *p.* 6. &c. Caſtrationis funeſtus eventus in hernioſis, 1702. *p.* 327. In fluore albo, ab adhibito balneo aluminoſo ulcus uteri, 1700. *p.* 169. &c.

(*i*) In atrophico hepar friabile ſiccumque, 1700. *p.* 189. In alio apoſito, abſceſſus peramplus ventriculi, *p.* 191. Scirrhus ovarii cum tuba, à frigore partium admiſſo, 1701. *p.* 222. Poſt diuturnum puris mictum & atrophiam ren ſiniſter conſumtus, ut ſola tunica ſupereſſet cum veſicæ calculo, 1702. *p.* 364.

(*k*) Spiritus vitrioli utilis in vermibus, 1699. *p.* 31. Cantharides in Ophthalmia ad aurem admotæ noxiæ, in pede vero ſalutares, 1699. *p.* 61. & 62. Vires radicis Oreoſelini apii folio majoris T. ad podagram, 1702. *p.* 307. (hæ quidem ex alio). Parietariæ efficacia in iſchuria, quando in cataplaſma tuſa adplicatur, 1702. *p.* 352.

(*l*) Radix aſari in quartana noxio effectu adhibita, 1699. *p.* 94. Nephriticorum aut lithonthripticorum immerito laudatorum inertia, 1699. *p.* 119. & 137. Alcis vis antepileptica vana, 1701. *p.* 235. Ex auro fulminante morbus cœliacus, 1702. *p.* 331.

(*m*) Hæmorrhagia penis ab hæmoptyſi repercuſſa, & à veſicatorio capiti impoſito, 1699. *p.* 58. Prolapſus enormis inteſtini recti, cujus interior membrana ſphacelata deceſſit, ſanatus, 1699. *p.* 104. Aneuriſma per quinquaginta annos inpune geſtatum, 1700. *p.* 165. Diabetes verus lacteus

 1700.

Diſſertationes duæ, quas ſubjecimus eoſdem Auctores habent. Prior, de Experientia, varias irritas medicorum promiſſiones, falſas expectationes experimentorum (*n*), fictaque rerum miracula elevat, & ſummam in experiundo difficultatem demonſtrat. Altera plenam diriſſimi morbi hiſtoriam, diagnoſin ab adfini aſthmate, & ſignorum eventuumque deſcriptionem.

Dedi in *Georgia Auguſta* d. 26. Maii 1746.

1700. *p.* 201. Fiſtula à dente evulſo & læſa glandula Whartoni, 1700. *p.* 202. & 203. Sapor Zibethicus à veſicatorio, 1699. *p.*61. Scorbuti vis contagioſa, 1701. *p.* 213. Paralyſis faucium & œſophagi, 1702. *p.*325. Impotentia in viris ſaniſſimis, 1702. *p.*347. Puſtulæ venereæ variolarum ſimillimæ, 1702. *p.* 374. Febris quintana, *ibid. p.* 374. Septimana, *ibid.* Octana, *p.* 375. Hydrops uteri, *p.* 377. Infans pene & ano deſtitutus, ex duobus tumoribus ſupra pubem fœces & urinam reddens, maxime in reſpiratione. In cadavere veſica nulla: fœces ex colo rupto, & ex ureteribus in ea foramina patentibus, 1702. *ſub fin.*

(*n*) Et ipſius BOILEI *p.* 415. 426.

PRÆFA-

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

*CEleberrimorum Virorum exemplo * inducti, morborum qui anno* 1699. *graſſati apud nos ſunt, hiſtoriam condere aggreſſi ſumus, eaque nos ſuſtentat ſpes, fore, ut inſtitutum noſtrum à Viris æquis, & in Medicinâ faciendâ exercitatis, non improbetur. Ii enim ſoli optimè norunt, quantum commodi, cùm incidit mali genus aliquod ignotum, ex diverſarum conſtitutionum morboſarum comparatione, in artem redundet; Minime vero angemur, ſi inclementiùs de laboribus noſtris nugivendulos agyrtas & jactabundos panacæarum venditores intellexerimus judicare; longe enim imperita horum hominum cenſura infra iram noſtram eſt. Non nobis plaudimus, nec aliorum aucupamur plauſus, non trivialem tamen ſonticorum quorundam affectuum notitiam ſed experientiæ conformem ex noſtra praxi hauſtam, monitis fortè non inutilibus, circa curam & eventum morborum illuſtratam* Lectori *dare allaboravimus. Oleum lucernamque pagellæ hæ non redolent,*

† † 2 *ſed*

* Conf. Caſtigation. Græbner. *p.* 5. 6. 7.

ſed inter praxeos tædia nobis nata, eo minimùm nomine placebunt, quòd nullius Medici nomen famamque lacerent, ſed intra debitos modeſtiæ cancellos ſeſe contineant. Dùm autem noſtra Obſervatorum nomina legis, cave, nos ambitioſam in his ſchedulis ſcientiæ tabulam ſuſpendere voluiſſe credas, ſed eo id fine factum eſſe interpreteris, ne hiſtoriæ laboraret & periclitaretur fides. Si lucubratiunculæ hæ non ſordent, penſum cœptum pertexemus. Tu autem, quisquis es, Lector, cum nobis benè precaberis Inclyto Senatui Populoque Vratiſlavienſi, DEUM *obteſtatus, ut ars, quæ Salutis hominum curam agit, † Civium Sanitatem, ſuaviſſimum illud ac pretioſiſſimum vitæ condimentum, quo nil Divitiæ poſſunt regales addere majus, præſentem caſte ſervet, dubiam ac periclitantem muniat, amiſſamque ſolerter reſtituat.*

† Conf. Caſtigat. Græbn. *p.* 7. 8.



I. N. J.

ANNI nonageſimi noni Januarium (*a*) præterlapſi proximè ſeculi horridum Vratislavienſibus reddidere Nebulæ & Venti variis viciſſitudinibus, potiſſimum incurrente pluviâ, ſubinde tamen & frigore, quamvis remiſſiori, graves. Initium quoque imò majorem ferè partem Februarii ſub eâdem cœli inconſtantiâ tranſegimus, niſi quòd alterna frigoris vis majori impetu corpora noſtra concuteret, & aër circa plenilunium ſerenus languentes animos excitaret. Eandem cœli inclementiam ineunte menſe Martio experti ſumus; non rarò tamen effundebantur ad plenilunium uſque, quæ illicò tabeſcebant nives, & terra pruinis horrebat. Mollior aër vergente ad finem Menſe, ac ſudum, tellurem fovebat. (*b*) Primus ergò hic anni quadrans, ut apparet, toto ferè decurſu exceſſit in humidâ conſtitutione, uti ex accuratiſſimis tàm Barometricis, quam Thermometricis obſervationibus annotavimus. Morbi, qui in hanc tempeſtatem inciderunt, varii erant, cùmprimis ſub Januarii principium dolores ſpaſmodici ſanguineo-cholericos & melancholico-phlegmaticos affligebant; Frequens erat arthritis, prædominabatur tamen pleuritis notha. Hujus initium utplurimùm erat horror levis, ut ambigeres, podagrane in aſſuetis, an alius morbus ſucceſſurus eſſet. Occupabat deinde dolor vel ſcapulas, vel quandam pectoris regionem, ſæpè & claviculas, qui ex compreſ-

Conſtitutio aëris per tres menſes.

Graſſabantur morbi ſpaſmodici imprimis pleuritis notha.

(*a*) Conf. *Caſtigat noſtræ Græbner.* p. 8. 9. (*b*) *Ibid.* p. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

compreſſione externâ ingraveſcebat; Cum moleſtia ægri in partem ſanam decumbebant; Pulſus mollis, qualis ſuevit eſſe inflammatis partibus carnoſis, nec, ut in pleuritide verâ fit, arteriam duram, & quodammodo tenſam indicabat; Urina ruffa ſedimentum Tartareum ruffum objiciebat oculis. Senſus punctorii doloris in hoc affectu, ut perſæpè notavit D. Helwich, non cum pulſu, ſed cum reſpiratione coincidit. Æſtus in illo morbi genere multò mitior, quàm in verâ lateris inflammatione. Corripiebantur malo illo potiſſimùm homines iracundiæ obnoxii, & diætæ aromaticæ & vinoſæ dediti, intempeſtivo frigidi & humidi aëris occurſu admiſſo. In hoc D. D. Pauli & Helwichii obſervationes conveniunt, exiguum fuiſſe, quod uſu diaphoreticorum in hoc dolore obtineri potuerit, & hic quidem, cum D. Graſſio lætiorem ſubinde & jucundiorem eventum ex adhibitis temperatioribus diureticis conſecutum fuiſſe meminit. Multos etiam eo tempore ſcimus queſtos de dolore lumbos infeſtante, quem & Medici non ſatis exercitati, & vulgus ſine accuratiore examine, cùm ureteres per illa loca ferantur, promiſcuè nephriticum eſſe autumant. Quoniam verò in regione lumborum, quæ quinque vertebras in longitudine complectitur, poſt integumenta communia reperiuntur muſculi, vertebræ cum ſuâ medullâ, nervi ab eâ exorti, præterea etiam pars meſenterii, vena cava & ſocia arteria, inteſtina item, quâ parte lumbos attingunt, vaſa ſpermatica, renes, ureteres, ac in fœmineo ſexu uterus *&c.* in propatulo eſt, quàm facilè medentibus & ægris, niſi ad omnia attendant, error obrepere poſſit. Torquebatur eodem tempore quiſquam dolore colico, ad iſtum vocatus D. Helwich, cùm jam per horas aliquot cùm eo malo eſſet conflictatus, ægerrimè eidem perſuadere potuit, non eſſe nephriticum, in quâ opinione æger erat, ſed colicum, qui intra breve tempus etiam facilè convenientibus remediis ſublatus fuit. Et ſanè rerum uſus nobis aperuit, parum eſſe in dignoſcendâ nephritide fidendum ſignis diagnoſticis, vulgò notis, qualia ſunt, ſtupor coxæ ejuſdem lateris, dolor fixus in parte, & ſæpè etiam ad teſticulum excurrens, difficilis urinæ excretio *&c.* cùm hæc ſymptomata non rarò etiam cum aliis morbis conjungantur. Nec minus incerta ſunt, quæ ab urinarum inſpectione mutuamur, cujuſcunque generis illa ſit, ſive tenuis, ſive craſſa, ſive rubra, ſive adſint arenulæ, ſive deſint, niſi ſimul ſanguis excernatur. Nos, etiamſi memorata ſigna non inſuper habeamus, nihilominus & ad vomitus, & ad vires ipſas reſpiciendum eſſe, multoties experti ſumus. Nam licet & vomitus & proſtratio virium dolori colico & nephritico communes ſint, docet tamen experientia affatim, vomitum quidem in colico dolore, non niſi pleno ſtomacho, & in principio morbi adeſſe, in dolore vero calculi & in initio & procedente affectu, quoties dolor repetit urgere, vires item longè magis atteri per tormina colica, quæ miſeros lecto affigunt, quàm per cruciatus nephriticos, in quibus non rarò obambulant, imò ſæpè violentè nimis corpus commovent. Motus quoque ſanguinis hæmorrhoidales circa lumbos dolore tenſivo ſe exerentes, non paucis imponunt, & cum nephriticis inſultibus confunduntur. Nonnulli tùm quoque diarrhæâ afflicti auxilium D. Graſ-

Dolor lumborum.

D. Graſſii implorarunt, & ab eo, methodo continuis demulcentibus debitâ, ſine ope adſtringentium propriè ſic dictorum curati fuerunt.

Arthriticorum numerus cum ingreſſu hujus anni inſigniter auctus fuit (*c*). Arthritis. Non pauci enim Vini Hungarici (cùm Hungariæ ſolum totum ferè calce vivâ ſubſtratum ſit, illa verò calx viva non tantùm corrumpit aquas, ut puteales fermè omnes ſint inſalubres; ſed & hoc incommodi affert, ut vina etiam calculum generent, & Podagricis infeſta ſint, ac arthriticos dolores arceſſant, quâ de re legendus Jac. Tollius *epiſtol. Itiner.* 5. *p.* 144.) amatores habitûs corporis turgidioris ſanguinei, qui ineunte ætate variis hæmorrhagiis obnoxii, aut artificialibus ſanguinis depletionibus aſſueti fuerant, ceſſantibus ſpontaneis illis, aut omiſſis chirurgicis evacuationibus laticis hujus, arthritici facti ſunt, ac didicerunt, tenſivos illos inter ſcapulas circa nucham ac dorſi ſpinam, lumbos, os ſacrum, coxas, de quibus non rarò ejuſmodi homines conquerentes audire licet, dolores arthriticis præluſiſſe. Duæ fœminæ, quarum utraque 40 annum ſuperaverat, in arthritidem eâ tempeſtate incidebant, poſtquam menſes, qui per multos annos creberrimè negotium iis fecerant, plenè ſubſtitiſſent, & eryſipelas, quod ordinariò eas hactenus infeſtaverat, emanſiſſet. In curâ quorundam arthriticorum poſt adhibitum externe ſpiritum formicar. lumbr. ✱c. *&c.* dolorem oſteocopum notavit D. Helwich, qui tamen anceps adhuc hæret, an in uſum horum volatilium cauſa iſtius doloris rejicienda ſit.

Sub finem menſis in ſcenam prodibat febris petechialis, quæ non æquè Febris Petechialis. in infantes, pueros, & ſenes, ſed in fœminas & frequentius in mares ſanguineos & ſanguineo-phlegmaticos ſæviit, ac præprimis iis gravis ac infeſta incubuit, qui vino, ſpiritu vini ſe obruerant, ac corpus cacochymicum pravâ victûs ratione contraxerant. Typus & mos febris iſtius ſequens fuit: Incipiebat cum quâdam gravedine, tuſſi, imò & faucium inflammatione & tumore, obſervante D. Graſſio, horrore leviori corpus concutiebatur, hoc ceſſante reliquo febris decurſu toto rarò alius ſe obtulit, quamvis ex admiſſione auræ frigidæ ac commotione corporis aut lecti, ſtatim de ſenſu frigoris conquererentur. Aderat præceps & ſubita virium proſtratio, artubus quaſi laſſitudine fractis aut contuſis. Pulſus arteriarum exilior & imbecillior, frequens tamen & inæqualis erat. Calor, qui horrorem ſequebatur, in ſanguineis intenſior, in ſanguineo-phlegmaticis mitior cernebatur. Occupabat iſte totum corpus, maximè verò caput, unde in floridioris habitûs corporibus, cephalalgia acutior, rubor faciei, oculi ſcintillantes, (D. Preuſſius puerperam, quæ fœtum mortuum ediderat, & in hanc febrim lochiis non ritè fluentibus inciderat, curavit, huic tempore exacerbationis lux vagabunda oculis obſervari videbatur,) vigiliæ, deliria furioſa, jactatio corporis, ſitis, *&c.* reperiuntur; quamvis etiam in iiſdem præter anxietatem præcordialem graviorem, ſpiritum difficiliorem & quaſi ſuſpirioſum, ac vehementiorem dorſi dolorem, ſubinde animadverſæ inflammationes faucium, œſophagi, imò & ventriculi.

(*c*) Conf. *Caſtigation. noſtræ Græbnerian.* p. 14.

Neque abeſſe inflammationem meningum cerebri, confirmat affinitas ſymptomatum, quæ in hac febre & morbo Hungarico, quem in principio ex genere paraphrenitidum & invaleſcente malo in phrenitidem mutari extra controverſiam eſt. In ſanguineo-phlegmaticis, quorum ſanguis ſero viſcido abundat, calor multò mitior apparebat, qui & olim, ut ex Foreſto, Fracaſtorio, Spindlero conſtat, hodieque adhuc non paucis imponit ægris & Medicis, à quo fallaci calore forte febris illa maligna vocari meruit, ſumptâ metaphorâ ab hominibus malignis, qui aliud fronte promittunt, aliud in intimiori cordis receſſu premunt, quibus utique ſimiles ſunt hæ febres, quæ calore hoc parum periculi minantur, deinde & ægrum in maximum diſcrimen, & non raro in mortem ipſam præcipitant. Calori reſpondebat ſitis ſatis tolerabilis, & quies corporis ſine manifeſtâ jectigatione, ſed debilitas gravis, ac continua in ſomnum propenſio, ac non conſueta antea taciturnitas vim morbi evidenter prodebant, anguemque in herbâ latere indicabant. Et his quoque cardialgia, quam ſub nomine doloris cordis vulgus deſcribit, ejuſque ſedem ægri ſe digito oſtendere credunt, dum ſcrobiculum cordis tanquam locum affectum monſtrant, moleſta utplurimùm fuit. Lingua modò lento, ac glutinoſo ſucco obducta ſquallebat, modò fiſſuris aſperis & ſcabris dehiſcebat, aut retorrido calore cum vicinis faucibus arebat. Conf. Williſ. *de febr. c.* 10. *p.* 121. 122. & Ephem. noſtr. *Decur.* 3. *Anni* 4*ti*. *append. p.* 73. *&* 74. Aphthæ quoque interiora oris non raro obſidebant. In hominibus Melancholici temperamenti, quorum tamen non nimis multi hâc infirmitate detenti ſunt, ſtatim ab aſſumpto alimento vel medicamento flatus & hypochondriorum murmura notavimus. D. Preuſſius curæ ſuæ commiſſas habuit mulieres, quæ tempore exacerbationis ſummâ correptæ melancholiâ, amariſſimis lachrymis de anxietate præcordiorum queſtæ. Inter illas aliqua debilitate capitis artuumque modò dextri modò ſiniſtri lateris apoplectico-paralytica detinebatur aliàs autem paralyſin linguæ tempore paroxiſmi patiebatur. Cholerici hoc peculiare habebant, quòd & loquacitate ſuâ aliorum aures obtunderent, & calore acriori tangentis manum urerent. Omnes cujuſcunque complexionis, graviter nauſea cibi & appetitûs dejectio infeſtabant. Senſim deinde æſtus invaleſcebat, ut luculentus calor in partibus externis deprehenderetur. Exerebant ſe etiam dolores varii, modo pungentes, modò mordicantes. Circa quartum, ſeptimum, imò etiam undecimum diem, in pectore, dorſo, brachiis, lumbis & cruribus, maculæ rubentes puncturis pulicum ſimiles erumpebant, aliquando etiam majores, lenticularum magnitudinem æquantes, ut videas non malè quondam à vulgo lenticulas teſte Fracaſtor. *lib.* 2. *cap.* 6. *de contagioſ. morb.* vocatas eſſe.

Nullum verò levamen ægri ex iſta eruptione ſenſerunt, adeoque certum, exanthemata hæc ſymptomaticè in cute efflореſcere. In numero meliorum maculæ rubræ, unde Febris hæc Gallis *purpurata* dicitur, deteriores verò citrinæ, lividæ, violaceæ, imprimis ſi hæmorrhagia gingivarum circa dentes inciſorios ſuperioris maxillæ enormior ex obſervatione D.Graſſii (& D.Preuſſii,

qui

qui ſimile exemplum funeſtum Hæmorrhagiæ effuſiſſimæ Gingivarum circa eoſdem dentes obſervavit apud mulierem quandam Icteritiam in febre petechiali cum maculis nigris & violaceis Ictero ſuperveniente) juncta fuerit; ſed peſſimæ omnium nigræ erant, præprimis aliquanto majores. Meminimus etiam vidiſſe unam magnam & latam maculam, ſimilem ferè illi, quam deſcripſit Platerus *tom. 2. p.* 19. Urina non uno modo comparata erat. Nonnullis tenuis & aquoſa, carens ſedimento, ab aliis intensè rubra in principio reddebatur; ſedimentum ab initio morbi rarò lætum prænunciabat exitum, circa diem verò nonum, decimum quartum & vigeſimum fauſta omnia ſperare jubebat. Nec vanus fuit Fracaſtorius, dùm ſcribit, primùm mingi urinas albidas, nam & nos tales hîc vidimus. Suſpectæ quidem nobis urinæ ſtatim poſt emiſſionem turbidæ & fœtidæ, erant tamen, quibus nullum malum portenderent, licet etiam de neſcio quâ capitis inflatione ægri ſimul quererentur. (*d*) Iis, qui ſe in petechialibus, urinas ſanorum ſimiles obſervaſſe ſcribunt, fidem quidem minimè detrahendam arbitramur, in noſtrâ verò epidemicâ hâc febre, nobis ejus generis, non oblatæ fuerunt ab ægris, niſi quòd D. Pauli occurrerit diſſimile exemplum in aliquo, cui invito fæces elaberentur, & tandem ſudores cum emphoriâ ſequerentur. Alvus aliquibus aſtricta erat & hi utplurimùm intenſiore calore exæſtuabant, & præcordialibus anxietatibus obnoxii, dolore capitis immani infeſtabantur, nonnullis verò contra in fluxum concitata erat, ac excrementa copioſa ac fœtida varii coloris rejiciebantur, & in his ſymptomata mitiora erant per totum morbi curſum. (*e*) Salutaris admodum fluxus ille poſt diem ſeptimum obſervatus & accedente ſudore ſolutionem morbi promittebat. Et teſtari utique poſſumus, quòd ſiccitatem alvi noſtra hæc febris peſſimè tulerit. Vermes in hâc febri per alvum cum ſedibus aliquoties rejecti. Pejus cum iis agebatur, quos Vomitus partim humorum variorum, partim quorumvis aſſumptorum, aut etiam inanes cum nauſeâ & cardialgiâ affligebant. Peſſimum omen præbebant & funeſtum exitum portendebant, præprimis ſi & ſingultus iis ſe comitem adjungeret; fuêre tamen, qui & ex his fluctibus, citra naufragium, ſub noſtrâ directione, & divinâ benedictione ad portum perducti, ſed utique rariores, & quantum recordamur, nemo illorum qui ex terrore inciderat in febrim. Hi enim, qui poſt terrorem hâc epidemicâ correpti, ſingultiebant, naturæ debitum, quicquid etiam conaremur, perſolverunt. Paſſio iliaca huic febri in quâdam muliere ſuperveniens vitæ filum, teſte D. Preuſſio, eidem abrupit. (*f*) Sudores effuſi primis ſtatim morbi temporibus, non tantùm ſine levamine fluebant, ſed ab iis etiam ægri pejus ſe habebant; ii, qui poſt quartum morbi diem circa ſeptimum, undecimum *&c.* erumpebant, felicioris eventus indices erant; Udor verò, quo per totum morbum, nonnullorum corpora madebant, optatiſſimus futuræ ſanitatis prænuncius. De ſudore cadaveroſo, quem Helmon-

(*d*) Conf. *Caſtigat. noſtræ Græbner.* p. 15. (*e*) *Ibid.* p. 18. (*f*) *Ibid.* p. 21.

Helmontius notavit, ſi eo nomine intelligat ſimilem illi odori, qui à partibus gangrenâ affectis exhalans, nares ferit, omninò teſtari poſſumus, eum aliquando nos percepiſſe, & certam inde ægri mortem circumſtantibus prædixiſſe. Facilè hinc credimus, quod tempore Petri Salii ex tali odore etiam ii, quibus Sacra Medicinæ nunquam patuerunt, & febres malignas cognoverunt, ac in fauſtum morbi exitum augurati fuerunt. (*g*) Mirati ſæpius ſumus cum Celeberr. Rivino, quando ſudorem frigidum, unguesque lividos reperimus in iis, quos æſtus internus penè exurebat, ſed peſſimum ſemper deprehendimus hanc leipyriam, imprimis, ubi rigor totum corpus pervadebat. Hæmorrhagias quod attinet, eas non ſemel obſervavimus, ut & in ſequiori ſexu, fluxum menſium, qui tamen non ſemper augurium mortis præbuit, ſicut id ſuo factum eſſe tempore narrat Hœchſtetterus. (*h*) Hæ excretiones ſanguinis gravitatem morbi, imò & periculum mortis minatæ ſunt, evasêre nihilominus, ut ſcimus, non pauci. (*i*) In conjuge Clariſſimi quondam Collegæ Noſtri Dn. D. Schultzii à DD. *Jäniſch* & *Oehmb* Phyſicis & Collegis noſtris, ſuperiori anno in epidemicâ hâc febre copioſiſſima ſanguinis per inteſtinum rectum rejectio notata fuit, malis ægræ rebus, quippe quæ nullis remediis è faucibus mortis eripi potuit. Præ reliquis autem levi ex cauſa proni erant ad hæmorrhagias, qui ſcorbuticâ ſanguinis diſcraſiâ laborabant, in quibus etiam mira ſymptomatum ἀταξία plus ſimplici vice obſervata fuit. Hæmorrhagias verò in principio febris noſtræ paucas, excipiebat debilitas major, alienatio mentis *&c.* ſed in ſtatu, eaſque copioſas, alvi ſiccitas ſequebatur.

Prognoſtica ſigna.

Fallax quidem & periculoſum fuit de febris hujus eventu multorum judicium, plerumque tamen funeſtum prædicere licuit, quando in ægris ſigna fuêre deprehenſa ſequentia:

1. Dejectio animi irrationalis & continuus mortis metus, ac lipothymiæ frequentes à primo morbi inſultu.

2. Pulſus parvus ac inordinatus. A nonnullis etiam intermittens formidatur. Verùm præclarè notavit Celeberrimus Wedelius, quòd non adeò malus ſemper ſit, ſi crebriori ictu natura ſe ſemper ſuperiorem præſtet, id quod noſtrâ experientia confirmare poſſumus.

3. Reſpiratio citra plethoram laborioſa cum cordis anxietatibus, frequens ac exilis.

4. Vehementiſſima Virium omnium proſtratio. Certè nobis ſæpè norma fuit Canon ille Sennerti Noſtri: Quo vires fortiores & ſymptomata mitiora ſunt, eò melior morbi eventus ſperandus; contra quò vires debiliores, & ſymptomata graviora, eò morbus eſt periculoſior.

5. Faſtidium & nauſea cibi omnis & ſitis deficiens, ſive ſtatim ab initio, ſive poſt intenſiorem ſoluta, ut notavit ipſe Hippocrates *Coacar. prænotion. text.* 87.

6. Motus convulſivi & tendidum contractiones in manuum carpis deprehenſæ, præprimis circa declinationem.

7. Deliria

(*g*) Conf. *Caſtig. noſtræ Grab.* p. 21. (*h*) *Ibid.* p. 22. (*i*) *Ibid.* p. 24.

7. Deliria etiam in cenſum hunc in ſimilibus epidemicis referuntur. Verùm cùm in noſtrâ hâc epidemicâ, ſtatim ab initio ferè omnes in delirium inciderint, & tamen vix octavus quiſque ex iis mortuus ſit, nos non æque terrebant, niſi oblivio, indecens decubitus, ac inverecunda corporis denudatio iis jungerentur.

8. Dolor bulbi oculorum ſine omni ophthalmiæ indicio, ſicuti contrà optimum præbebat præſagium Βαρυκοΐα circa declinationem, id quod ante nos notarunt tùm alii, tùm Clariſſ. Simon Pauli *digreſſion. de febre malignâ*, qui hujus obauditionis cauſam eſſe exiſtimat materiam peccantem, quæ ductum cartilagineum, in palatum ex aure meantem, obſtruit, ac deinde ptyaliſmo ex corpore exturbatur.

9. Singultus utplurimùm funeſtus, ſi vel ab initio morbi vel circa ſtatum intret, in declinatione ſalutaris; ut obſervavit D. Samuel Graſſius & Maximilian. Preuſſius. Conf. Sydenh. *in op. p.* 656.

10. Retroceſſio macularum & exanthemata citò diſparentia.

11. Largius lotii profluvium, cujus memorabile exemplum D. Carolo *Oehmb* & Preuſſio oblatum fuit. Ut non abſque ratione Screta *de febr. Caſtrenſ. malign. p.* 174. hanc periculoſiorem reliquis criſeos ſpeciebus cenſeat, quia non tantùm ſanguis limpidiori ſero ſpoliatur, atque pinguiores humorum particulæ magis colliqueſcunt; ſed quia inde haud inani conjecturà augurari poſſumus, ſanguinis ac lymphæ curſum in aliquibus partibus remoram pati, unde non ſolùm vaſa valdè intumeſcunt, ſed & lotium copioſius per renes elutriatur.

12. Angina, prunella, aphthæ, rariſſimè bonæ ſpei ſunt, ut optimè Cl. Stahlius, & nos frequenter notavimus.

13. Coma cum frigore extremorum & ſtertore, hianti ore, lethale.

14. Tumores capitis & artuum in his febribus, notante D. Preuſſiò, peſſimi.

15. Urina atra in principiò febris mala, licet in declinatione mutetur in meliorem, ut notavit D. Preuſſius & D. Chriſtian Helwich. Item, Urina cruda ſeu ex claro quaſi confuſa ſeu tartareo-citrina obſcura nonnihil cum eneoremate diſperſo flocculoſo quaſi ſeu farinaceo aut cum ſedimento gravi, viſcidô, obſcurô, arenoſô & agitatione vix diſſilienti, utplurimùm funeſta.

16. Maculæ in principiò apparentes infauſtæ, ejuſdem commatis ſunt violaceæ, lividæ, quocunque tempore in conſpectum veniant, item atræ. Ratione quantitatis nec nimiùm multæ, ut optimè Fracaſtorius, nec nimiùm paucæ, ut non malè Petrus à Caſtro, ſalutem ſpondent. Inter rariores numerari debet obſervatio Borelli *Cent.* 2. *obſerv.* 35.

17. Lingua, quæ in principio inhorruit, hoc eſt, interprete Jacotiô, frigida, mala eſt, ut jam in Coacis notavit Hippocrates.

18. Labra liventia aut nigricantia mortem indicant.

19. Nihil verius illô Petri à Caſtro: Inter peſſima hujus morbi auguria & illud ponite, *remedia à principio fuiſſe neglecta.*

20. Mul-

20. Multiplici experientiâ edocti ſcimus, unum ex multis ſignis pravum, multis bonis anteponendum eſſe, & in necandô ægro plus virium habere, quam plura ſimul bona in eô liberandô.

Cæterùm morbus hic noſter nequaquam, ut vulgò à dogmaticis traditur, intra 14 dies finiebatur, ſed ad 21 imò & ultra extendebatur. Certe ad 40 uſque diem cum malo hoc conflictati ſumus. Solvebatur autem rariſſimè per hæmorrhagiam, aliquando per abſceſſum, (cujus duo exempla admodùm memorabilia in Ephemeridibus ſuis notavit D. Helwich) frequenter per ſudores, ſæpiſſimè autem tùm per hos, tùm per diarrhæam. Vidimus etiam febrim hanc ſolutam & per tumores in variis corporis partibus & cumprimis in ano, & exanthemata miliaria, pedum ſcabiem, & ipſum icterum. Mutata quoque in phthiſin hæc maligna. Alii & per ſudores & urinam ac parotides ſimul ab eâ liberati. Aurifaber laborans febre hâc malignâ bubone inguinis dextri infeſtatur, qui tamen brevi diſparet, ſuccedente carbunculo in infimâ parte ſuræ iſtius lateris ac in ulcus diuturnum degenerante, decoctis tamen lignorum, mundificantibuſque externis, tandem ex voto ſanatus, uti D. Preuſs obſervavit.

Curatio. Cum verò ſalus ægrorum ſuprema Medico lex eſſe debeat, inficiari minimè poſſumus, nos in omnes verſos formas, ut inveniremus methodum tutam debellandi morbum hunc ferocem, donec ſufficienti experientiâ fulciremur, eamque deprehenderimus rationem, in quâ jam plurimi noſtrûm acquieſcunt. (k) Quantum ad V. S. quidam Practici in plethoricis in vigore ætatis conſtitutis, ab initio metuentes febrem magnam, omninò eam celebrarunt, ſuaſu Mercati, Capivaccii, Fonſecæ, Sennerti, Petri à Caſtro, Rolfincii, Horſtii, Minadoi, Sorbait aliorumque; ſcilicet conſiderârunt hi, quod ſanguis, vaſis infarctus ſudoriferis, quæ apud nos plebs calidiſſima à Medicis omni modo extorquere ſatagit, turgefactus, modò pulmones ac præcordia oppleat, & anxietates maximas creet, modò noxias hæmorrhagias concitet, modò eruptionem macularum impediat, atque hæc mala imminentia miſſione ſanguinis declinare voluerunt. Sanguis ex venâ eductus, in ſuperiori parte cruſtâ albâ ſpiſsâ tenaciſſimâ obductus, in inferiori verò, modò floridus & fluidus ſine ullâ coagulatione deprehenſus, modò concretus & coagulatus, ex obſervatione D. Preuſſii. Alii contrà cum Fracaſtorio, Thonero, Minderero, Agricolâ, Rulando, Lotichio, Heurnio, Hœchſtettero aliiſque cenſuerunt, V. S. eſſe omittendam, tùm quia vires, quarum maxima habenda eſt ratio, ita debilitentur, tùm quòd hoc modo μίασμα non expellatur, nec V. S. prædicta mala evitari queant. (l) In horum numero ſunt D. Graſſius, Pauli & Helwich, & hic quidem ultra ducentos petechiali febre detentos ſine V. S. tractavit, ac ex his vix octo fatis occubuerunt, in illis verò qui proprio conſilio, ut non raro fit, venam ſibi pertundi fecerant, circa dies criticos congeſtiones

(k) Conf. *Caſtig. noſtræ Grabner.* p. 26. 27. (l) *Ibid.* p. 38.

geſtiones ad caput, deliria phrenetica, anginam, aphthas, aphoniam, alvi ſiccitatem ac convulſiones obſervavit. Plurimi quidem ſine ope purgantium, teſte D. Graſſio, Pauli & aliis cum ſanitate in gratiam redierunt, nihilominus lenientia eximium habuiſſe uſum, certum eſt. Tametſi verò ſtatim ab initio ſatis ſciremus, ab uſu evacuantium mitiorum, in ſimilibus febribus non ahorruiſſe Sennertum, Moræum, Donckerum, Riverium, Grülingium, Langium, alioſque, hæſitabamus tamen non parùm, donec videremus eos, quibus re penſitatius deliberatâ evacuans datum, facilius ſuperare morbum. Confirmabamur etiam hinc, quod toto die cerneremus, diarrhæas, ſi non utiliter, abſque damno tamen petechizantibus concitari; unde facilè concludere licebat, nos tutò quoque ſic naturam imitari, & cathartico ſordes in inteſtinis hærentes eliminari poſſe, id quod fluxibus hiſce concitatis natura molitur. Juvabamur hâc in re diligentiâ noſtrorum Prædeceſſorum, qui monuere nos, in ejuſmodi febribus cum bonis ægrorum rebus, aluum fuiſſe laxiorem, ut conſtat ex Gerhardi Columbæ Meſſanenſis *tractatu de febr. peſtilent.* Variolâ *in obſerv. Med. lib. 6. de febrib.* imò ipſo Galeno *libr. 5. Math. medend. c.* 12. & Hippocrate *in lib. epidemic.* quo referenda etiam ſunt, quæ in *Operibus poſthumis* Malpighii leguntur. Ducebat eo nos etiam ipſa ratio, quandoquidem ſole clarius in hâc febre noſtrâ adeſſe impuritatem ſanguinis & corruptionem, quam Veteres fortaſſis non ineptè putredinoſam dixerunt. Notum præterea putridam materiam hanc, citra cujus excretionem ſanitatem ſperare minimè licet, non eſſe ejuſdem naturæ, ſed aliam eſſe tenuiorem, ac quaſi halituoſam, aliam eſſe ſeroſam ac ſalinam, aliam craſſiorem ſubmucidam, ac per diverſa excretiora ex corpore ejici poſſe, hinc verò prompta illatio erat, partes illas mucidas ac ſalino-oleoſas, nomine bilioſarum vulgò deſcriptas, in quas motu inteſtino putredinoſus ſanguis fatiſcit, commodiſſimè per inteſtinorum volumina ex corpore exturbari, prout halituoſæ illæ per cutis poros, & ſalino-ſeroſæ per urinarias vias commodiſſimê ex corpore exeunt. In uſu hìc cum aliis D. Michael Pauli potio evacuans Sydenhamiana in doſi aliquantum minori. D. Helwich familiaris eſt pulvis ex antimon. & nitro depurat. tartar. vitriolat. ac grano uno vel duobus ſcammon. ſulphurat. quibus apud ditiores etiam grana pauca Auri fulminantis, certis ex cauſis, addit. Quibuſdam placet, more Wedeliano, lenientibus addere, quæ ſimul ad malignitatem habent reſpectum. Ita meminimus, quoſdam radicem ſcorzon. ſcordium c. fol. Senn. & Rhabarb. Alexandr. &c. decoqui juſſiſſe & ægris ſuis hauſtum præbuiſſe. Vomitoria in febris epidemicæ principiò hominibus phlegmaticis aut melancholicis robuſtis & nauſeantibus, præſente conatu vomendi, interdum cum ſucceſſu data. Cæterùm ferè tota cura bezoardicis abſoluta à nobis fuit. Imò à medicamentis alexipharmacis fortioribus, volatilibus ſalibus, bezoardicis calidis a. ſpirituoſis abſtinuimus, ac abeſſe voluimus theriacam, mithridatium, electuarium de ovo, ſpirit. tartar. C. C., vipe-

rar., elix. peſtilent. Croll. olea bezoardica &c. decantatiſſima aliàs remedia, quia vidimus ea, hâc in febre epidemica obfuiſſe magis, quàm utilitatem attuliſſe. Et hinc iterum iterumque cautelam Raymundi Mindereri *de peſtil. p.* 214. & Auguſtini Thoneri *Obſerv. p.* 64. 65. commendamus. Nec vanum Celeberr. Schelhammeri de tincturâ bezoard. D. M., cui nos etiam ſpiritum theriacalem, imò & alia ejus generis jungimus monitum. Omninò nobis expertis credi poſtulamus, ea febrim & ſymptomata non ſine periculo intendiſſe. Quidam tamen noſtrûm calidiora cum analepticis remixta præſcripſerunt, quando ſuſpicabantur, quandam quaſi coagulationem ſanguinis fieri, in debilitatibus etiam majoribus cum pulſu languido, in retroceſſione macularum, nec non poſt terrorem, admiſſum frigus, &c. Alii verò ex noſtris, unicè bezoardicis & ſudoriferis temperatis morbum debellare conſtanter ſategerunt, ut plurimùm feliciori exitu coronati. Scilicet juſto tempore à nobis exhibebantur ægris, pulveres bezoard. D. Senert. Rhumbaum., pulv. polychr. Döring., Panonic. rub., aut ex tempore componebantur alii ex C. C. philoſ. ppt. unicorn. ver., matr. perlar. ppt., lap. 69. coralliis ppt. ſuccin. ppt., antimon. d., bezoardicis mineralibus & chymicis variis &c. Lap. bez. occid. & orient. terrâ ſigillatâ noſtrati, Cinnabari nativâ, &, quod utramque ſemper paginam implebat, nitro. In formâ guttarum propinabatur à nobis M. S. eſſentiâ ſcordii ſaturatior, eſſent. myrrhæ, diaſcordium quoque Fracaſtoris (licet compoſitio non adeò concinna ſit, & ex ſudoriferis & adſtringentibus conſtet) in aquâ bezoardicâ diſſolutum, admixto ſyrupo convenienti, præprimis verò illo, quem acetoſitatis citri officinæ vocant, expectationi noſtræ ſatisfecit, & magno cum ſucceſſu tot ægris à nobis præſcriptum fuit. Et hæc reſpectu ad cauſam morbi habito ordinavimus, conati venenum, quod vulgò in his febribus accuſatur, expellere per placidum ſudorem, ſeu potiùs madorem, in quo natura nobis præire videbatur, dum ipſa ſæpè & in principio & decurſu ſudores movet, & ad ſuperficiem corporis maculas promovet. Motus verò ſudoris & macularum ad cutem egregiè, tùm fotu lectorum, tùm frictionibus adjuvari poteſt. Nunquam verò auſi ſumus dorſo applicare unguentum Aëtii, nec morem Indorum à Taverniero deſcriptum, in rem noſtram vertere licuit. His enim externis perſpirabilitas cutis egregiè promovetur. Ab alexipharmacis calidioribus, quæ malignitati opponi debere vulgaris perſuaſio eſt, nobis temperavimus, quia nec venenorum, multò minùs venenatorum μιασμάτων natura cognita eſt, adeoque in Democriti puteo adhuc vera fermentorum malignorum alexipharmaca profundiſſimis tenebris immerſa latent. Nec exciderant ex memoria illa Sydenhamii *in Schedul. Monitor. p.* 681: malignitatis inventionem generi humano longè ipsâ pulveris pyrii inventione lethaliorem. Verùm non ſatis erat, energiæ cauſæ occurrere, ad ægros ipſos oculi etiam erant convertendi. Ex parte itaque ſubjecti, indicatio urgebat cordialia & roborantia efficaciora, præprimis, quia frequentiſſimè vires inopinatò concidebant.

cidebant. Et ſic vinum aquâ dilutum petentibus D. D. Helwich & Graſſius, freti experientiâ & authoritate Bartholini *Cent. 6. Hiſt.* 7. aliorumque, moti etiam exemplo D. Acoluthi, Collegæ quondam, nunc deſideratiſſimi, quamvis diætam exactam aliàs rigidè exigant, tandem conceſſerunt, cùm ſub febris ingreſſum præfractè negâſſent, ægroſque eximiè hauſtu hoc recreatos eſſe experti ſunt.

Fuêre, qui quoſdam ex nobis, præprimis D. Helwich, propter crebrum cinnabaris nativæ uſum clanculum apud ægros ſugillarent. At illi inſignis hujus medicamenti divinas propemodum virtutes protervè ignorant, quas ex Cratone ipſo, Joh. Quercetano *in tetrad. capit. affect. c.* 33. Daniel. Ludovici, Wedelio aliiſque, ſi ignavia & livor permitteret, diſcere poſſent; ſed fatuum foret, prolixè vim nervinam, cephalicam, diaphoreticam, præcipitantem, anodynam *&c.* cinnabaris demonſtrare, cùm rudes etiam ſeplaſiariorum famuli ex crebro Medicorum omnium uſu eam dudum calleant. Mirabitur autem quiſquam à nobis in recenſu medicamentorum præteritam eſſe camphoram, cùm hactenus inter tot bezoardica compoſita, in quâcunque formâ unanimi quaſi conſenſu fuerit adoptata. Enimverò ſcire licet tantoperè laudatam camphoræ virtutem alexiteriam (externum ejus uſum in multis affectibus incomparabilem eſſe, agnoſcimus lubenter) niti nuda traditione & opinione hominum, ac in re ipsâ in febribus hiſce malignis camphoram internè plus detrimenti, quàm auxilii adferre. Deferimus cauſæ hujus cognitionem ad circumſpectæ experientiæ tribunal, ac ſententiam nobis gratam pollicemur, poſtquam vanitas prætenſæ eximiæ hujus virtutis (reſiſtere enim putredini ac venenis eam volunt, ob ſal volat. balſamic. & reſinoſum, quo acidis contrariatur, & ſic etiam putredini, quæ ſubinde acidum habet concomitans, ut loquitur Hoffmann.) omnibus ferè innotuit. Nec ſymptomata à nobis neglecta fuerunt. Inter ea vulgò refertur diarrhæa, quo jure id fiat, vel ex antecedentibus patet. Eam certè, niſi eſſet colliquativa, & plenariam ſanguinis putredinoſam diſſolutionem argueret, aut inflammationi inteſtinorum ſuperveniret, nequaquam ſupprimere ſtuduimus. Quin imò non raro laxans ordinavimus, ac internè per totum morbi curſum, nitroſa cum ſufficienti potûs quantitate eâ intentione ægris imperavimus, ut ventriculus & inteſtinorum volumina ritè abſtergerentur, & materia bilioſa acris ac urens è corpore proſcriberetur. Quoties tamen ſuſpicabamur, alvi profluvia excedere modum, ac dejicere vires, quas ſub tali fluxu ritè conſervare nobis cordi erat, nitrum in exiguâ & refractiori doſi præbebamus, interpolabantur terrei pulveres aut diaſcordio Fracaſtor. ei frænum injiciebamus, ac id tantò magis, ſi tormina majorem faceſſerent moleſtiam. Ab aſtringentium uſu, in compeſcendo alvi fluxu, graviſſimos angores, miras corporis jectigationes, deliriorum & cephalalgiæ incrementa, majorem linguæ ſcabritiem, ſqualloremque, inflammationem & aphthas plerique noſtrûm non ſemel notarunt. In iis, qui, loco diarrhææ, ſingultuoſâ car-

dialgiâ corripiebantur, & perpetuo vomendi conatu laborioſiſſimè fatigabantur, præter nitrum vix ullum aliud laude & commemoratione dignum præſtitit effectum. Iſti ægri, qui diætæ vinoſæ aliàs adſueti, ad hæc pathemata diſpoſiti erant, uſu etiam pulpæ citri ſublevati ſunt. In æſtu, & ejus pediſſequâ fere indivulsâ ſiti omnibus prælaudatum antèa nitrum cum ſubacidis, ſucco citri, bacc. rub. idæi, ſpiritu vitriol. philoſoph., vitriol. dulc. vino. granator., berber. ppt. &c. faſtum fecit. Et proinde hìc malè rem geſſiſſe putandi ſunt illi Medici, qui nihil lamentationibus æſtu exuſtorum ægrorum moti, fumoſis ſuis ſudoriferis & turgefacientibus bezoardicis miſeros tantùm non enecârunt.

Dolores capitis in progeſſu morbi aliquantulum ſublevati ab uſu unguenti alabaſtrini, inter initia tamen tacito muſſavit medicina dolore. Graves pectoris oppreſſiones & anxietates, nullis epithematibus cordialibus, nullis linimentis pectoralibus cedebant, ſed uſu camphoratorum externo miteſcere videbantur. Vigiliæ etiam per multas noctes continuatæ non multum ægrotantibus obfuerunt. Ab uſu anodynorum nullum hìc auxilium, quin è contrario poſt eorum uſum pulſus, & conſequenter etiam motus ſanguinis deprehenſus eſt languidior, ſenſuum ἐνέργεια debilior, excluſio recrementorum per quaſcunque vias impeditior. Unde non meminimus, à quoquam noſtrûm opiata in uſum fuiſſe in curâ hujus febris vocata, niſi quod in principio, poſt emeticum aut catharticum, D. Preuſſius, Sydenhamium imitatus, aliquando opiata in refractâ doſi dederit optimo cum ſucceſſu. Deliria exoriebantur vel ab æſtu & ſanguinis ſtaſi, vel ab impatientiâ, aut mortis timore; Quæ poſterioris generis erant, blanda vitæ meliorſque valetudinis ſpe ac argumentis moralibus ſedabantur, prioris generis autem eandem cum febri curam poſcebant. Nec ſegnia hic veſicatoria, falſumque comperimus Fonſecæ aſſertum, veſicantia ſcilicet augere calorem, vigilias & deliria intendere, ſed experientia noſtra pulchrè ſententiam Riverii, Horſtii, Bartholini, Sennerti aliorumque eadem commentantium, in re ipsâ fundatam reperit.

Convulſiones ab initio quidem exanthemata prænunciabant, & bezoardicis tollebantur, ſub finem hæmorrhagias indicabant nonnunquam in vegetioribus, in debilioribus verò ipſam mortem.

Hæmorrhagiæ, præſente plethorâ, ſymptomaticæ, aſtringentibus efferantur potiùs; externa illa, e. g. applicatio ſmaragdi, hæmatitis, emiſſio ſanguinis ſuper calidos lateres, colcothar vitrioli &c. non ſatis efficacia, nitroſa verò internè data, omninò eximii uſûs.

In ordinanda diætâ, ferè Sydenhamium ſecuti, cibos tenues, juſcula avenacea, hordeacea, pruna cocta, poma Borſdorffiana commendavimus; fercula ſalſa, ſaccharata, aromatibus condita, procul eſſe juſſimus. (*m*) Potum ſufficiente quantitate non negavimus, etſi à frigido ſtudioſè dehortaremur.

(*m*) conf. *Caſtigat. Noſtræ Grabner. p.* 29.

taremur. Nam à frequentiori hoc potu alvus redditur fluida, quem etiam rectè celebrat Crato Noſter *l.* 1. *epiſt.* 11. Nonnullis in uſu erat cereviſia tenuis, aliis aqua hordei, quibuſdam decoctum C. C. citratum, item ſcorzoneræ c. rad. acetoſæ, ceraſis acidis, paſſulis minoribus *&c.* Aërem moderatè calidum eſſe voluimus, crebrò inculcantes, citra perniciem corpus frigidæ auræ non exponi, ac ab ægris quietem corporis ſine jectigationibus exegimus, nec paſſi ſumus, ut corpus liberius erigerent, vel ſedentes, vel ſtantes, vel ambulantes, ne fortè, quod facilè fieri ſolet, animi deliquium incurrerent, aut maculæ retrogrederentur.

Animi pathemata, triſtitiam, mœrores, metum mortis, quantum in nobis fuit, excuſſimus. (*n*) Dierum criticorum adeò ſcrupuloſi obſervatores non fuimus, gnari, quòd criſes varient pro variâ medendi methodo variis anni temporibus, regionibus, vitæ genere, temperamentô ægrorum, viribus *&c.* quâ de re legi merentur Jonſton. *Syntag. Pr. p.* 164. 172. Ettmüller. Plemp. *fundam. Medic. Sanctor. in Hippocr. Aphoriſm.* Panarol. *Pent.* 3. *obſerv.* 39. Bruno *in propylæo Medic. p.* 133. Waldſchm. *in fundam. Med. p.* 116. Georg. Bagliv. *de praxi Med. ad priſc. obſervandi rationem revocanda p.* 256. *&* *ſeqq.* & hoc tantò magis, quia nondum terminus, à quô initium computationis fieri debet, exactè conſtitutus, dùm Sydenham, Blancardus & alii, à primo inſultu, alii à tempore decubitus in lecto exordium capiunt cum Vidô Vidiô *oper. Med. T.* 3. *c.* 6. *lib.* 9. Sennert. & Donckert. *in Ideâ febr. petech. p.* 435. 458. *&c.*

Ex his verò amicus Lector facilè videt, quod emergenti hoc morbo noſtros Anteceſſores conſuluerimus, & ſtudioſè contulerimus cum iis, quos ipſi deſcripſerunt ſimiles, & non pauca in noſtram & ægrorum utilitatem converterimus.

Odontalgia & hemicrania mulierum.

Ejus moris geniique paſſim febres graſſabantur uſque ad initium Junii. Frequenter etiam hoc menſe odontalgiâ ſeu hemicraniâ laborabant iſtæ potiſſimum mulieres, quibus negotium menſium magis impeditum. (*o*) Egregiè proderant decocta emollientia & paregorica, ex flor. ſambuc. chamomill. R., papav. *&c.* ac laudatiſſimum medicamentum in permoleſto hoc affectu eſt tinctura odontalgica Mynſicht. & Wedelii, quâ cum nec ſpiritus vitrioli rectificatus Blancardi, nec pilulæ Mural. ex extr. opii, ſem. apii, hyoſcyami; nec ſpiritus ſulphur. c. ſpirit. terebinth. maritatus, cujus encomiaſtes Blegny eſt, nec oleum origani, aut alia vulgò nota conferri merentur. Tuebantur etiam dignitatem ſuam emplaſtra Sylvii & Ettmülleri.

Ophthalmia.

Nec nulli erant, qui ophthalmiâ vexarentur. Non tantum oculos urgebat inflammatio, cum dolore, tenſione acriore & rubedine, quæ ex turgeſcentiâ vaſculorum teneriorum in oculo dependent, ſed & dolor capitis gravativus moleſtus erat, iis potiſſimum, in quibus oculus circa nervum

(*n*) conf. *Caſtigat. Noſtræ Græbnerian. p.* 33. *Ibid. p.* 37.

vum opticum patiebatur. Quotquot opem D. Helwichii implorârunt, interrogati, an hæmorrhagiam narium in præterlapſis annis crebro experti fuiſſent, fere omnes ſe quondam ei aſſuetos fuiſſe affirmârunt. De remediis, quæ ad inflammatorium oculorum dolorem tollendum vulgò adhibebantur, rerum uſus edocuit nos, aquam chelidonii iis quos æſtus ſenſibilior adurit, propter acredinem minus convenire. D. Helwich non facilè aquam hyſſopi & fœniculi adhibet, quia propter oleoſas ac acres partes iis junctas ei ſuſpectæ ſunt. Lithargyrium cum aceto deſtillato ſolutum, ac aquis debitâ proportione mixtum, ſpem ejus non eſt fruſtratum. Sed ſupra laudem eſt aqua alia ophthalmica & in creberrimo uſu, de cujus efficacia etiam D. Pauli teſtimonium perhibet. Pinguedine viperarum recenti pruriens acrimonia, quæ haud rarò hunc affectum comitatur, tollitur, ut D. Graſſius & alii experti perſæpè ſunt. Propter vim ſubaſtringentem decoctum cort. granator., quò redeuntem ſingulis ferè annis in orbem moleſtiam hanc in proprio corpore ſublevavit, in amore eſt D. *Oehmb.* Quæſitum meminimus, an ophthalmica externa actu frigida, an ſubtepida veniant applicanda? Poſterius nos maluimus & experientiæ ſuffragium ſpondemus.

Icterus. Occurrebant etiam, quos icterus fœdabat. (*p*) Croceus color in toto corpore, præprimis in oculorum albo, & circum tempora cernebatur, & quæ D. Helwichii & Graſſii animadverſio eſt, etiam in venis ſub linguâ. Inſigni ariditate & ſcabritie cutis corporis ſquallebat. Acies oculorum nonnullis obtuſa, omnibus verò gravior erat laſſitudo ulceroſa, cum ſomniis turbulentis, dolore capitis & gravativo præcipuè ſterni, obſervante D. Graſſio, ſiti, inappetentiâ, ſed, quod mireris, oris amaritudo ferè paucis guſtum corrumpebat, quod confirmat Clariſſimi. D. Hartmanni ſententiam, bilem non eſſe adeò amaram, præprimis, ſi, quod & hîc fit, cum lymphâ quaſi gelatinoſâ miſceatur. Vexabat quoque pruritus. Alvus nonnullis ſatis fluida, quaſi lienteriâ aut cœliacâ laborarent, aliis, quibus fortè ductus cholodochus omni ex parte obſtructus, adſtrictior. Homerda argillacea & albida, urina craſſior & crocea, ſerum in extravaſato ſanguine, ut D. *Oehmb* & Helwich vidit, eodem inbutum colore, pulſus frequens & parvus, reſpiratio difficilis, ubi corpus aliquanto vehementiùs movetur, ac manus ferè ſemper calidæ. Pingebat verò icterus eô tempore, quod etiam aliàs fit, homines aſſuetos alimentis viſcidis, glutinoſis copioſè ingeſtis, ut & cereviſiis muſteis ac fæculentis, unde nonniſi chylus viſcidus, & craſſior ſanguis & lympha, obſtructionibus gignendis, quas vel in glanduloſo hepatis corpore, vel in deferentibus & afferentibus biliariis ductibus quærere in ictero par eſt, excitandis aptiſſimus generatur. Cùm verò hac ratione effluxus bilis ad inteſtina impediatur, utique neceſſe eſt, ut fel intimè ſero ſanguinis commiſceatur, ac, quicquid etiam Hel-

(*p*) Conf. *Caſtigation. Noſtræ Græbnerian. p.* 38.

Helmontius, ac ejus aſſeclæ tricentur, cum ſanguine ad vaſa capillaria delatum citrino cutem inficiat colore. In uſum vocata fuêre inter aperientia & attenuantia hepatica, marrubium album à Foreſto eximiè laudatum, cuſcuta quoque. Invenerunt etiam locum, & forſan utramque paginam abſolverunt martialia liquida præcipuè, cum ſalinis, v. g. tartar. vitriolat., arcan. duplicat., ſale abſinth., cent. min. *&c.* Tartarus verò Tartariſatus ad gtt. 80. ſæpiùs adhibitus, interveniente laxativo, & poſt datâ Tincturâ Mart. cydoniat., D. Graſſii ſuorumque Collegarum ſpem non feſellit. Nec immeritò Majores noſtri ſpecificam quaſi vim ſcripſerunt rad. curcum., chelidon. maj., abrotano, croco *&c.* In idiopathico ſolùm Lindenii decoctum ex rad. cichor., chelidon. maj., herb. endiv., marrub., fragar., fol. Senn. tartaro, toties nos læto exhilaravit eventu. Tulpius quondam ictericos curavit infuſo rhabarbari, cui theriacam miſcuit, quem imitatus D. Helwich, eventum, quem ſperavit, conſequi non potuit. A purgantibus fortioribus & ſudoriferis ſolicitè cavimus, ne per hæc ſerum ſanguini ſubduceremus. V. S. in gravidâ aliquando fuit celebrata bono effectu, neque tamen propterea cum Aëtio præcipuum remedium dixeris, aut cum Theophraſto ordinariè auriginem per V. S. curaveris. Eodem tempore febribus continuis, præproperè nimis die quintâ ſuperveniens quoſdam è medio ſuſtulit, quanquam, præter Medicum, nemo ex adſtantibus fatalem horam metueret. Et ſanè in obſcuro adhuc latet, unde icterus tàm funeſti exitûs oriatur. D. Helwich ſpaſmodicam hepatis conſtrictionem hic accidere conjicit, tùm ex anxietatibus & anguſtiis præcordialibus, tùm quòd paſſiones ægri ſuas ita deſcribant, quaſi perſentiſcerent, manum præcordia coarctantem, tùm ex retractione umbilici in oculos incurrente. Vocabatur is aliquando ad ægrum in vigore ætatis conſtitutum, tantâ reſpirationis difficultate laborantem, ut extrema imminere, & ægrotum brevi ſuffocatum iri, ipſemet crederet. In ancipiti illo caſu cùm non ſatis ſe expedire poſſet, quamnam læſa reſpiratio cauſam agnoſceret; (neque enim vitium ullum vel in aëre, vel in organis ad reſpirationem neceſſariis, vel in quadam lienis affectione *&c.* apparebat,) poſtera dies eum ſatis convicit originem mali, in hepatis, quod cum diaphragmate, per membranaceum ligamentum latum cohæret, (quod ſuſpenſorium Anatomicorum Scholæ nominant) ſpaſmodicâ contractione quærendam fuiſſe, nam icterus inſperatò ſuperveniebat. Admodum autem rebelle hoc malum fuit, & cura faſtidii & tædii pleniſſima, domitus tamen tandem morbus ille medicamentis anticachecticis, & antiſpaſmodicis providè junctis. Præprimis ceratum quoddam exterius applicatum vim præſentem in relaxandâ ſtricturâ exercere deprehenſum eſt. Cum D. Preuſſio febris quartana pertinax admodùm eo tempore offerretur curanda nec uſitatis medicamentis ſubjugari poſſet, emeticum laxativum mercuriale propinavit, ex cujus uſu ſalivatio per tres ſeptimanas & ultra cum perfectâ febris eradicatione ſecuta eſt.

Menſe

Variolæ & morbilli aliaque exanthemata.

Menſe Februarii, præter petechias, variolas & morbillos, vidimus alias maculas corpora infantum occupantes. Similes eæ omninò erant iis, quas Celeberr. Fehr. *in Anchorâ Sacrâ ſive Scorzonerâ p.* 79. *& ſeq.* deſcribit. Nam quædam latæ rubeæque morbillis non admodum diſſimiles, in facie conſpiciebantur, minutiſſimæ verò & puniceæ, quas incauti cum petechialibus confundere ſolent, in dorſo, lumbis & pectore cernebantur; Nonnullæ elevatiores proximè ad naturam variolarum accedebant, ac pruritu & fervore moleſtiſſimæ erant, tandemque per abſceſſionem epidermidis in ſquamulas reſolvebantur; verùm aberant ſymptomata graviora, delirium, convulſiones, alvi profluvia bilioſa & dyſenterica, palpebrarum paralyſis & conniventia, carentia visûs *&c.* ſed comitabatur tamen hæc exanthemata febris, ſub noctem ingraveſcens, tuſſis, quam ferinam vocant, corpora concutiebat; & poſtquam tertio vel quarto die morbi erupiſſent, ante 14. evaneſcebant, relictâ nihilominus aliquâ incedendi impotentiâ & ſcalpendi neceſſitate. Graſſabantur etiam eò tempore aliæ variolæ, quas à forma, nam acuminatæ ſunt, vulgò *die Spitz-blattern*, alii autem *das Ungeheur* vocant; ſed quia æſtus mitior conjunctus, nec ulla mali moris ſymptomata adſunt, præterea etiam pueri & puellæ lætè diſcurrunt, his exanthematibus deformati, modò ungues exercendi voluptas iis relicta ſit, ferè fit, ut Medici conſilium non requiratur. Id quod etiam dicendum de cryſtallis ſeu puſtulis latioribus, minuſque acuminatis, à lupini albi magnitudine *Schaafs-Blattern* dictis. Nam poſtquam aliquamdiu ichorem plorârunt, citò ſatis evaneſcunt. Magis terrentur noſtri rubeolis, quas vulgus vocat *Rutteln*, quæ non ſine graviori æſtu primùm ſparſim erumpunt, & deinde coëuntes poſteà dorſum aut regionem pectoris, vel manus & pedes occupant, & latiſſimam maculam efformant, tandem verò ferè ſine ſenſu in ſquamulas abeunt & diſparent. In curâ ferè eadem methodus obſervatur, diaphoretica fixa totam abſolvunt paginam. In frequenti apud nos uſu in hujuſcemodi morbis potiunculæ ad morem Sylvianarum paratæ, ex aquis fl. ſambuc. til. card. ben. ſcorzoner. cort. citrat. *&c.* & ppat. lap. 69, & in adultioribus paulò etiam, corall. rubr. ppt. matr. perlar. antimon. diaph. ſuccin. ppt. *&c.* quibus gratiam ſaporis conciliamus vel julepo roſar. . ſambucino, aut ſyrupis gratioribus. Regimen in omnibus iis morbiis, cum quibus febris complicata eſt, temperatum amamus, & anxiè calidum damnamus.

Præter aſthma, quod, ut ſuperius monitum, icterum præcurrebat, etiam alius generis, idque periodicum graviſſimum obſervavimus. (*q*) Vir quiſpiam perilluſtris dignitatis, ſexagenario proximus, ſanguineo-cholericus, cùm ter, ſuaſu nonnullorum Medicorum, ærumnabilis ſalivationis labores, ad abigendum circa regionem hepatis fervorem aliaſque moleſtias, quas effluxu ſeminis in pollutione nocturnâ, incautè admodùm ante quadrien-

(*q*) conf. *Caſtig. noſtræ Græbn. p.* 38.

driennium cohibito, incurrit, excutiendas, quas inter etiam tumor teſticuli alterutrius, fortiter ſuſtinuiſſet, de difficultate reſpirationis circa noctem ingraveſcente, ſub anni 1698. finem conqueri cœpit. Auctum malum ita fuit, ut tandem hoc menſe, nocturno tempore, quo maximè affligitur, circa duodecimam horam, ex lecto exiliret, & præ ſuffocationis metu, eum in reſpirando corporis ſitum eligeret, in quo maximè liberi ſunt pulmones, nec à thorace premuntur. Adventantis paroxyſmi prodromus erat dejectio alvi, pòſt ſpiritus ſenſim denſior ac tardior trahebatur. Procedente affectu audiebatur ſonitus ferventi aquæ ſimillimus: *Es kochte und raſſelte auff der Bruſt*; id quod infallibile ſignum, cellulas pulmonum membranaceas ac aſperæ arteriæ ramificationes à materiâ quadam ita infarctas eſſe, ut vix aërem inſpirandum admittant. Thorax cum quodam coſtarum quaſi fragore videbatur elevari, comitante hanc ejus elationem ſonitu & ſibilo, id quod aliàs in aſthmate convulſivo fieri ſuevit. Confer. Ephemerid. *anno* 17. *obſerv.* 133. 256. Vultus turgebat, & oculi prominebant. Comitabantur incredibiles præcordiorum anxietates & pectoris anguſtiæ, ſudores quaſi ſyncoptici, ac alia dira ſymptomata, quæ ex αὐτοψία D. Helwich & Pauli referuntur. Cæterum tametſi iterum iterumque conſiderarent, an tremulus aliquis motus, ex infimo ventre verſus pulmones & cor aſſurgeret, quod in aſthmate hypochondriaco & hyſterico fieri conſvevit, eum minime advertere potuerunt. Poſt bihorium ferè ejectâ, materiæ viſcidæ, non minimâ quantitate, inducias malum afflicto conceſſit, ſed perbreves: Nam circa horas matutinas recrudeſcebat & denuò ſomnum excutiebat, inſultus tamen minor & brevior erat. Pulſus in paroxyſmo concitatus, extra illum ſecundum naturam ſe habebat. Urina cruditatis indicia præ ſe ferebat, albo fœta ſedimento; alvi excrementa liquida. Aliàs appetitus integer vigebat, ſitis verò aliquanto intenſior. Qui in paroxyſmo, in limine mortis erat noctu, is interdiu omnia negotia commode perficiebat. Hoc periodicum aſthma ex humido, de quo lectu digniſſima occurrunt ap. Carol. Piſonem, de prætervifis hactenus morbis & affectibus à ſeroſâ colluvie &c. ortis, *ſect.* 3. *cap.* 4. *à p.* 259. & convulſivo, cujus cauſam, non tàm in ſpaſmis fibrarum pulmonalium, quàm muſculorum pectoralium, quærendam eſſe putamus, mixtum, ut, judice Williſio, omne inveteratum eſſe ſolet, nullis remediis domari potuit. Nihil hîc V. S. etiam reiterata, nihil fonticuli, nihil frictiones, nihil lenientia, incidentia, expectorantia, antiſpaſmodica, anodyna, *&c.* conferebant. Adeò verum eſt effatum Clariſſ. Raygeri Collegæ noſtri *in Schol. ad obſerv.* 31. *Spindleri p.* 54. quando ſcribit: *Aſthma mirabile phantaſma eſt contra quod tam rarum invenitur cataplaſma approbatum, mirabiliter quoque & ægrotantes & medicantes affligit atque excitat, nonnunquam utroſque pertæſos reddit.* Solus cochleariæ ſpiritus Anglicanus, ineunte menſe Martio, miſeriam patientis ſublevare videbatur. Per æ-

ſtatem integram reſpiratio ritè habebat, ſed autumno inclinante vetuſtum malum repullulabat, ac quotidiè augebatur. Sed propitia magis ægri fortuna illo anno fuit, nam pertinax malum magis obſecundare viſum eſt pharmacis, quæ quatuor Medici (inter quos duo ex noſtris, ſc. DD. Pauli & Helwich) miſcebant, ac poſt celebratam V. S. halcyonia plena, licet inſperata, medio Februarii obtingebant. Rediit antiquum malum etiam hoc, quo hæc ſcribuntur, anno, ſed non adeò ferocit, nec tamen vel V. S. vel remediis antea adhibitis ampliùs auſcultat, nec juſculis, quæ per acceſſiones accipere ſuevit, mitigatur, ad inſtar illius, quod deſcribit Cl. G. H. Welſchius *Decad. X. Conſ.* 1. *Curat. ppr. & Conſil. Medic.* Aliis verò decidendum relinquimus, an hoc exemplum manifeſtam faciat communionem Hippocraticam ϛηθέων, μαζῶν, γονῆς, φονῆς, id eſt pectoris, mammarum, ſeminis, vocis, 2. *epidem. ſect.* 1. Certè Edmundus de Meara *in hiſtoriis aliquot rarioribus Medicis p.* 133. recitans hiſtoriam de cive Briſtolienſe, qui poſt gravem hyemalem catarrhum ſponte evaneſcentem, ſcroti tumorem incurrit, & hoc iterum diſparente de orthopnœâ conqueri cœpit, ex illâ frequentem & facilem ſpirabilium cum genitalibus conſenſum deducit, ratus, in hoc ægro obſervabilem eſſe ſeri à pectore ad teſtes deſcenſum, ejuſdemque à teſtibus ad pectus recurſum. Quod roborat etiam obſervatio D. Graſſii, cui obvenit tractanda aſthmatica, quæ liberum trahebat ſpritum, cùm pudenda & pedes tumebant, difficultate verò magna premebatur quando tumor diſparebat. In aliis aſthmatis generibus Aug. Thonerum *l.* 3. *Obſerv. Medicinal. p.* 199. *& ſeqq.* imitati ſumus, & purgante, ad removenda obſtacula reſpirationem intercipientia, uſi ſumus. Non abs re comperimus gloriari Joelem *l.* 3. *pract. p.* 272. quod zedoar., g. ammoniaco fl. ſulph., croco in hydromelle coctis ſæpè facilitatem reſpirationis reſtituerit, nam & nos in egenis ex nauſeabundâ & rudi potione hâc multoties eundem vidimus effectum. Cæteroquin fuère apud nos eo tempore etiam alii, qui difficulter admodùm reſpirarent. Illi de nullâ circa thoracem moleſtiâ conqueſti, ſolùm de gravamine quodam ventriculi conquerebantur, & locum affectum ſub diaphragmate ad ventriculi regionem monſtrabant. Et hujus generis aſthmatici ut plurimùm graphicè admodùm anguſtias præcordiales depingunt, & ut ex vero Severin. Eugalen. *de Scorbuto p.* 11. ægrotantes à ſenſu mali ſui magnitudinem metientes, de tollendâ anguſtiâ magis, quàm reſpirationis mitigatione apud Medicum inſtant, ac paratam in antiſcorbuticis medelam inveniunt. Monitos tamen cupimus eos, qui primùm clinicæ animum applicant, ut in ſcorbuticis iis, quos maculæ fervidioris intemperiei indices deformant, à cochleariæ uſu caveant, & exhibitione acetoſæ acetoſellæ *&c.* contenti vivant, niſi exageratorum ſymptomatum ignominiam ſoſtri loco affectent. His, ſi aſthma urgentius ſit jungere licebit radicem ari, helenii, petaſitidis, & in formâ decocti offerre. A paucis enim guttis, mixturis

turis, eſſentiis, aut ardentibus ſpiritibus magnam ſibi polliceri in ſcorbuticis affectibus opem, non niſi inexpertorum eſt. Piſtor quidam ex oppido paucis milliaribus Vratislaviâ diſtante, vaſto corpore, ſcarificationibus ſingulis ferè menſibus aſſuetus antea, iis omiſſis, poſt aliquam vehementiorem corporis commotionem, aſthmate corripitur, quod parùm à convulſivo aberat. Is perterritus Vratislaviam migrat, ac D. Helwich adit, qui re omni intellectâ ſcarificationem repetendam eſſe, auctor eſt, & pilul. de cynogloſſ. hodiè quaſi antiquatas, de quarum efficaciâ modeſtius ex Lindenio ſentire primò didicit, præſcribit doſi non magnâ, ſed maximâ cum utilitate patientis, nec enim ex ullo medicamento præſentiorem vidiſſe ſe effectum recordatur, quippe repreſſus protinùs eſt mali impetus, ac ſanus & hilaris domum diſceſſit, qui anheloſus & quævis mala metuens hûc venerat.

Infantes illo tempore tuſſis convulſiva fatigabat ſatis frequenter. (r) Certum eſt affluente materiâ inter tuſſiendum diaphragma ſurſum contrahi, ac in ſyſtole longiori aut crebrius repetita detineri, pulmones valdè coarctari, in motu ſuo inhiberi, & reſpirationem valdè impediri, ut à ſuffocationis periculo parùm abſint. Sed de eo, an materia morbifica nervis pneumonicis illapſa, hinc in ipſis hæreat, & fomitem contumaci malo præbeat ut credit Williſius, nondum plenè conſtat, imò, qui hìc ſpaſmodicos muſculorum pectoralium motûs, vel ſenſui in vehementiori malo obvios, perpendit, in illam facilè concedet ſententiam, à convulſivo hoc muſculorum motu arceſſendam tuſſis convulſivæ cauſam. Cui rei documento eſt & hoc, quod externa ex ſelectioribus, antiſpaſmodicis debitè adhibita, hoc equuleo tortos efficaciter conſolentur. Tanta apud noſtros indulgentia eſt in liberos, ut veſicatoria, quæ in tuſſi hâc Sydenham celebrat, tanquam præcipuum auxilium, cane, utplurimùm & angue pejus fugiant. Nec delicatiores uſum liquor. C. C. ſuccin. vel ſpir. ✱c. aniſat. ut homines naris minùs obeſæ, niſi cum moleſtiâ, ferunt. Tincturæ fl. pap. rh. certo modo præparatæ virtus aliquoties non levis deprehenſa fuit, quæ tamen minimè comparari poteſt cum ſimpliciſſimis pulveribus antiſpaſmodicis cum debitâ cautelâ exhibitis. Pulvis antepilepticus Ludovicianus, cum judicio immutatus, id remedium eſt quod ſumptuoſis & exoticis præferri tutò poteſt. Sed, quid de V. S. dicendum? Eam efficax ſanè in tuſſi hâc auxilium eſſe vix dubitamus. Et Riverius locuples teſtis eſt, Pariſienſes Medicos in teneriori ætate & lac ſugentibus pueris à V. S. non abſtinere. Gualterus Harris Medicus Londinenſis, de morbis pueror. part. 3. in gravibus inflammationibus venam pueris ſecari poſſe concedit. Et ſanè, ſi Galli, aliique in V. S. in puerulis peccant, quod facile crediderimus: Nos ſanè, ut in totâ Germaniâ, ita in Sileſiâ quoque omni ex parte eandem

Tuſſis convulſiva infantum.

(r) Conf. *Caſtig. Græbner. noſtræ p.* 41.

dem omittentes, excuſari non poſſemus, niſi, contra vulgi & muliercularum opinionem aliquid facere, eſſet contra torrentem navigare. Nota nobis ſunt exempla puerorum, qui fortuitâ narium hæmorrhagiâ ab hâc tuſſi evaſêre liberi. Vulgus noſtrum, in quâvis tuſſi, pingvedinem lucii piſcis & taxi cum multâ fiduciâ plantis pedum affricat.

Atrophia. Ab hoc puerili affectu ipſa mali omni hyeme frequentia ducit nos ad alium, quem vulgò atrophiam dicimus. Corripiuntur eo malo lactantes & ablactati, potiſſimum tamen poſterioris generis. Primò omnium caro fit flaccida, deinde habitus externi corporis in iis ſenſim conſumitur, atque tabeſcit caro citra ἀνορεξίαν, aut alium affectum manifeſtum, etiam in iis, qui avidiſſimè cibis inhiant. Pulſus circa veſperam celerior evadit, inquietudo nocturna cum ſiti adeſt non ſine ſuſpicione febriculæ. Abdomen aliis ſine extuberantiâ durum tantum eſt, aliis verò tenſum exiſtit & tumet. Creſcit malum tempore, & tandem veram ſceleti effigiem tabidi illi oculis ingerunt, ut cunctâ deperditâ carne, vix oſſibus hæreant, multò minus pedibus inniti poſſint. Ferè autem omnes, qui ex eo malo periclitantur, admodum ſunt voraces, & præterea naturâ torpidiores. Non immeritò etiam fundum calamitatis hujus dixeris nocturnas potulentorum frigidorum ingurgitationes. Quotquot certè pueri cum prætumido abdomine, & contabeſcentiâ corporis nobis oblati, quorum numerus certè non minimus, illos omnes noctu potum frigidum ſumere conſueviſſe comperimus. Ex vividioribus & agilioribus non multi hoc involvuntur malo, niſi vel alvus ſit ſegnior, vel diarrhϾ & lienteriæ, pravo conſilio, adſtringentibus ſubitò tollantur. Plebeji & alii ſacris medicinæ non ſatis initiati, cauſam contabeſcentiæ hujus in vermiculos capillares, quos Heinricus Varenius aliique crinones vocant, conjiciunt, quaſi illi alimentum infantium, quos infeſtant, abſumant, adeoque maciem inducant. Conf. Schenckius *l.* 5. *obſerv.* 188. Nonnulli aliud quoddam vermium genus in hâc atrophiâ cachecticâ, accuſant, quos inter eſt Brenggerus *in epiſt. ad Hœchſtetter.* Plater. *l.* 3. *prax. c.* 13. Olevianus ap. Reuſn. *obſ.* 97. Sultzberger *ap. Sennert.*, confer etiam Camerar. *Cent. memorab. Med. XII.* Sed in noſtris illis (*s*) manifeſta ſatis contabeſcentiæ cauſa eſt obſtructio ductuum lacteorum & glandularum, viſcerumque glanduloſorum lenta ac viſcida, hinc autem neceſſariò reliquum corpus debito ſibi alimento defraudatur, ac ad tantam redigitur maciem. Huic theoriæ innixa praxis, niſi malum prorſus inveteratum ſit, læto exhilaratur eventu. Conſuevimus ferè hîc in uſum vocare tinct. mart. aperitiv. vitriolatam, arcanum duplicatum, inducti exemplo Cl. Daniel. Ludovici *in Ephem. Germ. Dec. I. ann.* 3. *p.* 389. Dedimus etiam aliquando crocum mart. aperitivum, c. tartar. vitriolat., nitro ♀iato, eodem conſilio ad removendas obſtructiones, & eôdem etiam

eventu.

(*s*) conf. *Caſtig. Græbner. p.* 41.

eventu. Molimina plebis noſtræ ac chirurgorum heic recenſere non vacat, cum ſatis nota ſint, & antiqua, & ab aliis luculenter deſcripta. Loco omnium evolvi poteſt Celeberr. Polyhiſtoris, Collegæ quondam noſtri, Welſchii eruditiſſima exercitatio *de vermib. capillarib. infantum* §. 12. Hoc unicum tantum addimus, apud nos extra dubitationem poſitum eſſe, quod ſubinde infantes à vermiculis ſub cute in artubus & præcipuè dorſo infeſtentur atque ab his interdum vigiliæ, pruritus & corporis extenuatio oriantur, id quod luculentè docet obſervatio Medica Celeb. Lipſienſ. Medici Ettmulleri *in Act. Erud. Lipſ. ann.* 1. *p.* 316. Verùm hoc malum non adeò frequenter apud nos obſervatur.

Opem quoque noſtram quidam hæmoptoici præcipitante menſe hoc implorarunt, & notavimus, quàm facilè vulgari errore rejectio quævis ſanguinis per os, hæmoptyſis credatur. Lommius *lib.* 2. *Medicin. Obſerv.* rectè quidem ait, ſanguinem ſpumantem ac floridum, ex intervallo per tuſſim ſine dolore eductum, è pulmone ferri, &, ut errores evitentur, providè notat, eum, qui faucibus & gurgulione fluit, ſcreatu; qui ex ipſo ore, ſputatione; qui ex ventriculo, vomitu; qui ex gutture, tuſſiculâ pelli; Enim verò nondùm ſufficere hæc, ex praxi ipſa edocti ſumus. Illo, de quo modò loquimur, tempore non raro cum materiâ catarrhali ad fauces ſtillabat ſanguis, cujus rejectio ſcreatum & ſputationem ac ipſam tuſſim conjunctam habebat. Hunc enim affectum ut ab hæmoptyſi diſcerneremus, ſollicitè attendimus ad ſigna illius, quæ Thiermairius *lib.* 2. *Conſil. Med. c.* 6. *in Schol. p.* 84. recitat, ita ſcribens: *Signa hujus affectûs (ſanguinis excreti à capite manantis) ſunt dolor & gravitas capitis, faciei rubedo, ſanguinis, qui per nares excerni ſolebat, interceptio, reſpirationis facilitas, catarrhi à capite repleto frequentia, ſubinde acrimonia, tuſſis non magna, ſcreatio tuſſi frequentior, ſanguis excretus non adeo copioſus, non floridus;* quorum pleraque ita ſe habere, loquitur experientia. Paucos reverâ vidimus ſine noxâ evaſiſſe hæmoptoicos. Vir in florida ætate conſtitutus, cum impetu copioſum effundebat ſanguinem, & purpuream tandem evomebat animam; Aliqui in lentam tabem & phthiſin prolapſi ſunt. Adeò verum eſt Ovidianum illud: Hæmoptyſis.

Cernis, ut è molli ſanguis pulmone remiſſus
Ad ſtygias certo limite ducit aquas.

Quod pulcherrimè Magnif. Præſes noſter *in Schol. ad Obſerv.* 66. *D. Helwichii p.* 220. huc trahit. Eò in curâ collimarunt noſtra conſilia, ut quantocyùs fluxum illum compeſceremus, niſi fortè pleuritis eum comitaretur, in quâ periculoſæ res aleæ eſt fluxûs illius inhibitio. Hinc adſtringentia & opiata non pauci ſuadent. Nos, quantum fieri potuit, adſtringentia & repellentia, ut & opiata cruda vitavimus. Si durum il-

(*t*) conf. *Caſtig. Græbner. p.* 42.

lud telum neceſſitas aliquando ad adſtringentia propinanda nos compulit, ex uſitatioribus illis, Uſneâ cran. hum. Sperniola Crollii, tinct. terr. catech., corall. ſtypticâ, antiphtiſ. Mich., croc. ♂., pro variâ ſubjectorum diſpoſitione, modò hæc modò alia adhibuimus. Reſpondit votis noſtris & ægrorum etiam lapis, hæmatites in tenuiſſimum pollinem contritus, &c. ▽. plantag. l. burſ. paſtor. ſæpè transfuſus & colatus, immixto convenienti ſyrupo, quâ in re præeuntem ſecuti fuimus Foreſtum *lib.* 16. *obſ.* 17. Species quoque confect. de hyacinth. aliquoties profuiſſe vidimus. Semen hyoſciami albi in doſi exiguâ interdum reliquis interpolatum non eſt rejiculum, ſi autem vel in doſi excedas, vel continuò adhibeas, ægrum tuum ſtupidum reddes. Junximus hiſce reſolventia eo fine, ut extravaſatum ſanguinem diſcuteremus, ne fortè pulmonibus impactus, exulcerationis eorundem cauſa evaderet. Uterque & adſtrictionis & diſcuſſionis ſcopus videtur propoſitus fuiſſe Sylvio in concinnandâ formulâ, cujus deſcriptionem communicavit *l.* 1. *prax. c.* 9. *p.* 173. Addunt his tertiò etiam conſolidantia & vulneraria, quibus tamen raro ob adſtrictoriam eorundem virtutem utimur, niſi fortè æmula ſint ejus, quod extollit Jacob de Maphæis, decocti ex veronicâ, hederâ terreſtr., quod cum unc. duabus ſucci plantaginis in jure gallinæ commiſcet. Laudem eo nomine merentur etiam fol. alchimill. c. ariſtol. rotund. Centinodium maximè æſtimare Cl. Wedelium novimus. In iſtum cenſum porrò referri poſſunt tuſſilago, conſolida, pyrola, & ex experientiâ Cratonis noſtri etiam chamædrys. Scordium contra putredinem egregiè militare, vel in vulgus innotuit. V. S. c. D. Graſſio celebrat D. Preuſſius, eique ſoli malum hoc ceſſiſſe cognitum habent. D. Helwich recordatur, ſe illo tempore in conſilium adhibitum ab aliquo fabro murario (qui in hæmoptyſin incidens, neſcio ad quem medicaſtrum confugerat, & per biduum jam ſpiritu vitrioli non edulcorato uſus fuerat) cùm tertiâ die ſanguinem floridum ſpumoſum cum tuſſi, quam præceſſerat difficilis reſpiratio, rejiceret, ad illum accurrit, ſermone ad tempus, propter effluxum ſanguinis durantem initio impeditus, tandem balbutiens quid actum exponit. Reſponſum fuit venam aperiendam eſſe; obtemperabat hæmoptoicus, ſed ex venâ ritè pertusâ parùm ſanguinis effluxit, unde ad alia diſcedendum fuit. Et tùm quidem primâ vice virtutem nitri in compeſcendâ hæmoptyſi experiri voluit, deditque majorem conſuetâ doſin, ac præſens & efficax ex uſu ejus auxilium admiratus eſt. Animus hinc ei additus tentandi etiam in aliis virtutem nitri, in ſiſtendâ hâc excretione ſanguinis, ac illam ubique maximam, etiam in conjuge, ex eo malo per intervalla jam ab octo annis laboranti, deprehendit. Occaſio verò cognoſcendi hanc nitri vim, ei ſe obtulit in ſacerdote Soc. Jeſu, nimio hæmorrhoidum fluxu, æſtu vago aliiſque ſymptomatibus fatigato. Huic cùm varia adhibita eſſent medicamenta, tandem ad ebullitionem ſanguinis domandam pulvis nitroſus præſcriptus eſt, ex

uſu

uſu hujus fluxus imminutus, & cum pulvis iteraretur, prorſus etiam cohibitus eſt. Poſthâc in immodico menſium fluore, cæteris non proficientibus, imò & nimiâ lochiorum evacuatione expectationem vicit. Tandem etiam cupido inceſſit explorandi, quid nitrum in ſedandâ hæmoptyſi poſſit; ac etiam in hâc domandâ luculente admodùm cæteris non omiſſis, virtutem exeruit. In ſinu itaque gaviſus eſt, cùm Celeberr. Stahlium Prof. Hallenſ. *in Obſ. Chymic. Phyſic. Medic. Curioſ. p.* 464. conſentientem ſibi inveniret. Viri iſtius Verba hæc ſunt: *Salvâ ſc. veritate aſſeverare poſſum, quod numeroſis hæmoptyicis, drachmâ dimidiâ, ſcrupul. duob. ad drachmam integram nitri, per vices opportunas exhibiti, ita efficaciter ſubvenerim, ut coërcito, quicunque ſuberat, ſanguinis orgasmo, non modo citiſſimè, ſed etiam conſtantiſſimè ceſſaverit eruptio, atque fluxus.*

Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat, ſolitis ſtipatum ſymptomatibus, (u) Quibusdam diſtenta erant hypochondria ac tumebant, non ſine dolore pulſatorio, ſubinde etiam gravativo, impeditæ circulationis indice, qui non rarò ad ipſum dorſum vagabatur. Vidimus etiam videlicet in corporibus exſuccis & ſtrigoſis, in hypochondriis maculas ſcorbuticas varii generis. Ventriculi concoctio perlanguida ſatis erat, cruditatiſque ejus ſoboles, ructus, crebrò infeſtabant. In ore tædium pariebat ſapor aliquando ſalſus, nonnunquam nitroſus, ſæpe acidus, rarò dulcis; ſputatio crebra notabatur. Nullus tamen noſtrûm quenquam curavit, qui, ut ille apud Sennert. *lib.* 2. *Inſtitution. p.* 3. *ſ.* 1. *c.* 4. mille ructus unâ die emiſerit. Fuère verò hi ructus utplurimùm acidi, cujus modi hypochondriacis familiares eſſe conſueverunt; teſte etiam Foreſto *l.* 10. *obſ.* 13. *in Schol.* Vomitus quibusdam ſtato tempore revertebantur, hodieque ſupereſt, qui ad exemplum monialis illius apud Guilielm. Fabric. Hildan. *Cent.* 4. *obſ.* 32. continuis obſtructionibus obnoxius ferè quotidiè ingeſta revomit, nullis proficientibus remediis. Nec aberant inflationes *βορβορίγμοι* ac ejus generis rugitus, quos Comes ille apud Montan. *conſil.* 229. perpeſſus dicitur, ac novit D. H. adhuc hodie fœminam in ſterili conjugio viventem, quæ ob perpetua illa inteſtinorum murmura pertinaciter inhæret iis cogitationibus, quibus quondam indulſit ancilla in noſocomio Torgenſi, de quâ Brunner. *Conſ.* 7. teſtatur, eam crediddiſſe, in ventre ranas ſe habere. Alvus omnibus ſegnis, medicamentis ſui officii admonenda erat. Scybala viſcida, & in uno alterovè caprarum excrementis haud diſſimilia, non tamen meminimus nobis obveniſſe, qui Lipſianis illis analoga rejicerent. Pollicem iis premere neutiquam poſſumus, qui lienem vel indurari, vel in tumores in hoc malo attolli, præfractè negant; nam feré omnes in quibusdam hypochondriacis duritiem in regione hâc, circa lienem, in aliis elevatiorem tumorem, qui proximé acedit ad eum, quem deſcripſit Fernelius *Conſil.* 43. & Trincavell. *lib.* 3. *Conſ.* 44. deprehendi-

Malum hypochondriacum.

(u) conf. *Caſtig. noſtræ Græbner. p.* 44.

deprehendimus. Anxietates præcordiales, cordis palpitationes, vertigines, pavores in ſomno, terrificis inſomniis interturbato, aurium tinnitus, dolores varii, ea ſunt mala, quæ preſſo pede morbum hunc confirmatum ſequuntur, & multoties nobis occurrerunt. Urinæ ſabulo tartareo refertæ ſunt. Glutinoſam quoque ac partibus viſcidis & craſſis ſcatentem vidimus, ut & in plerisque ſimilem illi, quam deſcribit Highmorus *tract. de affect. hypoch. c.* 1. Pulſus in plerisque languidus & interciſus, ac à non nemine noſtrûm in corporis ſui partibus illis obſervatus, in quibus aliàs ordinariò percipi non ſolet, cujus generis exempla etiam alii auctores, Cæſar. Claudin. *Conſult.* 35. 46. 47. Hieronym. Mercurial. *tom.* 2. *conſil.* 11. Salmuth. *cent.* 1. *obſ.* 46. aliique recitant. Æſtus vagi indivulſi quoque mali hujus comites. Præclarè etiam Luchtenius & Lælius à Fonte obſervarunt in nonnullis corporis membris motum quendam veluti viventis & hinc inde diſcurrentis, id enim in conſummatis hypochondriacis plus vice ſimplici à nobis animadverſum fuit. Molimina hæmorrhagias comitantia hæmorrhoidumque labores attenti Practici obſervationes effugere non poſſunt. Vivit adhuc ex ordine Auguſtinianorum Strelæ ſacerdos, hypochondriaco malo obnoxius, cujus, quod fidem ferè excedit, ſingulis diebus, per plures annos hæmorrhoides adeò copioſè fluunt, ut frequentibus lipothymiis etiamnum infeſtetur, macieque, cum medicamenta averſetur, contabeſcat. Olitor quoque aliquis, cujus hæmorrhoides confertim ſanguinem ejaculabantur, ad D. Graſſium confugit, & in nitroſis & martialibus medelam invenit. Aſthma verò hypochondriacum magis adſtantes quàm Medicos terret, his quippe ignotum eſſe nequit, quod motus thoracis & diaphragmatis reſpiratorius ſanguinem in venis portæ, quem jure optimo hypochondriacum dixeris, commoveat, atque non ſine evidenti utilitate ægrorum intendatur, hâc enim ratione ſanguis in motu ſuo impeditus, ut ferè apud hypochondriacos eſt, iterùm in circulum propellitur. Argumentum hujus ſententiæ non contemnendum eſt, quod exantlato paroxyſmi aſthmatici labore, ſolitò ſint lætiores etiam ii, qui meticuloſitate inſolitâ, quæ extra paroxyſmum etiam aliàs ordinariò adeſt, riſum aliorum provocant, inſignem, niſi per paroxyſmum onere aliquo liberati eſſent, neceſſariò percepturi, ex motu hoc terroris pleno, langorem. Cujus rei duo vidit D. Helwich exempla in ſectatoribus inſtituti religioſi, qui cùm nocturno tempore, ex metu ſuffocationis ad captandum liberiorem aërem, ex lecto exiliiſſent, poſt aliquot horas, anxiis illis evoluti laboribus rarâ lætitiâ apud ignaros ſuſpicionem ſimulati morbi vitare non potuerunt. Tàm numeroſa ſymptomatum cohors debellata à nobis variis modis fuit. In eam verò maximè curam incubuimus, ut ſpiſſos attenuaremus humores, obſtructionum authores, non unâ etiam hìc ingreſſi viâ. Quidam laudant nodulos ex rad. ari, caryoph. helen. pinpinell. helleb. nigr. ex fol. & herb. abſinth. agrimon. ceterach. chamædr. chamæpyt. chelidon. min. marrub. alb., capil. ♀., fl.

&

& ſummit. bellid. bugloſſ., geniſt., cent. min., ſem. dauc. coriandr. nigell. & aromatibus temperatioribus. A nonnullis martialium virtus laudatur. Sunt etiam inter noſtros, qui multum tribuunt pilulis, quas ab Autore Becherianas vocant. Palmam verò dubiam faciunt omnibus, cautè adhibita ſalina urinoſa volatilia. Myrrha quoque & crocus eximiè profuerunt. Nec mixt. S., quam Clariſſimus quondam Döringius noſter alicubi mixturam Grasbeci vocat, planè indigna eſt elogio, quod meminimus ei à Tenzelio in Exegeſi Chymiatricâ tributum, in perfrequenti certè nobis uſu fuit. Non horruimus quidem etiam ægris noſtris propinare elix. ſplen. Michaël. antihypochondr. Mœb. aliorumque, neque tamen habemus, quod prolixè in laudem eorum ſcribere poſſimus. Quicquid verò egeris, curam vix ac ne vix citra uſum ſubadſtringentium feliciter abſolves. Et hic quidem non eſt, cur Practicus alia, præ tinctur. vitriol. mart. tartariſ. D. Ludov., nobis certè expertiſſimâ, ſolicitè deſideret. Ultra omnem ſanè iſta laudem poſita eſt, nec, quantum ſcimus, ullum aliud par ſibi habet medicamentum.

Illuceſcente Martio turmatim Scabioſi nobis occurrebant curandi. Varia quidem Scabiei genera iſto tempore vidimus, ac in bibliopego quodam, qui olim in Sueciâ vixerat, fruſtrà deformitatem mali mortui, quod cruſtam nunquam antè ſibi viſam, in tibiis adjunctam habet, tollere ſategit D. Helwich. Sed differentias iſtas proſequi, noſtri non eſt inſtituti. Humidiorem ferè in ſanguineis & phlegmaticis, ac in illis ad ſuppurationem tendentem, in his verò ad œdematoſos circa extrema tumores proniorem, è contrario ſicciorem in Cholericis & Melancholicis etiam obſervavimus. In ſenibus difficulter tollebatur, & vivunt adhuc quidam ab eo uſque tempore his ſtigmatibus deformes. Hinc non ſollicitanda fides Foreſti, qui *lib. 5. Obſerv. Chirurg. XI.* recitat de Scabie per 9. annos durante exemplum; at verò Takii illud prognoſticon, ſi ſenes teneantur inſolitâ ſcabie, proximè ſecuturam mortem, fallit. Fallaci ratiocinio nititur communis traditio, quòd pueros à variolis & morbillis præſervet ſcabies, non verâ experientiâ, quæ nobis multa in contrarium ſuppeditavit exempla puerorum, ſcabie infectorum, qui, turpi hâc larvâ vix depoſitâ, perſonam alteram illam induerunt, ac in caſtris varioloſorum militarunt. In medendo ipſam naturam, ut par erat, ducem ſecuti, quæ ab interioribus viſceribus ad exteriora impuritates has detrudit, blandis diaphoreticis inſtitimus. Miſcuimus verò Rob. ſambuc. c. ♄. d., bezoard. miner., martial. & ſyrup. card. ben., aut fumar., interdùm etiam tinct. bez. dedimus. Quibus res anguſta domi, iis euporiſton ex decocto ſeri lactis c. fumar. ſatisfecit. Vulgus barbitonſorum & balneatorum decocta lignorum ſine diſcrimine ægris obtrudit, cùm cholericis ſcabie pruriente & ſiccâ afflictis malum exaſperent. Veſperi pulverem abſorbentem ordinavimus, ut hâc viâ ſalinam acredinem domaremus. In expellenda ſcabie ſulphur commune c. ſuccino miſtum ſpecificam obtinere vim, non immeritò creditur. Scimus purgantia Scabies.

D à

à multis tanquam neceſſaria ſuaderi, imò eorundem iteratam præſcriptionem à Joële & Barbette urgeri, quia tamen hoc pacto à peripheriâ ad centrum inquinamenta revocari ſatis conſtat, iis fere abſtinuimus, niſi primæ viæ ex diætæ erroribus eſſent impuriores, in quo tamen caſu lenioribus ferè uſi ſumus, iiſque merc. d. junximus. Ex metu eorundem malorum parcè diuretica præſcripſimus, præter nitroſa, quæ & refrigerant & acrimoniam demulcent. Nec V. S. celebravimus, nec cucurbitulas ſcarificatas, quas à Thonero laudari ſcimus, frequenter apponi juſſimus, tametſi aliàs ſententiam Rhodii *in Analectis ad Septal.* non per omnia probemus. Deinde corpore ritè diſpoſito ad inunctiones deſcendimus, ubi ferè ſemper mercuriales nobis in uſu ſunt. In robuſtioribus Adipem porcinam c. mercurio ſ. q. terebinth. ext. ad præſcriptum Wedelii *in Amœnit. Med.* ordinavimus, in aliis mitioribus uſi ſumus. Noſtri pharmacopæi plebi utplurimum vendunt ſequens unguentum:

℞. Terebinth, lot. ℔. ij.
Butyr. Majal. ℔. iiij.
Sulphur. citr.
Rad. Pimpinell.
Ariſtoloch. rotund.
Bacc. laur. aa. unc. j. ſemis.
Alumin.
Ceruſſ. aa. unc. ſſ.
Cer. citrin. ℔. j. M. F. l. a. unguent.

Hoc, aut potius mercuriali unguento manè & veſperi carpos manuum, tarſoſque pedum inungi moderatâ quantitate juſſimus, & ſcabiem aliis ſæpè incurabilem intra menſis ſpatium abegimus. Ad remanentem ſubinde cutis aſperitatem olei tart. per deliquium efficaciam cognitam habemus. In delicatioribus unguentorum mercurialium ſpurcitiem & nidorem ferre recuſantibus D. Helwich tinctur. antiphthiſic. D. M., à cujus interno uſu abhorret, optimo cum ſucceſſu non ſemel adhibuit. A ſcabie intempeſtivè, ut ſubinde conſilio muliebri & Medicaſtrorum fit, repulsâ & mortem ipſam conſecutam cum Amato Luſitano *l.* 2. *Curat.* 33. &, quæ hanc minantur, graviſſima ſymptomata, palpitationem cordis, epilepſiam, cardialgiam, confer hic Schenckium *l.* 1. *Obſerv.* 99. & febres vidimus, ut de vomitu, diarrhæis *&c.* nihil dicamus. Duplici autem modo hic peccari in curâ ſolet. Nam à non paucis intentio ad ſubigenda ſymptomata, horum cauſâ ferè neglectâ, dirigitur, malo utplurimùm eventu. Aliis contrà, cùm ſciant totius negotii cardinem in eo verti, ut inquinamenta iterum ad ſuperficiem corporis ejiciantur, ſolenne eſt, impetuoſiora ſudorifera in uſum vocare. Regiâ illi, noſtrâ multiplici experientiâ, incedunt viâ, qui, quantùm ejus fieri poſſit, interiora viſcera ab ulcerosâ corruptione præſtant immunia, ſymptomatibus cautè peſſulum objiciunt, & mitioribus diaphoreticis ferè ſine regimine exhibitis recrementa retropulſa blande revocant.

Fruſtra

Fruſtra ferè hîc ſperatur auxilium, niſi mercurio ſupplicetur. Et hic quidem D. Helwich. *mercur. d. ſcrupul.* 1. in robuſtioribus c. lap. 69. exhibet, & poſt dies aliquot eandem repetit doſin, interponendo diebus intercalaribus uſum mixturæ alicujus diapnoicæ ſæpè etiam ſolius eſſentiæ ſcordii ſaturatioris; In infantibus, quorum genus nervoſum, cui vulgò mercurius creditur eſſe inimicus, debilius eſt, monitis Ludovicianis ſeſe conformat, & numero annorum grana mercurii attemperat, ſed iterùm ſine ſtimulo purgante, ubi verò iterum ſcabies denuò porupit, facilè eſt, eam tactâ ante methodo, ſi non citò, tutò tamen perſanare.

Circa idem tempus non paucos moleſtiſſimus tantùm non exanimabat pruritus, præprimis ſenibus & cœlibibus graviſſimus fuit, ac inter hos hominibus ſiccioris conſtitutionis. In hâc noſtrâ civitate non deprehendimus vera nota illa mercurialis: Repetita purgatio & ſanguinis miſſio ſola curavit pruritus, ut ego ſæpiſſimè ſum expertus. Præmiſimus tamen & nos epiceraſtica. Cucurbitulis ſcarificatis, quæ dorſo, ſcapulis, humeris, femoribus applicantur, multi confidunt, & in ſucculentioribus aut huic remedio aſſuetis, omninò earum uſus eximius à nobis ſpectatus, ſed in ſtrigoſis illis corporibus nullum effectum commendabilem cernere licuit. Ex uſu diaphoreticorum & decocti lignorum, pruritum ad lipothymiam ferè auctum vidit D. H. hinc ſuſpicatus, quod ichoroſi halitus hydroticorum uſu ad ambitum corporis in majori copiâ propellantur, & acredine ſuâ plures moleſtias ſcalpturientibus digitis faciant. Præpollent hîc aliis medicamentis nitroſa & diuretica ſaponaria, quæ ſalſas & acres atomos ad vias urinarias deducunt. Laxior lactis cura nonnullis etiam levamen attulit, ac magis ipſum lactis ſerum virtutibus alterantium quarundam herbarum impraegnatum. Balnea aquæ dulcis afflictos egregiè ſolabantur. Noſtra methodus hæc fuit: Dedimus manè pulverem nitroſum, aliis debilioribus etiam ſpiritum nitri dulcem in larga quantitate in infuſo quodam propinavimus, circa noctem verò emulſionem dedimus.

Primus Aprilis dies nobis ſerenus illuxit & calore ſuo Veris delitias ſperare juſſit. Non diuturna tamen hæc nobis felicitas fuit, nam nebulæ & pluviæ à meridie primis diebus nobis gratum Solis aſpectum ad breve tempus ademerunt. Qui ſecuti dies vernali tepore ad plenilunium omnia brumali aurâ quaſi rigentia blandè vegetabant. Deinde Cœlum varium erat, interdum ſerenum, interdum nebulis obductum, nimbos ac pluviam in nos effundebat. Majus, quo aliàs omnia rident, & eſt formoſiſſimus annus, nebulis, pluviis & ventis, ſi paucos amœniores dies excipias, rigidus erat. Eſt verò Sileſia, ut benè Doctiſſimus Schwenckfeld *in Geographicâ Sileſiæ delineatione, catalogo ſtirpium & foſſilium præmiſsâ*, notavit, ventis præcipuè aquilonaribus & occidentalibus expoſita. Cum verò hi corpora noſtra graviora reddant, eos non immeritò cum Horatio dixeris plumbeos, & reapſe experti ſumus, quantum vigorem noſtrum tùm temporis depreſſerint. Junio iterum amœnior ac ſerenior aer, cujus jucunditatem etiam

vergente ad finem Majo deguſtaveramus, comparuit, neque tamen ad finem proceſſit ſine imbribus, quorum iram proximi Vratislaviæ accolæ perruptis aggeribus gravem, cum damno ſanitatis & facultatum, experti ſunt. Graſſabantur apud nos eodem tempore morbi plerique ab Hippocrate enumerati, ubi de morbis vernalibus ei ſermo, furores, inquam, melancholiæ, epilepſiæ, fluxiones ſanguinis, anginæ, gravedines, raucedines, exanthemata varia, & articulorum dolores, ac, quas reliquis morbis meritò addimus, febres intermittentes, quæ tùm in ſcenam prodibant. Non fert noſtrum inſtitutum, ut fusè ediſſeramus, quomodo Ver morbos hos pariat. Scimus non eſſe ad genium & palatum ſeculi noſtri, illa Hippoc. *lib. de natur. human.* verba: *Cæterum vere pituita adhuc fortis in corpore manet, ſed ſanguis augeſcit; nam & frigora remittunt, & imbres ſuperveniunt. Sanguis autem juxta hæc augeſcit ab imbribus videlicet, & calidorum dierum tempore. Hæc enim anni pars maximè juxta naturam ipſi competit, ut quæ calida & humida exiſtat*; ſcimus, inquam, hæc à receptis noſtri ſeculi dogmatibus diſcrepare, neque tamen, quia æquum pretium & laudabilibus neotericorum inventis & ſolidæ veterum experientiæ ex ipsâ praxi ſtatuere didicimus, Hippocratica illa, ſi cordata accedat interpretatio, nigro notanda lapillo arbitramur. Nam nimis manifeſtum eſt, ſanguinem in hominibus attenuari & corpora fieri plethorica tempore vernali, & hæmorrhagiæ, quæ tam frequenter Practicis circa illud tempus negotium faceſſunt, vel invitis hoc perſuadent. Hyeme verò & ſub ingreſſum veris, ſanguinem eſſe viſcidiorem, ac pituitâ redundare, non uno conſtitit hactenus experimento, ac cumprimis memorandum illud doctiſſimi Gliſſonii, varia animalium jecinora ſecantis, ut omnibus numeris abſolutam orbi literato daret Anatomiam Hepatis, quâ deprehendit obſtructiones & tumores in boum jecinoribus tempore brumali non aliunde ſanè niſi à lentore & viſciditate ſanguinis ortum ducentes. Utroque itaque oculo ad illam humorum conſtitutionem intenti, ægris Medicinam fecimus, ac in præſervandis aliis, non tritâ empiricorum ſemitâ, qui ſine diſcrimine omnes purgantibus & V. S. tractant, inceſſimus.

Verùm ex re erit, frequentiores ejus temporis morbos, cum præcipuis ſymptomatibus recenſere, & rationem modumque curandi, à nobis obſervatum, breviter ſubnectere.

Hæmorrhagiæ. Converterunt verò eo temporè oculos noſtros ad ſe hæmorrhagiæ, ac docuit nos attenta conſideratio, quòd verâ & ſolidâ experientiâ nitantur, quæ ſolertiſſimus Hallenſium Practicus ac Profeſſor D. Stahlius paſſim monuit. (x) Nam omninò ætate puerili, & adoleſcentiæ ſanguinis excretiones è naribus, & his non ſuccedentibus, dolores capitis tenſorios vidimus. Hæmoptyſes verò præſente plethorâ, aut varia circa pectus incommoda, ceſſantibus præprimis anteà conſuetis narium hæmorrhagiis, juvenibus

(x) conf. *Caſtigation. Noſtræ Graebnerian. p.* 54.

nibus magis familiariter evenère, quemadmodum vomitus cruenti, aut non unius generis pathemata circa venam portæ viris & fœminis, vitæ ſedentariæ deditis, acciderunt. Paulò annoſioribus hæmorrhoidales depletiones ſolemniores fuère. Et ſanè motûs varii circa ſplenem, colici dolores, flatulentiæ, teneſmi, *&c. &c.* mala tota die in praxi occurentia, in iſthâc ætate eruptionem hanc partim moliuntur, partim comitantur, quod toties totieſque obſervavimus, ut de doloribus iſchiadicis, podagricis, varicibus, nephriticis ſtaſibus & inflammationibus, ulcerationibus, quæ impeditiorem motum ſequuntur, jam non loquamur. Mictûs cruenti exempla, & in muliere circa quadrageſimum annum, & in Illuſtris dignitatis Viro circa 65. habuit D. Pauli. Cæteroquin affectus ille apud nos rarior. Circa loca illa corporis, quibus ſanguis erumpit, ab eodem ingenioſiſſimo Stahlio moniti, ſpaſmodicas preſſiones, ſanguinis congeſtionem, vaſorum & pororum tenſionem atque turgeſcentiam, cum ſenſu ardoris, lancinationis & pulſationis, facilè fuit dignoſcere. Et, ferè ad ejus mentem, curam felici cum ſucceſſu inſtituimus. Violentioribus vero ſanguinis depauperationibus, efficaciſſimis, quantum in nobis fuit, remediis occurrimus. Et ſanè niſi id fiat, preſſo pede, præter languorem, partium poroſarum ſubſidentiam ac duritiem, humorum dyſcraſiam, in gracilioribus contabeſcentia, in laxioribus corporibus tumores œdematoſi, & illud Medicorum ſcandalum hydrops conſequuntur. Omnibus verò præfatis malis repentinum ab uſu validiorum adſtringentium augmentum accedit. Inſolita uteri hæmorrhagia eodem vere Septuagenariis proximas, quæ nullo remediorum genere cohiberi potuit, in mortem præcipitavit. Præcedebant hanc ſanguinis effuſionem, obſerv. D. Helw., tormina, qualia dyſentericis dejectionibus præludere ſueverunt. Fabula hæc in duabus per tres ſeptimanas ſpectabatur, ejuſque Epilogus, proſtratis viribus omnibus, ultima viventium meta mors.

Sed his miſſis, genium intermittentium febrium illius tempeſtatis deſcribemus. Præcurrebant illam pandiculationes & oſcitationes, torpor & corporis gravitas, extremarum partium frigus, cutis aſpera, & cùm neſcio à quo Authore mentionem corrugationis ſcroti & mammillarum palloris injectam in hiſtoriâ febb. intermitt. nonnemo noſtrûm recordaretur, & ſciſcitaretur ex ægris, an res ita ſe haberet, affirmatum illud fuiſſe teſtatur; Pulſus debilior, ſed aliquanto frequentior. Tempore exhorreſcentiæ hæc cernebantur ſymptomata; creſcebat cum pallore frigus, ac illi, qui valido horrore concutiebantur, ſub finem frigoris ferè vomebant, in quibus verò rigor major erat, iis alvus liberior fluebat. Non adeò diu frigus durabat. Infeſtabat pleroſque reſpirandi difficultas, pectoris conſtrictio, anxietas præcordialis, & pulſus ferè exilior erat. Sub declinationem frigus & calor alternabant. Nonnullis etiam lachrymæ injuſſæ manabant. In æſtu aderat corporis calor & jactatio, capitis dolor, æſtus & pulſatio, vigiliæ, ſubinde deliria, totus habitus corporis calidus. Vultus rubore Febres Intermittentes.

ſuffuſus, lingua ſcabra, intenſa ſitis, urina ſaturatior. Quibuſdam etiam purpura, ſeu excretione miliari pingebatur cutis. His moleſtus erat pruritus in toto corpore. Elevabantur & extuberabant pori cutis cum rubore, inſtar cutis anſerinæ & ſenſim longiùs longiuſque ſerpebat malum, donec totius fere corporis cutis exhiberet veſiculas, quales ab inuſtione urticæ ſentiri ſueverunt. Corripiebantur verò maximâ ex parte mulieres, quarum ſerum ad effervescentiam pronum. Typus harum febb. non unius generis erat. Nonnullis paroxyſmi omni die, aliis tertio quovis moleſti erant. Curati quoque à nobis, quibus quovis die duo paroxyſmi erant ſuperandi. Nec infrequentes tertianæ duplices, in quibus paroxyſmô primo non reſpondet ſecundus, ſed tertius, ſecundo quartus, tertio quintus, quarto ſextus, atque ſic conſequenter, ita tamen, ut non tantùm tertio die, ſed & intercalari febricitent. Semitertiana paulò quidem rarior, at non prorſus defuère, qui omni die quidem febre corriperentur, ſed tertiò quôvis die duorum paroxyſmorum impetum ſuſtinerent. Vigebant quoque febres erraticæ, quæ incertis recurrebant diebus & horis. Ambigui hæremus, an in cenſum febb. intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem intermittentium indolem tragœdiam à calore ſatis intenſo auſpicabantur, cujus generis febrim, niſi fallimur, etiam Cl. Will. *lib. de febb.* 3. deſcribit. Et certè continuitatis ejuſmodi febres nobis ſuſpectæ fuère, nam ut ut ἀπυρεξία, quæ initio adeſſe videtur, genium intermittentis redoleat, languor tamen ſatis magnus, pulſus aliqua agitatio & cætera ſymptomata continuitatis opinionem confirmant. Eadem ferè nobis mens eſt de illis, quibus malignitas conjuncta eſt, & tamen remiſſione quadam non carent, quas etiam Vratislaviæ vidimus. Scimus à Præclariſſ. Medicis Petro Salio Diverſo, P. Neucranzio de Purpurâ, Sennerto noſtro, Simon. Pauli digreſſione de febb. malignis, Rhodio ac aliis hujuſcemodi febres in claſſe intermittentium poni. Nos utut Summorum Virorum experientiæ minimè detractum imus, nec noſtri Seculi mores hâc in re imitamur, ingenuè tamen confitemur, nobis veriſimilius videri, id genus febris referri ad continuas oportere. Et ſanè doloſo intermiſſionis cineri primarum dierum ſuppoſitum fuiſſe ignem continuarum, elucet ex eo, quod ſequentibus exacerbationem quidem caloris & ſymptomatum, non item veram remiſſionem obſervare liceat. Placidè tractavimus febres. V. S. non uſi ſumus, imò teſtimonium perhibere iis poſſumus, qui tertianam ſimplicem, adhibitâ V. S. in tertianam duplicem degeneraſſe ſcribunt, quod & nos illud, quamvis non frequenter, obſervaverimus. Vomitoriorum, tempore intermiſſionis, frequentior uſus, ac in tertianis cum vomitu tempore inhorreſcentiæ conjunctis ſingularem emetici, die intermiſſionis eâ ferè horâ, quâ præcedenti in paroxyſmo vomitus ſecutus fuerat, virtutem, materiâ exiſtente mobili, multis nominibus D. H. celebrat, ratus hâc methodo facilius febres intermittentes debellari. Nec Purgantia fuere neglecta, ſed præparatâ materiâ, vel in principio ſtatim, vel præſenti-

ſentibus in urinâ ſignis coctionis, cum levamine ægris imperata fuere. Quoniam verò hæ febres focum habent in primis viis, ventriculo, inteſtinis, vaſis meſaraicis, ac ipſa natura incidientia poſtulet, his inſtitimus & exhibuimus infuſa ex rad. ari, fumariæ, abſinth., centaur. min. Chamæp. card. ben. ſcord. *&c.* Plebs etiam in piperis laudes non vanè excurrit. Oleum piperis nigri commendat Andernacus, Penotus & alii. Et hoc cum Oleo caryophyllor. & tantillo camphoræ remixtum conſtituit oleum antifebrile D. Wedelii. Palmam autem omnibus præripiunt ſalia digeſtiva, tartar. vitriolat. arcan. duplic. ſal. lixiv. abſinth. centaur. min., card. bened., aperitivum *&c.* Hæc enim cùm in univerſum acria ſint, incidunt, diſſolvunt pituitam & reluctantur acido. Non multùm verò in ſeligendis illis ſcrupuloſi fuimus, gnari, quòd, ubi ignis injurias diu toleraverint, ad idem penè redigantur ingenium, nam non tantùm juxta obſervationem Clar. Redi, poſt plures & violentas uſtiones & purgationes, omnia abeant in cubos, ſed &, ſi crebrò uſtulentur, crebrò diſſolvantur, abeant in terram albam inſipidam, retuſis omnibus ſalinis aculeis. Certè horum Salium tanta eſt efficacia, ut Doctiſſ. Conringius, qui aliàs Paracelſica minimè omnium ſectatus eſt, ſe ad diſcutiendas febres felici ſucceſſu jam à 40 annis laudaſſe, & virtutem eorum mille experimentis ſibi innotuiſſe teſtetur. Addidimus iis præprimis poſt aliquot febrilium paroxyſmorum decurſum ſubinde ex præcipitantibus, talemque pulverem aliquot ante Paroxyſmum horis exhibuimus, & ab uſu ejus non rarò vomitus minimè violentos, in præcedentibus paroxyſmis non viſos provocari novimus. Ejuſmodi antifebrilibus in exanthematicâ intermittenti febre ſociavimus antiſcorbutica. (*y*) In contumacioribus febribus, reliquis debitè præmiſſis, tandem ad uſum corticis Peruviani deſcendimus. Exhibuimus illum ferè in ſubſtantiâ, ac invaluit apud noſtros mos, ut in formâ Electuarii præſcribatur. Eſſentia ejus ſegnior eſt. Non ignoramus, quondam vino albo fuiſſe infuſum, ac ægris propinatum, & novimus, id alibi hodiè adhuc fieri. Antimus Conygius ſeu vero nomine Honoratus Fabri, ut apparet *ex tract.* 10. *Phyſic. p.* 482. *in fine* in Pulvere Peruviano vindicato, *p.* 40. docet, *generoſo vino, eoque albo diluendum eſſe, & macerandum, ut vis illa vini altè penetrans corpuſcula in corpore latentia educat, ac in meatus arteriarum & venarum, factâ quaſi viâ ſecum vehat;* Sed, ut nihil diſſimulemus, rariſſimè in hâc formâ ſpem expectationemque implevit. Dedimus hoc ſpecificum antifebrile tempore intermiſſionis, non immediatè ante paroxyſmum, ac regimen calidum, vinorum & cardiacorum generoſiorum uſum ſeverè prohibuimus; Paroxyſmo à corticis uſu, ut ferè fit, imminuto, ægris continuationem ejus ſuaſimus, quamvis eum primâ vice exhibitum vehementior paroxyſmus utplurimum excipiat. In nonnullis diaphoreſin excitat, in aliis largiorem limpidæ urinæ fluxum pro-

(*y*) conf. *Caſtig. Grabner. noſtræ p.* 56.

promovet. Secutæ aliquando etiam ſedes ſunt, optimo utplurimum cum ſucceſſu. In febribus cum inflammatione quâdam conjunctis, nunquam non noxium deprehendit D. H. In febribus etiam aliis calidioribus obſcure remittentibus funeſtus fuit. Cùm verò etiam aliqui Medici in Sileſiâ adhuc hodie in ejuſmodi febribus corticem patientibus offerant, ſecuti Clar. Apinum & alios, non poſſumus non charitate proximi inducti & infelici experientiâ edocti, ab ejus exhibitione in febribus, quæ modò graſſantur, dehortari, ne & conſcientiam & famam maculent, quod ſanè contigit Celeberrimo alias Lowero, Short aliiſque, de quibus ille Medico-Maſtix in tripudioſo illo libro, qui inſcribitur, *Ars curandi morbos per expectationem p.* 242. ita ſcribit: *Lower, Short aliique ejuſdem farinæ Medici expeditiſſimam Chin-Chinæ virtutem febrium interpolatarum paroxyſmos ſupprimendi animadvertentes, & hujus exhibitionem in febres continuas itemque eas, quæ malignæ dicuntur, transferendam eſſe rati fuerunt. Et centenis aliquot patientum eum ignoranter & audacter adminiſtrarunt, de quibus febri verè continuâ torſis vix ullus evaſit ſoſpes, ſed denati ſunt omnes, præter eos pauciſſimos, qui aut validis conſtabant viribus, aut ebullitioni leviori, vel fermentationi diutius protractæ febris continuæ vel quaſi continuæ, licet verè interpolatæ, ortum imputabant, cujuſmodi audaciæ, temeritatis, & cum corio humano luſus eorum uterque pœnas luit, ſumendo Chin-Chinam in febri continuâ ab helluatione & temulentiâ perenni ortâ, quæ nono l. undecimo die aut circiter utrumque è medio ſuſtulit.* Cæteroquin in Paroxyſmis vix præter ſitim ſedantia adhibemus, niſi, quòd in hyſtericis aliquando fit, lipothymia infeſtet, quo caſu ad antihyſterica confugimus. Potum non negamus, modò non petant vel nimis calidum l. frigidum, *&c.* Hâc Methodo intra breve tempus febriles proxyſmos compeſcuimus. Illas verò intermittentes, ſeu veriùs occultas continuas, quibus malignitas complicata eſt, fruſtrà quidem aliâ, quàm quæ malignis convenit, ratione aggreſſus fueris. Et ex noſtrâ ſententiâ eximiæ prudentiæ Medicæ eſt, etiam verè intermittentes, epidemicè graſſanti aliquâ malignâ febri, illis, quæ ante memoravimus, alexipharmacis & bezoardicis oppugnare, nam id niſi feceris, oleum & operam perdes, ac vix ac ne vix impedies, quin æger tuus in prædominantem epidemicam prolabatur. Nobis quoque, ut obiter id moneamus, exploratum eſt, quod, quò magis increbeſcunt intermittentes, eò evidentius malignæ decreſcant, & minorem edant ſtragem. Sed nos è diverticulo redeamus in viam. Intermittentes hæ, ſi empiricè ſupprimantur, facilè degenerant in pituitoſis, in Hecticam, Icterum, omnium verò frequentiſſimè tumores œdematoſos pedum pediſſequos habent, qui ſigna ſunt incipientis cachexiæ & hydropis. Egregii uſus hoc in cenſu ſunt aperientia, incidentia, ac præ cæteris omnibus abſinthiaca. Suadent alii diaphoretica, diuretica, & imprimis quoque purgantia. Doctiſſimus Crato noſter extollit orbiculos ex rhabarbari extracto *Conſ.* 257. in quibus tamen tantas deprehendere vires non potuimus. Melius ſe geſſit fomentum

ex

ex vino, in quo ſolum abſinthium ebulliit, quod quartanario idem commendat. Domeſticum conſtituunt remedium radix altheæ & chelidon. minor. quas plebs omnibus tumoribus pedum promiſcuè applicat. Aliquoties levamen attulerunt decocta herbarum partim emollientium, ut chamæmeli, meliloti, partim exſiccantium & diſcutientium, ut bryoniæ, urticæ, calaminthæ, *&c.* partim adſtringentium, ut plantaginis, balauſtiorum; Providè ſcil., prout circumſtantiæ exigebant, pro ratione tumoris, miſcuimus hæc vegetabilia, & vel in vino, vel aceto decoqui curavimus. Hâc ſiquidem viâ duri tumores emolliri, humidi diſcuti & ſiccari, ac per adſtringentia tonus pedum laxior commodiſſimè reſtitui ac mali humores excludi poſſunt. Præproperi tumorum retroceſſus abſque ſenſibili evacuatione lugubrem minantur exitum, rejecto nimirum morbifico humore vel in laticem ſanguinis, vel nobiliores partes. Cæteroquin, quoniam poſt febrim etiam ritè curatam virium jactura ſupereſt, ſtudiosè incubuimus in hoc, ut digeſtionem validam & ſanam redderemus, appetitum acueremus, & languidum ventriculum ſolaremur vinô vel ceveviſiâ virtute amarorum vegetabilium imprægnatis, perquam generoſis hoc in caſu remediis. Cibos præterea eupeptos & euchymos ac vini generoſioris hauſtulum commendavimus. Rarius induci poſſunt noſtri, ut, ſuperatis febrilibus paroxyſmis, evacuans, quod tantopere Sydenham, magis tamen poſt autumnales febres laudat, ſibi à Medicis præſcribi patiantur, rati, ſibi eſſe humores corporis motibus febrilibus depuratos. Prohibuimus tamen, ne oleribus & fructibus horariis ad viſcoſitatem augendam aptiſſimis, corpus diſtenderent, quippè gnari, quod in vegetioribus facillimè hoc fomite ignes febriles denuò accendantur.

Vehementius eodem anni tempore dentientes laborabant, neque in noſtris his oris veritati conſona ſunt deprehenſa illa Ronſei de hum. vit. princip. ubi dentitionem hyeme admodum doloroſam, mitiorem æſtate, ſubitaneam autem & ſine omni ferè dolore, vere pronunciat, cui adſtipulatur, etiam Primeroſius de morb. puerorum, quamvis alias in vulgus ferè notum ſit, quòd quolibet anni tempore, alii magis, alii verò minùs excrucientur. Cauſa verò dentitionis iſtius magis dolorificæ, tempore vernali in turgeſcentibus nutricum & ipſorum infantium humoribus, quærenda videtur. Nam dùm turgent humores, major affluxus ſanguinis ad protrudendos dentes excitatur, hinc pruritus major, dolor intenſior, ac inflammatio febriſque vehementior oriantur. Sæviebant quoque pathemata ſpaſmodica, ac Epilepſia paſſim puſillorum corpora hoc menſe torquebat, multoſque jugulabat. Nihil non egimus, ut ſævum hoſtem à cervicibus infantum abigeremus; Et multoties experti ſumus, quantum in remediis inane! Eum tamen, quo divina nos bonitas beavit, ſubinde in curâ ſucceſſum, ferè magnâ ex parte adſcribimus accuratiori diſcuſſioni, an Epilepſia idiopathica, an ſympathica eſſet? Et in hâc quidem in pituitâ viſcidâ & acidâ ex Clariſſ. Ettmülleri opinione, fomitem habente, reſolventia,

Dentitio.

Epilepſia infantum.

incidentia & modeſtè evacuantia omne ferunt punctum; opiata verò utplurimùm Parentum & Medici ſpem inflant, ac mox deſtituunt. Si quæ autem Epilepſia ſontico alicui ſupervenit morbo, ſicut cum omni morborum infantilium genere facile complicatur, illa tolli vix poterit, niſi per prudentem primigenii morbi therapeiam. In Idiopathicâ autem, quò te vertas, vix apparet. Richardus Medicus teſtatur Deum (quô jure, quâve injuriâ, ipſus viderit) quod nunquam cognitionem ſufficientem habere potuerit morborum epidemicorum, conceptionis mulierum, & febris quartanæ. His, niſi fallimur, jure optimo maxime addi potuiſſet epilepſiæ idiopathicæ notitia, quâ hodièque, niſi nobis blandimur, aut ab aliis glaucoma nobis obtrudi patimur, ſolidâ certè & accuratâ deſtituimur. Idiopathicam autem credimus & illam, quæ vel à terrore nutricum, vel irâ earundem, aut aliâ inſigniori animi commotione pendet. Hîc, qui arcana ſua jactant, qui plenis buccis in ſpecificorum ſuorum laudem declamant, oſtendant præſtentque ſe viros! Quantâ potuit induſtriâ & circumſpectione Collegium noſtrum adhibuit nobiliora remedia, nec tamen parentum lacrymas, ſæpè Parcas, ut unicis ſuis parcant, placare cupientes, adeò frequenter abſtergere potuit. Utplurimum etiam obſervavimus, quòd, cum nutricibus menſtruæ purgationes, quibus ab initio lactationis ad tempus caruerunt, revertuntur, ferè ordinariò ſugentes in Epilepſiam prolabantur, difficulter admodum curabilem. D. Helwich in Epilepſiâ cum paralyſi alterutrius lateris conjunctâ, quam aliquoties tractavit, lumbricos turbas dare ſuſpicatur; certè ab aquâ quadam Mercuriali cum ſyrup. fl. perſicor. mixtâ debilioribuſque exhibitâ, ſymptomata hæc conquieviſſe meminit. Confirmatus in hâc opinione etiam alio exemplo. Puer 7. circiter annorum ſubitò corripitur aphoniâ ac paralyſi ſiniſtri lateris; Medicaſter quiſpiam è tonſtrinâ primò die ſudoriferum exhibet, altero purgans, tertio vomitorium, hoc accepto puer in horribiles convulſiones incidit, rogatus ergò, ut puero ad extremum vitæ redacto ſuccurreret, imperat frictiones, ſpirit. ✱c. urinoſ. naribus admovere jubet, enema injici curat, præſcribit potiunculam ex aqu. fl. til. ceraſ. nigr., pœon., epilept. L. ſpiritu epileptico in collectaneis Leidenſib. deſcripto, Liquor. C. C. ſuccinat. & ſyrup. flor. tunic.; hæc cùm aliquoties in largiori quantitate ori ejus infuſa eſſet, Puer per vomitum lumbricum duos digitos longum rejicit, & redit ad ſe, ſed ita ut die ſequenti vitam cum morte commutaret. Feliciorem eventum Generoſ. quidam Liber Baro in Filia 6. annorum, à lumbricis aphonâ factâ, curæque D. Graſſii concredita, ab ▽. memorata
Lumbrici. ☿iali cum ſyrup. fl. perſicorum expertus eſt. Occaſione verò hujus exempli paucis ediſſeremus, quâ ratione lumbricos, nullo non tempore noſtris infeſtos, fugare & necare ſimus conati. Aliquantò facilius inteſtinales, quando primaria morbi cauſa ſunt, cognoſcuntur ex morſu, lancinationibus ac inflationibus ventris, recurrentibus nauſeis, lipothymiis, copioſo ſalivæ per os effluxu, appetitu modò nimis aucto, jam verò prorſus dejecto,

jecto, alvo nunc aſtrictiori, nunc nimis fluidâ, oris fœtore, rubore genarum, ſiti circa auroram. Apud muliereulas certiſſimum eſt vermium ſignum, ſubito excitari à ſomno cum trepidatione; Enimverò in exanthematum eruptione idem hoc contingit, ſed pavor ille certius adhuc præbet indicium, cùm ſimul adeſt ſtridor dentium. Quando autem morbis jam exiſtentibus ſuperveniunt, diagnoſis longè eſt difficilior. In Febribus de Lumbricis cogitavimus, quoties hæ, quoad alia ſigna ſatis quidem mites videbantur, nihilominùs tamen extremitates apparebant frigidæ, diarrhæa, non nimia, ſed intempeſtiva excitabatur, ſanguis è naribus ſtillabat, ephidroſi corpus madebat, & ſigna quaſi pugnantia occurrebant. Oppugnavimus illos variis Medicamentis. Amara & Balſamica elegimus in Phlegmaticis & Pituitoſis, e. g. rad. Carlin. gentian., zedoar., dyptamn. herb. ſcord., abſinth. cent. min., & quam aliis præferimus Tanaceti, aloën, myrrham, ac ex his præparatas eſſentias, &c. Hâc in claſſe locamus etiam oleum abſinthii, zedoariæ, &c. Novimus etiam, quòd in extracto tabaci & chamædryos extra corpus pereant lumbrici, unde iſtorum uſus tentabitur a nobis, datâ occaſione. At in magnis infantum torminibus, cave, diutiùs amaris his inſiſtas, nam, exhibitis iis, dolores crudeliores excitantur. Pulverem corticis Peruviani inter eximia anthelmintica meritò numeramus. In ſanguineis, majori efficaciâ ſeſe commendant acida, atque inter hæc præprimis, tanquàm multis ſcopis ſatisfacientem deprædicamus mixturam ex tinctur. violar. & ſpiritu vitrioli, quâ cum optimo ſucceſſu uſi ſumus, tum potiſſimum, quando ſimul, quod minimè rarò fit, hæmorrhagiâ narium nimiâ vermibus obnoxii infeſtantur. (z) Duxit eò nos potiſſimùm Fr. Redi experimentum, quo monſtravit, lumbricos, in ſucco citri, aurantiorum, aliiſque ſubacidis brevi perire. Neque unquam ea incommoda, quæ alii ex acidorum uſu metuunt, nos expertos recordamur. Parciores ferè ſumus in exhibendis acribus & ſulphureis, niſi quòd egenis infuſionem ceparum crudarum & minutim conciſarum cum aqua aliquando Noſtrum Quidam cum Hieronymo Trago ſuaſerint. Balſamum ſulphur. ſuccinat. &c. tenellis corporibus non poſſe conducere, certi ſumus, quicquid alii dicant. Quando pavores ſub ſomno adſunt, pulveres ex unicorn. foſſil., corall., bol. armen., terr. ſigillat. &c. exhibemus, quæ & officium faciunt, quando ſedibus vires atteruntur. Nec deterremur contrario Celeberr. Rhedi experimento, quo fidem facit, in aquâ, cui terra ſigillata & lap. bezoard. fuerant commixta, ad aliquot dies ſuperfuiſſe lumbricos. Nam tametſi hæc, aquæ ſimplici infuſa, extra corpus, non polleant virtute necandi lumbricos, non tamen inde conſequitur, quòd cum lymphâ, aliiſque ſuccis in corpore, vivo calore turgenti, nihil laude dignum præſtent. Adultis, qui nec à nauſeabundis abhorrent, cum utilitate, ordinantur pulveres ex Salibus alkalicis, & ſaccharo, cui una alterave guttula

E 2 olei

(z) conf. *Caſtig. noſtra Grabn. p.* 56.

olei alicujus admiſcetur. Conf. Welſchium *in Curat. propr. Dec.7. Cur. 1. p. 371.* Et raro admodùm invenies lumbricis obſeſſos, qui ſalſamentis delectantur.

Primo autem meritò, inter anthelmintica, loco ſtant mercurialia. Jucundum ſpectaculum eſt, quomodo lumbrici in vaſe ſemipleno merc. hujus contactum fugiant. Innocentiſſimum paratur (ut paulò ante monitum fuit) Medicamentum, ſi ☿ius vivus c. ▽. gramin., hyperic. ſcord. coquatur, & hauſtulus c. ſyrupo convenienti, e. g. flor. perſicor., acetoſ., citr. propinetur. Conf. Wedel. *in Amœnit. Mater. Medic. l. 2. ſect. 2. c. 8.* Moroſiores decipi poſſunt, exhibitâ cereviſiâ, cum qua mercur., ex conſilio Boylii, conquaſſatus fuerit. Tutò, quod toties fecimus, etiam mercur. d. exhibetur. Et rotulæ ex ☿. d. c. ſaccharo in ▽. gramin. ſoluto, dulcedine ſuâ facile ſalivam teneris movent, citra ſubſequentem ptyaliſmum, ſi provide agas. Ejus generis Rotulas etiam deſcribit Zwelferus *in Pharmacop. Reg.* Cinnabarina ex eodem capite proſunt, quæ rectè pulveribus illis terreis admiſcentur, præprimis in metu convulſionum, quæ imminere videntur, quando in ſomno vociferantur & terrentur, nares prurientes continuò fricant, morſus ac lancinationes ſtomachi ac inteſtinorum percipiunt, aſſiduè manum regioni ventriculi applicant, abdomen inflatur, ſingultus, tuſſis ſicca, anxietas *&c.* premit. Quo in caſu etiam cætera Antiepileptica ac cardiaca anthelminticis combinantur, ut rectè monet Joh. Schyronius *lib. 3. method. medendi cap. 20.* Et non planè fruſtra hìc Riverius hypericum, alii autem pœoniam laudant. In febribus, cum animatâ putredine conjunctis, ii non formidabunt uſum mercurii d., qui eum in febb. malignis, pulveribus bezoardicis ad incidendam tunc ſimul ſemper peccantem ſalivæ totiuſque lymphæ viſciditatem, admiſcent, id quod novimus feciſſe Camerarium, & hodiè adhuc ejuſdem veſtigiis inſiſtere Lentilium. Sed ante hos in creberrimo uſu in febribus, in quibus ægrotantes vermibus ſcatebant, mercur. d. fuit expertiſſimo Practico Nicol. Cheſneau, ut apparet ex *libr. 3. obſerv. c. 8. obſerv. 2. p. 322. obſerv. 4. p. 325. obſerv. 5. & 9. p. 329. p. 315.* merc. d. ſe mirabilia præſtitiſſe in pluribus ægrotis, & ab ejus nomine pulverem CHESNEAU fuiſſe vocatum narrat. Nos in febribus, ubi vermium ſuſpicio, fere Cinnabari nativa contenti vivimus.

Epilepſia. Tàm frequenter etiam oculis noſtris obſervantur Epileptici, ut hiſtoriam Epilepſiæ contexere non adeò ſit arduum. (*a*) Faciemus verò illud breviter. Utprimùm morbus Comitialis invadit, homo ſubitò & improviſo concidit, ac id utplurimùm fit. Inter rariora numerandum, quod Mimus, toto corpore convulſus, non concideret, ſed erectus ſtaret apud Marcell. Donat. *lib. 2. hiſtor. mirab. cap. 14.* quod quidam Ludi Magiſtri Filius, quoties, ac quocunque in loco, epilepſia eum invaderet, recta pror-

(*a*) conf. *Caſtigat. Græbner. Noſtræ p. 56.*

prorsùm procurreret, finem non ante faciens, quàm obſtaculum aliquod offenderet, ob quod longior procurſus non pateret, in quod impingens, denuò corrueret, apud Arnold. Bootium *in obſerv. Med. de affect. omiſſ. c. 6.* Collapſus porrò Epilepticus, toto corpore concutitur. Interdùm verò prorſus ſunt admirabiles illæ convulſiones, quo merito referas exemplum, quod recitat Robbertus Sibbaldus *in Scotiâ illuſtratâ p.* 1. *l.* 2. *c.* 6. *p. m.* 56. de Puellâ: **Hujus** facies verſus colli poſteriorem partem retorquebatur, manus pedeſque retrò vertebantur, & tunc cœpit motibus convulſivis violentiſſimis agitari, cum maximis ſubſultibus, adeò, ut quamvis Pater, vir robuſtus, illam omnibus viribus deprimeret, ſe tamen ad trium pedum altitudinem à ſolo unà cum Patre elevaret, imò interdum altius eveheretur. Præterea oculi invertuntur Epilepticis, ac illis ſpuma ex pulmone prodit, ut cum Hippocrate ex libr. de morbo ſacro, loquamur. Non ſolùm difficulter reſpirant, ſed & ſtertunt, linguam extra os exerunt, dentes collidunt. Non paucis ſemen aut urina præter voluntatem in ipſa acceſſione elabitur. Fæcum alvi dejectio in infantibus, quos prima vice torquet epilepſia, non eſt adeo ſiniſtri ominis, ut multiplici experientia didicimus. Præcipuum autem indicium Epilepſiæ eſt, detentio ſenſuum & principum facultatum vel functionum, & hoc ipſo ex mente Welſchii à ſpaſmo & convulſione differt. *Decad.* 7. *Curat.* 1. *p.* 372. niſi fortè placeat, etiam inter ſpaſmum ac convulſionem, adhuc ſtatuere hoc diſcrimen, quod ſpaſmi ſint motus convulſivi, lenti & firmi abſque jectigatione; convulſiones verò utplurimum ſymptomaticæ cum ſubſultibus & agitationibus partium conjungantur, nam utplurimùm convulſus, verbo Lucretii, in jactando membra fatigat. Signa futuram Epileſiam indicantia, diligenter enumerat Aurelianus, ac ex eo, recentiores alii. Potiora ſunt dolor capitis, ſubindè recurrens, ſeu, verbo Aureliani, gravitas, ſenſuum omnium tarditas, ubi in ſpecie Aurelianus obtuſum viſum, & ſonitum ac tinnitum aurium notat; inſolens oblivio rerum ferè omnium, crebræ vertigines, iterata invaſio incubi, linguæ quædam difficultas, cum ſaltu muſculorum, dolor à tergo inter ſcapulas, continua in ſomnum propenſio, aut huic oppoſitæ nonnunquam vigiliæ nimiæ, laſſitudo ingens & torpor membrorum, mœror animi, ſomnia turbulenta, crebri terrores, ſputationes, jugis præcordiorum inflatio, cum oſcitatione, nauſeâ, ſtomachi dolore, *&c.* tandem & urinæ tenues, crudæ & lividæ, ſudor roſcidus *&c.* Et pleræque ex his, præprimis autem priora ſigna, epilepſiam idiopathicam indicant; poſteriora autem, e. g. inflatio ventriculi, apepſia, ſi tremor ſeu contractio labiorum, ac palpitatio cordis conjungatur, à Ventriculo malum oriri indicant. Epilepſiam autem hyſtericam detegunt motus uteri & partium abdominis convulſivus, murmur & ſonitus, tenſioque Ventris inferioris, dolor hypochondriorum, inordinatus linguæ motus, ita, ut vix diſtinctè verba proferre queant, deglutitio difficilis, pectoris conſtrictio,

tumor lumborum, prægreſſa ſanguinis menſtrui ſuppreſſio, ſecundinarum detentio, matricis ac genitalium exulceratio, &c.

Nondùm perfectum adepta gradum hæc Epilepſia eſt, quamdiu ſomno ſimilis, aut in ſomno obrepit, ac effuſione ſeminis, quam incredibilis laſſitudo ſequitur, cujus exemplum D. Pauli & Helwich in viduo obvenit, ſeſe manifeſtat. Notum autem eſt, quod ad hunc morbum ſint proni, quorum progenitores extitère epileptici, pueri ac infantes, ex adultis, melancholici teſte Hippocrate 6. *Epidem.*, I. nec minus plethorici otioſi, ac ſpiſſiore ſanguine torpentes, quando timidam ac trepidabundam nacti ſunt naturam, ac fortuito terrore percelluntur, nec non juvenes cœlibes, otioſi, venereis cogitationibus indulgentes, &c.

Therapeia hujus affectus maximè ardua, ac qui vel parum hic promittere audent, vix ac ne vix fidem adimplent. Felices, qui methodo præſervatoriâ à ſontico hoc malo, induſtriâ periti Medici præmuniuntur, ablatis epilepſiæ cauſis. Jam præſente epilepſiâ, omnis cauſarum varietas iterum iterumque diu anxie ſub examen vocanda eſt, ac ne verâ quidem inventâ causâ, præcipitanter medela in malo inveterato promitteuda eſt, nam non ceſſat, (etiam remotâ causâ) malum, niſi motuum convulſivorum tollatur aſſuetudo, quod fortè omnium eſt difficillimum. Quid hactenus à Medicis, tùm pro Paroxyſmi præſentis amolitione, & novi, ſeu futuri, repreſſione ac inhibitione actum ſit, qui volet, cognoſcere poterit ex Matthiæ Unzeri *hieronoſolog. lib.* 2. Nemo ex nobis cum Menecrate, de quo Athenæus *l.* 7. *Dipnoſoph.*, multis ſtipatus epilepticis habitu Deorum veſtitis, in publicum prodire poterit. Hoc certum, quod in chronicis epilepticis affectibus volatilia urinoſa aliquid præſtent, ſicuti Cinnabarina in ſymptomaticis, præſertim acutis ſupervenientibus.

Alii morbi hujus temporis, methodo ordinariæ medendi facilè cedebant, ut præprimis D. Graff. obſervavit. Diarrhæas D. Preus ſuſtulit pulveribus ex bol. Tocavienſ. & clyſmatibus lacteis. Idem luctatus cum pertinaciſſimâ ophthalmiâ ex crapulâ, poſt ulcuſculum fiſtuloſum diuturnum in palato circa gingivas, pro cariei jam manifeſtæ progreſſu ulteriore impediendo, ſanatum, ortâ.

Poſt 14. Aprilis diem febres malignæ conticeſcebant ac halcyonia nobis promittebant, ſed infida, nam iterum ferocire incipiebant Menſe Majo. Jungebatur illis catarrhus ſuffocativus, præprimis in ætate teneriori. Hic D. Preus cum ſucceſſu uſus pulveribus bezoardico-pectoralibus fixis & laxativis alternis unà cum cataplaſmate emollienti & reſolutivo è pulpâ Pomor. Borſdorffianor. cocta, oleoque amygdal. dulc. pectori ſæpius applicato. In Febri verò tuſſiculosâ ſanguinei pueri initio obſtructione alvi, deinde autem cholerâ correpti, poſt unguentum de Arthanitâ ab alio illitum, egregium uſum vidit D. P. ex cataplaſmate in lacte bubulo cocto è ſpecieb. emoll. farinâ lini, orobi, fœnu græci, &c. non neglectis internis, pulvere, inquam, bezoardico, mixturâ è ſpirit. nitr. d., menthæ, & carminat. ſylv.

Multis

Multis verò etiam negotium faceſſere viſa eſt Cardialgia, quâ de non unus omnium tum audiebatur ſermo. Alii morſus, punctiones & lancinationes, alii roſiones ſeſe percipere ajebant; nonnulli de tenſivo & compreſſivo tantum dolore, ad utrumque latus pertingente, & cinguli alicujus inſtar conſtringente conquerebantur, plurimi verò gemitibus & altè ductis ſuſpiriis, anxietatis interpretibus, adſtantium aures obtundebant. Inanes vomitus utplurimum cardiogmi erant comites, quos imperiti emetica indicare credebant, ſæpè etiam in fœminis paſſionibus hyſtericis obnoxiis deliquia ſuperveniebant. In ſingultu cardialgiæ juncto non defuit officio ſuo Electuarium ex conſerv. ſcord., conf. de hyacinth. theriaca, bezoard. min. & ſyrup. ſcorzoner. Cardialgiæ.

Nonnulli etiam Bubonibus infeſtabantur; Hos inter Lanio quidam curæ D. Preuſſii commiſſus. Laborabat is febri hâc epidemicâ, corpuſque ejus petechiis lividoatris fœdatum erat. Decimo morbi die bubone admodum dolenti in inguine dextro tentari cœpit, remittentibus ſævis ſymptomatibus ac delirio, ut facilè credere poſſes, eum fuiſſe criticum. Remiſſio enim graviorum ſymptomatum criticam ſolutionem notat, modò adſit ſomnus. Ex re & vero Proſper Martianus in annotation. ad libr. de humorib. Hippocr. *p. no. edit. Venet.* ſcribit. *Nihil eſt, quod tutius perfectæ Criſis argumentum præſtet, quàm ſi ſomnus ſubſequatur*, quod Hippocrates etiam monuit *lib. 6. Epidem. Sect.* I. *v.* 20. Æger autem inſcio Medico Bubonem hunc ſpiritu quodam vinoſo apoplectico à fratre ſibi communicato illinit, & præterea ad tollendam alvi obſtructionem decocto prunorum ſennato improvidè utitur. His ita factis, tumor diſparere, ac æſtus febrilis cum gravioribus ſymptomatibus non ſine maximo periculo redire cœpit. Ex præſentiſſimo diſcrimine, Venæ ſectione in pede celebratâ, ac bezoardicis nitroſis & anodynis ereptus quidem eſt & integræ ſanitati reſtitutus, ſed poſt breve tempus dimidio ſcil. exinde anno exacto ab iræ incendio, novâ iterum correptus febre malignâ, naturæ debitum perſolvit. Oblati quoque fuere nobis ejuſmodi ægri, eos verò felici cum ſucceſſu tractavimus eâ methodo, quam in Conſilio Medico Peſtilentiali noſtri quondam Phyſici ſuaſere. Eorum verba etiam aliis lucem accenſura hîc deſcribimus: * *Dannenhero iſt am ſicherſten, dieſe Art der Beulen durch aufgeſetzte Ventoſen herauſzuziehen, feſt zu machen, und zur ſuppuration und Eyterung zu bringen. Die harten und ſchmerzhafften ſind mit erweichenden, linden und ſanft-kühlenden Olitæten und Pflaſtern zu tractiren; ſchlægt aber Hitze und Entzündung zu, ſo ſind ſolche Unctuoſa zu meiden, und mehr die Mucilagines und* Bubones.

Cata-

* Id potiſſimùm probamus conſilium, quo, adhibitis cucurbitulis hoc genus tumorum ad proruptionem, maturationem & ſuppurationem provocantur: hac quidem ratione, ut duri & dolentes emollientibus & lenientibus oleis unguentiſve tractentur; accedente vero æſtu ac inflammatione, unctuoſis hiſce procul eſſe juſſis, mucilagines & cataplaſmata è ſimilagine, pane molliori, ſemine lini, fl. ſambuc., vitello ovi, croco &c. in lacte decoctis, in ſubſidium vocentur; ingraveſcente autem æſtu, & duritie, & lancinatione, emollientibus admiſceantur attractoria & maturantia, ſemperque addatur quid quod malignitati reſiſtat.

Paroti-des. *Cataplaſmata von Weitzenmehl, oder Semmel-Brocken, Lein-Saamen, Holunder-blüthe, Eyerdottern, Saffran und dergleichen in Milch gekocht, zu appliciren. Will Hærte, Stechen und Hitze noch mehr überhand nehmen, ſo müſſen unter die erweichenden, auch zuziehende und zeitigende Mittel genommen, und dann allezeit etwas Von den Gifftbeſtreitenden beygeſetzet werden, &c*

Aliis eodem tempore tumores alibi in corpore præprimis circa aures, i.e. Parotides apparebant, iiſque, quorum vires violentia morbi fractæ erant, mortem denunciabant. Pro virili motum naturæ adjuvimus, & in eo fuimus toti, ut quamprimum ad augmentum properarent, & aliqua materiæ pars diſcuteretur, ne ſuffocationis periculum ægri incurrerent. Profuerunt emollientia, maturantia, diſcutientia, & non rarò in eorum uſu perſtitimus, donec ex toto evaneſcerent. His verò non ſatisfacientibus ſuppurantia ſubſidio fuerunt, & in nimium lentè prorumpentibus etiam attractoria. Vidimus caſus, in quibus periculum ſuadebat, ut candente levi ferro aperirentur, ſed ab ægrorum mollitie, maximè verò à timidis circumſtantibus ad mentionem nudam hujus Chirurgicæ operationis trepidantibus, id impetrari minimè potuit, ut in innocens ac tutum auxilium conſentirent. V. S. non celebravimus, quod alibi fieri novimus, etiamſi aliàs nobis non ſint incognita illa Celeberr. Practici, Petri à Caſtro de *febb. malign. p.* 247. qui inquit: *Si vires permittant, quamprimùm apparentibus parotidibus, erit mittendus ſanguis ex Cephalicâ in quantitate mediocri: Sin minus, cucurbitulas ſcarificatas brachio ejuſdem partis aut ſcapulis affigere oportet, & mox adhibere, quæ citra maximam attractionem diſcutiendi vires obtinent.*

Quoad Veſicatoria, ad quæ applicanda, hoc Menſe Majo, nos iterum adegit neceſſitas, itidem aliqua obſervare contigit. Inter illa maximè memorabile hoc eſt, quod in corporibus ſucci plenis plethoricis & nimia humorum copiâ repletis, interdum fere nulla ſeri evacuatio fuerit ſecuta, cujus rei ratio indubiè quærenda in nimiâ fluidi copiâ. Certum enim eſt, quod ad excretionem, præter apertos poros, debitam fibrarum reſiſtentiam, motum proportionatum, etiam debita fluidi requiratur copia, quod luculentè in negotio menſium & lactationis cernere licet. Præterea etiam notatus, poſt applicata ejuſmodi ſubjectis veſicatoria, major orgaſmus in humoribus, ſpecies verò quædam oſcillationis in ſolidis non obſcurè fuit deprehenſa; Ut jam de febris exacerbatione, deliriis & inflammationibus viſcerum, motibus convulſivis, hæmorrhagiis nihil dicamus; Contra utilitatem eximiam attulerunt in diatheſi humorum craſsâ ac viſcidâ ad ſtagnationes & coagulationes velociter ruenti, in iis ſubjectis, quorum pulſus exilis, extrema frigida, quique propenſi ad ſoporoſos affectus erant, eò quod ſalia cantharidum partes viſcidas diſſolvant, diſgregent & ad priſtinam fluiditatem diſponant. Et D. Preus quidem mirabilem efficaciam in Veſicatoriis, in principio morbi applicatis, deprehendit, cui nobiſcum pollicem etiam premit D. Helwich, niſi quod ex hujus obſervatione, ſitim nulla arte edomandam, per tres quatuorve dies inducant.

Fre-

Frequens erat illis diebus etiam coryza conjuncta cum καρηβαρία, dolore capitis, ſternutatione, & licet omni horâ quaſi occurreret, cui illud Juvenalis in aurem diceres: *Jam gravis es nobis, nam ſæpè emungeris, exi*; non fuère tamen, quòd affectus à nemine non contemnatur, qui opem consiliumque à nobis peterent. Coryza.

Depravata auditio plurimis Vratislaviæ moleſta ægris, moleſta & Medicis ipſis, hoc Menſe erat communiſſima. Modo enim erant, qui ſonum talem, qualem tintinnabulum pulſatum edit, ſibi percipere viderentur; modò, qui de ſibilo quererentur; nec nulli, qui pulſationem intra aurem ſentirent. Pulſus autem ille exactè cum pulſu arteriæ convenit, nec aliunde niſi ab arteriâ dilatatâ pendere veriſimile eſt. Senes nonnulli ſonum fluctuum alliſioni ſimilem, vel ſtrepitus varios in auribus ſuis excitari ajebant. Jam quidem communiter traditur, depravatam ejusmodi auditionem dependere vel à morbis cerebri, vel à morbis etiam auris, cum experientia affatim edoceat, & quosdam cerebri morbos, e. g. delirium, phreneſin, vertiginem, epilepſiam, *&c.* & nonnulla aurium pathemata, v. gr. inflammationem & abſceſſum tympani & labyrinthi cum tinnitu, *&c.* conjunctam eſſe, ut jam de corporibus, quibusdam externis, Vermibus, aliisque membranam meatûs auditorii & tympani commoventibus nihil dicamus; Nihilominus & illud exploratum eſt, quod nullo iſtorum morborum, aut externi alicujus corporis veſtigio præſenti, ſubinde homines de ſonis in aure querentes audire liceat. Unde quidem omninò naſcitur ſuſpicio, potius in aëre ipſo cauſam ſubinde latere. Et quid quæſo, impedit, quo minus dicamus, quod aër aliis fœtus corpuſculis, in ejusmodi ſonitu non tantùm organum immediatum auditûs, ſed & partes cerebri, in quibus filamenta nervi auditorii terminantur, concutiat, ac eo ipſo varios ſonos excitet; Tametſi aliàs minime contemnenda, quæ in hanc rem differit Dn. du Verney *Tract. de Organ. Audit. part.* 3 *in calce operis*, imò & Solenander *Sect. I. Conſil. Med. Conſ.* 4. *pag.* 15. *& ſeqq.* Varia contumaci huic malo & aliquando in omnimodam ſurditatem abeunti, oppoſuimus, non ſemper tamen eundem, quem optavimus, eventum conſecuti fuimus. Crato Noſter quondam accepit folia card. ben. cum ſummitatibus m. iiij conquaſſata in mortario, maceravit in ▽. card. bened. lib. ij. per 24 horas, deinde deſtillavit, & elicuit liquorem, in quo linteolum vel goſſypium imbutum auribus immiſit. Cum Timæus à *Guldenkl l.* 1, *de affect. cap.* 32. Mindereri Balſamum mira in depravatâ auditione præſtitiſſe narret, nos etiam vires aquæ acouiſticæ Mindereri periclitati ſumus, quas ultra meritum celebratas eſſe à Timæo comperimus. Idem etiam teſtamur de ▽. Anhaltinâ Cephalicâ à Thonero *obſerv lib.* 2. vehementer laudatâ; non inficiantes tamen verum eſſe, quod ait, *effectum ejus eſſe præſtantiorem in vaporosâ ac flatulentâ materiâ discutiendâ, quàm oleorum ℞orum, quæ nimio calore ſæpius nocent.* Dn. D. Tileſio meminimus in uſu fuiſſe mixturam ex ſpirit. lil. convall., theriacal., formic. & eſſent. caſtor. Datâ occa- Deprava-ta auditio.

ſione etiam exploraturi ſumus, quid valeat urina leporina, ſive ſeorſim, ſive cum ſpirit. vini, auribus calidè inſtillata, quâ nihil utilius eſſe in hoc affectu, Tulpius ſcribit *lib.* 4. *obſerv. c.* 15. Cæterum illud aureum Fabric. Hildani monitum *Obſ.* 25. *Cent.* 5. de remediis non temerè auribus immittendis, quamdiu ſpes eſt, extra applicitis curam perfici poſſe, altè memoriæ noſtræ ſemper inſcriptum fuit; E re noſtrâ ægrorumque eſſet, ut inſtrumentum (eſt illud inſtar infundibuli, cujus ampliorem partem objiciunt ſecum loquentibus, anguſtiorem auribus propriis applicant) quo ad acutius audiendum Hiſpani utuntur, teſte Hœfero *lib.* 1. *de affect. capit.*, etiam apud nos in uſum traheretur.

Raucedo. Raucedo, etſi hyberno tempore maximoperè ſoleat eſſe frequens, ac facilè curetur, quia fortaſſis tantùm ab exaſperatione ſuperficiei glottidis à frigore aut acribus ſalſisque humoribus inducta, dependet, occurrerunt tamen aliquot etiam in Majo nobis exempla raucedinis, omnem artem eludentis. Homo cœlebs quinquagenarius, ſtrigoſi corporis ſine ullâ evidente causâ, graviorem initio fieri vocem animadvertit, eam deinde brevi momento in aſperiorem & tandem in clangoſam abire ſentit; cùm autem muneris ratio expeditum vocis uſum exigeret, multa molitus & hoc tempore curam moleſti affectûs cum curâ inſtitui voluit. Acta omnia, ſed eventus confirmavit *Aphoriſm.* Hippocr. 40. *ex Sect.* 2. ac Gordonii prognoſticon, vocis Raucedinem, quæ per annum duravit, non recipere curationem, quicquid etiam de efficaciâ ſyrup. de eryſim. Lobel. tùm Auctor ipſe, tùm Bauhin. *in hiſtor. plant. lib.* 21. *c.* 11. ſcribant. Non incredibile hoc Raucedinis genus à ſiccitate laryngis dependere, ac ideò difficulter curari, quòd & humidum corporis abſumptum reſtituere res ſit ardua, & ferè ultra artis vim, humores ad alia emunctoria effluentes, per collapſas vias ad debitum iterum derivare locum.

Angina vera. Menſe Junio aliquot anginæ exempla nobis oblata fuere. Intelligimus verò per Anginam, faucium id eſt laryngis ſeu pharyngis inflammationem. Nam in anginâ ſemper guttur & fauces laborant, ſive ut Hornius loquitur, commune iter ad aſperam arteriam & gulam, quod retentâ græcâ voce, iſthmum vocamus, & hoc vel exinde patet, quòd in anginâ ſemper adſit difficultas reſpirandi & deglutiendi. Cùm verò Neoterici & internos & externos laryngis æque ac pharyngis muſculos inflammari crederent, quod certè à vero non abludit, diverſas anginæ ſpecies conſtituerunt, ac iis varia impoſuêre nomina ac artem ſine ullâ utilitate reddidere difficiliorem. Nam ſi vel maximè iis concedatur, quod muſculi interni ſeu laryngis ſeu pharyngis ſine externis inflammentur, & vice versâ externi ſine internis ardeant, nihil ad curationem inde peti poteſt, & emolumentum, quod in prognoſi ex eâ doctrinâ ſperatur, titubantibus, cum prognoſi ipsâ, innititur pedibus. Hoc malum juvenibus, conſtitutionis ſanguineæ, præ reliquis familiare. Poſt motus corporis impetuoſiores, aut nimias ſpirituoſorum potuum ingurgitationes, horrore corripiebantur, qui

qui aliquando poſt aliquam intermiſſionem ſubitò revertebatur. Hunc ingens æſtus cum ſiti Tantalea excipiebat.

Pulſus erat frequens, durus, inæqualis, urina ſaturatiſſimè rubra. Magna aderat reſpirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri ſpiritum ducebant, & creſcente malo ſtrangulationis periculum inſtabat, ut videas non malè à Græcorum 'αγχόνη quod laqueum & ſuſpendium ſignificat, morbum hunc à Latinis dictum ANGINAM. Deglutitio etiam tantoperè impedita, ut potus faucium anguſtias vix ſuperaret, quin ſæpè in nares refunderetur. In faucium iſthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior erat, vel oculis cernebatur, vel manibus palpabatur, in iis verò, quorum vita in majori periculo, nullus planè tumor deprehendebatur. Non tantùm iſthmus ita exurebatur, ſed ſpectabatur ſimul in ore rubor flammeus, urgebat dolor acutus pulſatorius & punctorius, lingua tumida, obſcurè rubra canum inſtar exerebatur, fauces arebant, ſi ægrotantum os aperias, omnia tenſa videbantur. Venæ infarctæ, oculi prominentes & ſanguine ſuffuſi. Præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens ſedendi cupiditas. Ingens præ foribus periculum, quando articuli gelido torpore rigebant, vultus liveſcebat, vox intercipiebatur, & ſtridor quaſi in gutture & pectore audiebatur. Inexorabilis mors inſtat, deficiente pulſu & voce quaſi in caninam mutatâ, apparente ſubinde etiam ſpumâ oris. In ſummo juvenis periculo exoptatiſſimè Eryſipelas in pectore cum ſymptomatum mitigatione, effloreſcere vidit D. Helwich.

Omnia verò ſymptomata ſunt mitiora in nothâ Anginâ; nam licet & in ipsâ ſubinde aliqua reſpirationis adſit difficultas, ac deglutitio impediatur, licet etiam tumor (qui ſeroſus utplurimùm) tùm intra fauces, tum in collo deprehendatur, abeſt tamen & febris, rubedo intenſa imò & dolor acutus ac ptyalismo intra dies quosdam malum tollitur. In exquiſitæ anginæ curâ minimè veſtigiis inſiſtere licuit Sydenhamii, cujus quidem curæ cardo vertitur in copiosâ ſanguinis detractione per repetitas Venæ ſectiones, in catharticis, epiſpaſtici fortis ac ampli applicatione, quâ de re latius legi poteſt *in Oper. p.* 358. Quâ viâ ante ipſum inceſſiſſe novimus Doctiſſ. Batavorum Medicum Lindanum, ita tamen, ut hic intra 2. vel 3. horas non unâ vice, ſed repetitâ ad Unc. XXX. ex venâ popliteâ ſanguinem detraheret. Horrent enim noſtri tantam ſanguinis profuſionem, raroque ad iterandam V. S. in uno eodemque morbo perſuaderi poſſunt. Itaque nobis unâ vice, aut ſummum duabus V. S. celebrare in more poſitum eſt. Quod quidem abſque mora facimus, ut turgeſcentiam ſanguinis imminuamus, ſtaſin diſcutiamus, ac copioſiori affluxui occurramus. Fecimus verò pertundi plerumque Venas cubiti in latere affecto, quod evidentior & propior, ex anatomicis, venarum ejuſdem lateris communicatio ſit. Cùm verò parti affectæ propinquiores ſint raninæ ſub linguâ, (quarum apertionem promiſcuè in morbis ferè omnibus vulgus

Angina notha.

F 2 apud

apud nos flagitat,) præmiſsâ V. S. in brachio, aut ſi circumſtantiæ id velint, e. g. in ſuppreſſione menſium, in talo, ex raninis etiam ſanguinem detrahimus.

Vomitoria, quæ Agricola, Riverius, Deckerus, Hartmannus aliique in Anginâ laudant, periculum ſuffocationis veriti, omiſimus. Subinde tamen purgantia in forma liquida, ſed leniora, propinavimus, præprimis, quod tamen rariùs contingit, ſi craſſæ ac nebuloſæ adeſſent urinæ, his enim præſentibus in qualibet inflammatione ad purgationem à principio confugere nos poſſe, ſcimus edocti à primicerio Hippocratis interprete Proſpero Martiano *p. 387. de ratione Vict. acut.* Et ſanè prudens hoc monitum fuit nobis inſtar columnæ vialis in bivio conſtitutis. Libertatem alvi Clyſteribus obtinuimus. Cæteroquin ita ferè in periculoſo hoc morbo progreſſi ſumus; ut inflammationem diſcutere, & ſtagnantem ſanguinem iterum in motum reducere tentaremus. Ubi quidem reſolventia ſeu diſcutientia, & in ſanguine viſcidiori etiam attenuantia profuêre, non neglectis leniſſimis adſtringentibus, quæ roborantium nomine vulgò veniunt, hæc enim laxior fibrarum tonus omninò indicat. Eâ intentione gargariſmos ex adſtringentibus & diſcutientibus mixtos ordinavimus ex rad. biſtor. torment. bryon., herb. prunell., ſalv., pyrol. heder. terreſtr., tarax. flor. bellid., ſambuc., balauſtior., tanacet., cort. granator. ſem. cydonior. decoct., colaturæ nitrum etiam adjecimus, mandantes, ut his ſimilibusve gargariſmis fauces modeſtè colluerentur. Non imitati ſumus Scultetum, qui acetum vini acerrimum, alioſque qui meliori conſilio ſpiritum vini admiſcent. Externe emollientia & diſcutientia ſine adſtringentibus adhibita, ex cujus generis ſimplicibus ferè conſtat cataplaſma primum Barbettæ, niſi quod oleum chamomillæ, à nobis omiſſum & loco hujus aliquid ſaponis Veneti admixtum fuerit. Non abs re eſt, collum externè ſpir. vini camphorato rite inungere, ac deinde cataplaſmata, vel ſi hæc propter celerem refrigerationem ſuſpecta ſunt, emplaſtra de meliloto, diachylo., de ſpermat. cet. diaphoret. M. &c. circumponere. Multi, & inter eos etiam Waldſchmidt, ab initio ſuadent ſuffumigia ex ſuccino, oliban. &c. ſed non abſque cauſâ Sennertus noſter *lib. 2. prax. part.* 1. *c.* 24. ab eorum uſu dehortatur. Remedia interna erant diaphoretica ex abſorbentibus lap. 69. corall., mandib. luc. piſc., dent. hippopotam. & quem Variola & Burnet. ſpecificum eſſe volunt, dente apri, ♃. d., bez. miner., & ♂l. cinnabar. & nitratis, quibus interpolabantur lenientia, damnatis, quibus alias ſpecificam virtutem ignari tribuunt, ſordibus non unius generis, ſtercoribus, inquam, & urinis variorum animalium. Si verò conatûs diſcutiendi eſſent irriti, & dolor pulſatorius quarto vel quinto die nos ſuppurationis admoneret, hanc omninò promovimus tùm collutionibus oris ex decoctis emollientibus & maturantibus tùm cataplaſmatibus & emplaſtris ejuſdem cenſûs. Suppuratione jam factâ, ubi nimirùm dolor pulſatorius ardorque remittit abſceſſûs apertionem modò hâc, modò illâ viâ procurare tentavimus, & poſt evacuationem puris, reli-

reliqua ex artis præſcripto abſolvimus. Sed dolendum omninò eſt, quod non in ſummo ſuffocationis diſcrimine aſperam arteriam perforare liceat, cùm judice Sculteto ac comprobante experientiâ, in affectibus laryngis, qui ſuffocationem minantur, tutiſſimè id fieri poſſet, in Armament. Chirurg. *in declarat. tabul.* 34. *p.* 122. Hâc enim viâ certiſſimè non pauci liberarentur, ſed quo minùs id fiat, in cauſa eſt circumſtantium moroſitas & craſſa Chirurgorum in anatomicis ignorantia. Nothæ anginæ cura facilior eſt, & à quibuſdam Noſtrûm purgantibus ☿alibus, etiam ſi nulla eſſent contraindicantia, aliquoties repetitis & blandioribus diaphoreticis poſt V. S. in Plethoricis feliciter intra paucos dies ſublata. Poſt anginam notham externis repellentibus diſcuſſam, D. Helwich obſervavit delirium ac effectum paraphrenitidi ſeu inflammationi diaphragmatis ſimillimum.

A nobis conſilium requiſiverunt etiam eo tempore quidam vomitibus, aut certè vomendi conatu delaſſati, ac horroribus febrilibus, cardialgiis, punctoriis circa ſcrobiculum cordis doloribus, ſubinde & ſingultu miſerè torti, quos equidem ventriculi inflammatione correptos fuiſſe ſuſpicamur, ex eô potiſſimum, quòd omnia ſymptomata ab exhibitis ſtomachicis, carminativis, antifebrilibus intenderentur, miteſcerent verò ab iis, quæ in inflammationibus profuiſſe, tot Seculorum experientia docuit. Vomitus ac vomendi conatus.

Occurrerunt etiam eo tempore quidam alii inflammatorii affectûs, quorum ſedem, an in hepate, an in pleurâ, an in membranâ pulmonum quærere deberemus, dubii hærebamus. Et certè, tametſi in numerato habeamus ſigna pleuritidis, peripneumoniæ, & hepatitidis vulgò tradita; Certi tamen omninò ſumus, quod nullâ falli neſcia diagnoſi hæ inflammationes ex traditis illis ſignis dignoſci queant. Febris continua atque acuta, difficilis & fervida reſpiratio, tuſſis, rubor genarum, aliquando & oculorum, lingua ſicca & aſpera, colli inflatio, ſitis, vigiliæ, in omnibus tribus inflammationibus cernuntur. Cum aliqua veri ſpecie major in reſpiratione anguſtia ſupponitur eſſe in peripneumonia, quam quidem in pleuritide; at verò! quòd & in hoc ipſo parum fiduciæ poni queat, eluceſcit ex eo, quod etiam illi, qui neque pleuritide neque peripneumoniâ laborant, ſed vel curſu vel aliis laboribus ſeſe fatigarunt, propter majorem ſanguinis ad interiora confluxum, difficillimè & cum ſummâ anxietate ſpiritum trahant. Jugulum ipſum ſententiæ de certâ inter pleuritidem & peripneumoniam differentiâ petunt, qui ex inſpectione corporum pleuritide extinctorum demonſtrant, non pleuram, ſed pulmonem eſſe ſedem pleuritidis, in quorum numero ſunt eximii Anatomici & obſervatores Felix Platerus, Johann. Zecchius, Alexander Petronius, Marſilius Cagnatus, Etius Cletus, Panarolus, Petrus Criſpus, Julius Cæſar Benedictus, Petrus Caſtellus, Johannes Menelphus, Johannes Baptiſta Orius, & Herophilus, qui teſte Tertulliano ſexcenta ſecuit cadavera. (*b*) Et cum Romæ in hanc rem ſtudioſè inquireretur ac in ſectis cadaveribus pulmones Inflammatorii affectûs.

(*p*) Conf. *Caſtigation. Græbnerian. Noſtræ p.* 58.

læſos in pleuritide reperirent, Aſſeclæ Galeni, & ſequacium ejus Arabum &c. ad peculiarem Romani aëris conſtitutionem confugerunt, docentes, dari & pleuritidem non exquiſitam, & hanc propter cœli inconſtantiam & humiditatis exceſſum, ortum trahere à capite, ac materiam, quæ non exquiſitam pleuritidem excitat, deſcendere per arteriam aſperam ad pulmones, eamque, præcipuè ſi bilioſa fuerit, in pulmonis cavitatibus inflammationem inducere, & hinc in cadaveribus pleuritide interemptorum pulmones inveniri læſos, ut conſtat ex *Doctiſſimo Commentario* Proſperi Martiani *in libr. Hippocrat. de loc. in homine pag.* 77. *&* 78. *edit. Rom.* Et ſi dicendum, quod res eſt, multò feliciùs Phœnomena in pleuritide occurrentia explicari poſſunt ex mente illorum, qui ſedem ei tribuunt in ipſis pulmonibus, quàm iſtorum, qui natalem ejus locum quærunt in pleurâ, quos ſanè difficultas, quomodo ſanguis, qui ſputum pleuriticorum tingit, & purulenta materia, ſi non bene judicetur pleuritis, à pleura in aſperam arteriam deveniat; Ubi in oppoſitâ opinione illud evidentiſſimè declarari poteſt. Nam cum ex oculatiſſimi Malpighii obſervationibus notum ſit, compagem pulmonum conſtare ex infinitis propriâ membrana circumſeptis lobulis, ac ex his veſiculis innumerabiles partibus interioribus emergere ramificationes, quæ cum tracheâ communicationem habent; Facilè concipi poteſt, quomodo ruptis in membranoſis illis ſinubus minimorum vaſculorum orificiis ſanguis, aut etiam abſceſſu facto pus, in tracheam extillet, ac deinde per tuſſim ejiciatur. Neque ullo jure ab his requiri poteſt, ut credant, pulmonem ſenſu carere, nam hoc colore, qui ſunt alterius ſententiæ, utuntur, in pleuritide eſſe dolorem acutiſſimum, & hinc pulmonibus ſenſu deſtitutis adſcribi non poſſe; nam quomodo perſuadebunt, pulmonem ſenſu orbatum eſſe, cum moles ejus conſtet ex membranis, tracheâ, vaſis ſanguineis, nervis, omnimodò ex ipſorummet doctrinâ ſenſu exquiſitiſſimo pollentibus? Ipſe quoque Hippocr. de intern. affect. pulmonibus ſenſum & dolorem fortem tribuit. Quod verò in latere ſentiatur dolor, ejus cauſa eſt, quod membranæ pulmonem conſtituentes ope aliquarum appendicum pleuræ uniantur. Si verò ſedes pleuritidis in ipſis pulmonibus eſt, utique apparet, quàm arduum ſit, exacte pleuritidem à peripneumoniâ diſcernere. Imò neque faciliùs, ſecus quàm multi non experti credunt, inflammatio hepatis à pleuritide dignoſcitur. Nam ex dolore infra coſtas infallibile hepatidis argumentum, qui capiunt, næ! illi ſubinde vehementer falluntur, innixi communi illi axiomati, ubi dolor, ibi morbus, quod tamen minimè univerſale eſt, cujus rei exemplum in ipsâ inflammatione hepatis eſt: Nam referente Galeno *l.* 2. *de loc. affect. inflammatum hepar comitatur dolor in jugulo, in quo tamen morbus non eſt.* Ejus rei documenta in calculo, gonorrhæa aliiſque morbis obvia ſunt. Sed verò benè eſt in hâc rerum incertitudine, quòd methodus medendi una eademque in his morbis inflammatoriis obſervari tutò poſſit, unde non abs re erit, quomodo in curâ proceſſerimus, tribus, quod ajunt,

ver:

verbis attingere. Prima cura noſtra fuit, ſtaſin ſanguinis inflammatoriam, de quâ inſpici meretur Portius *in Eraſiſt. ſive de ſanguin. miſſione p.* 83. *ſeqq.* diſcutere. V. S. in ſtatu plethorico celebravimus, ſanguis ex venâ eductus ferè pelliculâ quadam tectus; Et omninò vera ſunt illa Celeberr. Wedelii: *Venæ ſectione emiſſus ſanguis pro temporis ratione variat, modo confuſus, fervidus, ruber, modo feroſior, grumeſcens vel reſolutus magis viſus eſt.* Nec dubitandum, quin ſæpè abſque V. S. eryſipelaceæ illæ viſcerum inflammationes tolli queant, ac non nauci facienda illorum practicorum obſervatio, quòd poſt adminiſtratam V. S. morbi hi diutius protrahantur. Vulgò deprædicatur in ſanguine diſſolvendo efficacia ſpirituum C. C. fuligin., ebor., liquor. C. C. aliorumque ſimilium volatilium, qui tamen à nobis, qui diaphoretica fixa hiſce in morbis, quibus febris complicata eſt, præferimus, non adhibentur, niſi fortè in phlegmatico-ſanguineis ac in doſi valdè mediocri. Semen cardui mariæ in pleuritide & peripneumoniâ, radix cichorei in hepatitide aliquam peculiarem exerunt virtutem, nec mumia tranſmarina prorſus effœta eſt. Cherefolium, hedera terreſtr., geranium majus, ſcordium commendari itidem merentur. In raſurâ dentis apri, in pleuritide, non potuimus obſervare vim quandam ſpecificam, quæ major in dente hippopotam. præpt. In omnibus hiſce inflammationibus prodeſt externè adhibitus ſp. vini camphor. quemadmodum anodyna internè utplurimùm nocent, quicquid de cohibendo per illa affluxu vulgò jactetur. In pleuritide urinæ tenues per quatuor dies priores ferè ſemper calamitoſæ ſunt. Alvum non facilè irritamus, ſed diluentibus tepidè ſumptis eam in officio ſuo continere ſatagimus.

Conſtitutio aëris Julii, Augusti, Septembr.

Julius naturam ſuam planè quaſi exuerat, (*c*) ac majori ex parte imbribus, procelloſis aëris agitationibus ac frigore ſqualidus erat; credidiſſemus, nos in Martio vivere, niſi grato Solis ſplendore, aliquot diebus, corpora incaluiſſent. Benignior Auguſtus, non tamen abſque pluviis curſum abſolvit. Æſtiva amœnitas verò denuò in Septembri nobis affulſit, ut iterum D. Graſſius obſervavit.

Catarrhi.

Menſe Julio vagabantur iidem propemodum morbi, qui præcedentibus menſibus ſtragem ediderant, ſed præ reliquis ferociebant catarrhi, qui difficillimè medicamentis compeſcebantur, ac præprimis illi admodùm rebelles erant, qui ſedem in artubus, & potiſſimum in ſuperiori brachii parte fixerant, ac ex dolore gravativo, motu partis impedito, imò etiam tumore aliquo, ſine inflammationis ſignis, ex decubitu ſeroſæ materiæ oriundo cognoſcebantur. Proximum in pertinaciâ locum occupabant cum coryzâ, & vertigine conjuncti, ſive propter majorem lymphæ coacervationem, ſive magnam ſeri viſciditatem, intra corticalem, hoc eſt glanduloſam, ex mente Malpighii, cerebri ſubſtantiam. In curâ utroque oculo ad proximam catarrhorum cauſam, hoc eſt, lympham ſtagnantem intra partes & hâc ratione functiones earum lædentem, reſpeximus, & lympham

vel

(*c*) conf. *Caſtig. noſtræ Græbner. p.* 59.

vel motui ſuo reſtituere, vel ex corpore, ac præcipuè partibus laborantibus evacuare anniſi ſumus. Inde non tantùm ea adhibuimus, quæ ſerum vel per renes præcipitant, aut alvum derivant, vel per poros cutis diſpellunt, ſed & ea, quæ à parte affecta illud evacuant. Inter purgantia pleriſque ex noſtris placent pilulæ, quas Noſtrates vocant Cephalico-Hyſtericas ex extr. colocynth., helleb. nigr., caſtor. reſin. gialap. ☿. d., aut Maſſæ pilul. harum, M. P. de ſuccin. Craton. addita cum appropriato in pilulas efformatæ. Vix vero in catarrho pulmones infeſtante purgantia, prudens Baglivii monitum ſecuti, laudare poſſumus. Ex diureticis ſeligimus lap. 69, L. ſaſſafras, ſyrup. adianthin. Fern. de ſucc. veronic. de 5. rad. aperitiv., hyſſopo. liquirit. *&c.* Oleum etiam fœnicul., aniſ., balſam. ſulph. aniſ. terebinth., & quod præ reliquis omnibus eminet, ſuccinum, cui in catarrhis & ſpaſmis non immeritò maximas tribuit laudes Hoffmannus, præclarè quoque de eo ſp. vini ſoluto ſentit Helmontius, quibus ſuffragatur etiam Clariſſ. Ettmüllerus, totam affectuum catarrhalium curam in ſuccino latere perſuaſus. Inter diaphoretica, quæ lymphæ exorbitantis correctoria genuina eſſe conſtat, ceſſere in remedium ea, quæ incidendi & attenuandi virtute ſimul gaudent, ex quorum albo ſunt inter vegetabilia, ſerpillum, thymus, roſmarin., lavendula, hyſſopus, centaurium minus, helenium, betonica, pimpinella, arum, china, *&c.* quibus ex chymicis tùm Liqu. C. C. ſucc. tùm tinct. bez. annumerare licet. Ad cauteria non deſcendimus. Rarus etiam apud Nos maſticatoriorum uſus, niſi fortè in claſſem apophlegmatiſmorum referre placeat fumum Tabaci hauſtum, multorum ſanè delitium. Ptarmicorum notus hodie abuſus, quibus ſanè cum damno ſanitatis homines plethoricos, vertigini obnoxios, oculorum affectibus correptos, nares infarcire toto die videmus ac dolemus. An verò legitimus eorum uſus aliquis eſſe poſſit in evacuanda lymphâ in cerebri ventriculis ſtagnante, in quæſtione poſitum eſt. Negativam amplectitur Doctiſſ. Schneiderus, *l. 2. de catarrh. c.* 20. ac Clariſſ. Rich. Lowerus *in diſſertat. de catarrh.* cujus hæc inter alia *p. m.* 167. *Quod autem nihil per os cribriforme in nares pertranſeat, ipſius partis conformatio ſatis arguit, nam licet in aridis calvariis foramina iſtius oſſis aperta & luci pervia videantur, in vivo tamen animali à nervis & membranis, à proceſſu mammillari prodeuntibus omnino inferciuntur.* Et paulo poſt, *niſi*, inquit, ▽. *in cavitatibus proceſſuum contenta per medullarem ipſorum ſubſtantiam in nares tranſeat & extillet, neceſſe eſt, ut per nervos fluat, & ipſorum corpora pervadat. Ac quid inde de olfactu fiet, ſi ipſi ejus organa continuo humore ita ſcateant.* Ac iterum: *Si conferamus*, ait, *vaſa omnia, quæ* ▽. *in ventriculos cerebri deponunt cum infundibulo ſimul, & hiſce nervorum tubulis, eaque in diverſis animalibus inter ſe comparemus, clarè patebit proceſſus mammillares nullum omnino humorem pertranſire aut os cribriforme in nares perfluere.* Nos his rationibus itidem moveremur, niſi praxis aliud nos docuiſſet, & cum Williſio vidiſſemus, toties per ſolam ex naribus excretionem,

nem, multos à vertigine, aliiſque cerebri morbis liberatos, niſi purulentam materiam per nares fuiſſe excretam recordaremur. Et niſi tandem ipſe Hippocrat. *ſect. 6. aph.* 10. non ex ratiunculis, ſed diuturnâ praxi hunc canonem reliquiſſet: *Caput dolenti & circumdolenti pus aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures, ſolvit morbum.* Firmo itaque experientiæ talo innixi, poſt univerſalia, ubi illa locum habebant, etiam errhina ſuaſimus, ac ex iis præcipuè ſpec. diamajoran. , & cum debitâ cautelâ etiam euphorbium pulveriſatum. Confer Miſcell. Noſtrar. *Dec. I. ann.* 1. *obſ.* 34. *p.* 110. *& ſeqq.* Difficillimum nobis eſſet, ab effectu nobiliori, ſicut ab aliis factum, vitriolum album commendare. Præterea cùm ſcopus noſter eſſet lenire fauces aut aſperam arteriam, linctus formam elegimus, ut remedium ſenſim partes affectas præterlaberetur, eaſque diutiùs tangeret. Nam ea nobis ſemper ſedet mens, formam medicamenti à parte affectâ & morbo determinari, & præterea, ut præclare monitum à Gliſſonio, laborante ventriculo prudenter pilulæ, pulveres, electuaria, *&c.* præſcribuntur, quò diutius in eò commorentur, renibus autem liquida potius deſignantur, quo facilius ad eos cum ſero deferantur *&c.* Sunt equidem, qui in noſtro caſu à ſaccharatis & mellitis parum opis in evacuatione contentorum in bronchiis ſperari poſſe contendunt, ſed eam ab aromaticis & volatilibus petere jubent, quibus tamen iterum experientia practica reclamat, niſi fortè, ubi humores viſcidiores & glutinoſiores ſunt, tùm enim acriora & amara abſtergentia juncta mucilaginoſis & roſcidis, utramque abſolvunt paginam. Cæteroquin in affectibus pectoris non promiſcuè cum vulgo empiricorum, flores ſulphuris exhibuimus, nam quantum ex eorum uſu emolumentum in catarrho tenui oritur, tantum profectò damni ex eorum præſcriptione, materiâ exiſtente viſcidâ & glutinosâ, reſultat, inde quidem non rarò pituitoſos in difficultatem reſpirationis incidiſſe pro comperto habemus. Sanum quidem eſt conſilium, quod Lowerus ſuggerit *p.* 173. his verbis: *Cùm catarrhus primo urget, nihil magis ei ſupprimendo conducit, modo abſque febre ſit, quàm ut ſitim diutiſſime toleremus, tridui enim vel quatridui abſtinentiâ à potu, plures novi à catarrho prorſus liberatos, cujus alia ratio non eſt, quàm quod fomite ſubducto omnino exſiccatur, non aliter ac rivuli exareſcunt ex pluviarum penuriâ;* At hoc velle noſtris proponere, eſt ſurdo narrare fabulam. Imò contra potius meminimus, quæſtionem agitatam ſæpius, annon ex re ægrorum ſit, uſum vini in catarrho concedere? nam vero eſſe perquam ſimile, lympham ſtagnantem hauſtu liberaliori generoſioris vini in motum denuò reduci poſſe; Nos tamen potius probavimus ſententiam Mercurialis *Tom.* 3. *Conſ.* 53. *& tom.* 2. *Conſ.* 4. illud diſſuadentis, veriti majorem in ſanguine orgaſmum, & vehementiorem ſeri fuſionem, non ignari cæteroquin, quòd quidem Doctiſſimi Medici vinum in catarrhis permiſerint, quos inter præcipui ſunt Victor Trincavell. *l.* 1. *Conſ.* 42. & Paul. Neucranz *de purpur. c.* 20. qui ipſum etiam Hippocratem allegare pro ſuâ opinione poſ-

G ſunt,

ſunt, niſi fortè magis placeat Valeſii in hâc controverſiâ temperamentum, qui cenſet, Hippocratem dediſſe, hodieque adhuc concedi poſſe ſub declinatione, quando ſerum jam ad vias urinarias & alvi, ceſſante omni linguæ ſiccitate, præcipitatur. Poſtremò diſſimulare non poſſumus, his etiam ritè factis, in plethoricis catarrhos vinci vix potuiſſe, niſi V. S. celebraretur. Catarrhalis quoque proſapiæ alii morbi, odontalgia ſc. & tumores palati à D. Graſſio & D. Pauli in ſeipſo, curati. Diarrhæas frequentiores D. Preus iterum rhabarbaro toſto c. N. M. & bolo Tockavienſi caryophyllatâ compeſcuit.

Hemicrania. Varias quidem tractavimus hemicranias in praxi noſtrâ. Vidimus, qui ſibi caput quaſi tendi & diſtrahi conquererentur, & omninò perſuadere ſatagerent, ipſas ſuturas enormi dolore unam ab altera divelli, quibus fidem non arbitramur ſubinde eſſe detrahendam. Quemadmodum in fœmina 30. annorum etiamnum vivente, enormem hiatum, circa ſuturam lambdoideam & ſagittalem, furentibus doloribus capitis cuivis petenti demonſtrare poteſt D. Graſſius; inſuper in tribus puerulis catarrhoſis trium & quinque annorum, intra aliquot ſeptimanas, totam quaſi capitis ſuperiori parte figuram valdè mutatam, ſuturamque coronalem ad naſi radicem uſque, notabiliter dehiſcentem obſervavit D. Paul. Suturas enim aliquando laxari & à ſe dehiſcere, Medici exercitati nobiſcum deprehenderunt. (*d*) Inter Arnoldi Bootii obſervationes Med. de affectibus omiſſis ſecundùm à Cl. Meibomio editas, quarta *p. m.* 12. inſcribitur de ſuturarum diſceſſione: *Frequens*, inquit, *eſt in Hibernia, ut capitis oſſa à ſe diſcedant, ac notabili ſpatio dehiſcant, præcipuè in coronali ſuturâ, ſed & quandoque in ſagittali, idque cœcâ ac internâ cauſâ, abſque ulla externâ occaſione aut violentiâ, cui malo promiſcuè obnoxii ſunt viri æque ac mulieres, nec teneri modo ac delicati, ſed duri quoque ac robuſti, &c.* Laurentius Joubertus *lib. de cap. affect.* teſtis eſt, ſe in fronte puellæ ſeparationem vidiſſe, cui poſt diutinam in infantia cephalalgiam unius lateris os alterius ſuperavit latitudinem. In *Miſcellaneis Noſtris* Antonius de Pozzis, cujus pulvis in quibuſdam noſtris officinis proſtat venalis, ejuſcemodi dehiſcentiam circa ſuturam coronalem, ad pollicis latitudinem obſervavit *Decur. I. ann.* 4. *obſerv.* 33. quæ aliaque plura exempla legenda apud Cornel. Stalpart van der Wiel, *Cent.* I. *obſerv. Medico-Chirurg. Anatomic. p.* 1. 2. 3. 4. obſtant ſententiæ Columbi *l.* 1. *c.* 4. afferentis, ſuturas nulla vi poſſe laxari, niſi quis ſcapello divellere aut frangere tentaverit. Hæc opinio de divulſione ſuturarum roboratur etiam exinde, quòd ægri ex fortibus ligaturis aliquod levamen ſentiant, quamvis aliàs non negandum, quòd frequentius arbitrentur ſibi ſuturas dehiſcere, quàm reverâ dehiſcant, aut disjungantur. Meminimus noſtra ſubſidia ſollicitaſſe, qui aſſeverarent, caput ſibi quaſi gravi mole aliquâ aut pondere incumbente deprimi, ut cervicem

(*d*) conf. *Caſtig. Noſtra Grabner, p.* 59

cervicem erigere nequeant. Sed hi dolores ludus & jocus quaſi ſunt, præ tormentis, quæ patiuntur ii, quos tantùm non in furorem agit acutus & pungens, ac teli infixi inſtar membranas diſſecans. Aliquos curæ ſuæ commiſſos habuit D. Helwich, qui ait, ſibi verba deeſſe, quibus ineffabiles illi dolores rectè exprimi poſſunt. Adeò furit, & vicina ſenſoria intolerabili dolore affligit, vigiliis ægros atterit, & brevi ſanè necaret, ſi continuus eſſet. Memorabile ſanè exemplum in nobili aliquâ perſonâ per aliquot annos oculis D. Pauli & modo etiam D. Helwich obverſatur. Vir ille in juventute ſuâ genio indulſit ſuo, circa virilem verò ætatem, in tormina ventris atrociſſima, tandemque in hemiplegiam, è quâ per inunctionem mercurialem evaſit, incidit. Subſecuti poſtmodùm atroces dolores arthritici, quibus ferendis cùm parem ſe minimè crederet, neſcio quo conſilio, in aquam, in quâ Luna extincta, primò pedes, deinde & corpus totum facilè quadragies immerſit eô cum effectu, ut dolores Podagrici evaneſcerent, ac in eorum locum ineffabilis capitis dolor ſuccederet, cum quo per intervalla repetente adhuc hodiè acerbiſſimè, non ſine intimâ circumſtantium commiſeratione, conflictatur. Præludunt reverſuro dolori humiditate multâ perfuſi oculi conniventes & aliquid convulſivi patientes, & aures tinnientes, fermentatio & ebullitio in ventriculo, ac urina cruda. Tragœdiæ ipſius exordium dolor initio aliquanto lenior, ſed incrementa ſingulis momentis capiens. Frequenter iſte in ſiniſtrâ capitis parte affligit, nec tamen in hoc latere ſemper in una eademque parte hæret, ſed modò poſteriora verſus aures, modo anteriora ad radices oculorum uſque, qui longè graviſſimus eſt, excurrit, imò nec his terminis contentus, calvariâ egreſſus, in maxillis, labiis ſævit, imò ad humeros ſe extendit & regionem pectoris occupat. Non exactè tamen uno hoc latere circumſcribitur, ſed ad dextrum etiam ſeſe diffundit. Circa nucham aliquando adeſt tumor rubeſcens cum pulſu & exquiſito ſenſu, qui tactu leniſſimo immane quantum efferatur. Eſt verò dolor ille & gravativus, mentum pectori ferè allidens, & tenſivus ſed maximâ ex parte punctivus; Quamdiu furit, æger lucem ferre nullam poteſt, nec propter ſævitiam cruciatuum os aperire, vel plenum trahere ſpiritum, audet.

Apicem ſupremum attigit tyrannis iſthæc, quando vomitus accedit, tum enim magis, quàm in Phalaridis torquetur equuleo, & tamen miſer his tormentis minimùm 12. horras, ſæpè, 24, imò & 50 tranſigit. Signum declinantis paroxyſmi eſt urina ſaturata, & paulò poſt copioſum ſedimentum deponens. Superatis his moleſtiis, corpus languet & partes muſculoſæ quaſi fuſtibus percuſſæ, tangi renuunt. Minimè verò raro contingit, ut, capite vix liberato, digiti pedum moleſtiâ aliquâ vellicentur. Nunquam verò, niſi ſub paroxyſmo, lumbaris regio doloribus vacat. In cura in paroxyſmo ipſo hemicraniarum, interdum ſanguinem eduximus, veſicatoria, ubi indicia materiam peccantem extra cranium ſub cute hærere, applicari fecimus. Errhina quoque commendata, nec pediluvia neglecta,

gleʼcta, topicis item modo in formâ cataplaſmatis, modò linimenti, & unguenti, modò emplaſtri, uſi ſumus. Rubefacientia plantis pedum admota, quæ tamen omnia, ne minimum quidem levamen prælaudato Viro ad hoc uſque momentum attulerunt. Pulveres præcipitantes nitroſi & cinnabarini anodynis maritati internè exhibiti, pilulæ de Styrace D. Sylv. ſub tempus nocturnum datæ ſunt. Quidam, quamvis ſic ſatis tenuis effectus, ex pulveribus ejus generis, in memorato ægro viſus. Extra paroxyſmum antecedentes cauſas ex artis præſcripto tollere conati fuimus. Quæcunque verò D. Pauli & Helwich, junctis conſiliis, moliti fuerunt, (non autem facilè ullum remedii genus, quod λόγος & methodus atque experientia ſuadet, intentatum reliquerunt) eventus optatus ſæpius nominatum ægrum nondum exhilaravit, ſed affectus ille adhuc hodie eum acerbiſſimè, quanquam poſt diuturniores inducias exercet. Aliorum Medicorum conſilio uſus eodem fato, licet ab iis & ad ſumptuoſas Thermas & ingratas Acidulas, ac Laconici ſudores damnatus, ut de purgationibus, ſcarificationibus, V. S. fonticulis, *&c.* nihil dicamus. D. Preuſſius ex præpoſterè curatâ per balnea aliaque, quæ non conveniebant, ani fiſtulâ, epilepſiam ſingulis ferè horis repetentem, cum antea rariſſimè invaderet, notavit. Sed nec minus obſervatu dignum eſt, quod D. Graſſius memorat, uſum Chinæ Chinæ in Febribus intermittentibus, hoc menſe, licet ſummâ cum cautelâ adhiberetur, minus fuiſſe proficuum, nec eam vim, quam aliis temporibus, exeruiſſe.

Præter enumerata in antecedentibus ſymptomata, febribus continuis hoc Menſe duo alia jungebantur, quod iterum debemus D. Graſſio, ſc. urinæ difficultas, & crebra oſcitatio ac pandiculatio. Quoniam verò illa urinæ difficultas, ut Celſo vocatur, ſignificat moleſtiam, tam illam, quam quis mingere volens experitur in enitendo, quàm eam, quam quis ſubit in reddendâ urina, ob nullius non guttæ effluentis aſperitatem, quam ſtranguriam, Vegetius vero indignationem veſicæ vocat, ſcire licet, priorem noſtros moleſtiam ſubiiſſe; Nam diu conari cogebantur, antequam proflueret urina, quantumvis in ipſo fluxu deinde liberè ac facilè flueret. Verùm brevi durabant hæ adverſitates, nam ultra ſeptimum diem ipſæ febres non extendebantur.

Melancholia. Ob venère etiam nobis quædam Melancholicæ Fœminæ 30. ætatis annum ſupergreſſæ non quæ ridiculis ſe detinuerint negotiis, & in hæc præcipitia ex amorum phantaſiarumque œſtro eſſent perlapſæ, ſed mœſtæ, alta ſuſpiria ducentes, contra vulgarem fœminarum morem taciturnæ, à communi hominum conſortio ſe ſubtrahentes, & ad neſcio quem ſtrepitum expaveſcentes, ac mirabilibus ſuſpicionum procellis jactatæ levique cauſâ in epilepſiam hyſtericam devolutæ. Cùm verò dyſcraſia humorum, ac impeditior eorundem motus in venâ portæ, ac excretionis menſtruæ mora noſtris ſeſe ingererent oculis, facile nobis patuit, V. S., vomitoriis, pediluviis præmiſſis, ſanguinem attenuandum eſſe.

Ac

Ac ad viſcidum & glutinoſum ſanguinem diſſolvendum adhibita fuère ferè volatilia, quæ præſentiſſimum hîc præſtant effectum, quibus qui norunt interponere ſudorifera, tantò citius voto damnabuntur. Nec minorem merentur hic laudem ♂ alia, præprimis chalybs in ſubſtantia datus modò ventriculus non nimis debilis ſit, in quo caſu omninò melius eſt, vel eſſent. martial. hellebor. Wedel. vel eſſent. vitriol. ♂. tartaris. Ludovic. ægris præbere. Ex acidulis in plethoricas non exigua redundat utilitas. Vina quoque virtute herbarum ſpleneticarum & uterinarum impragnata auxilio quibusdam fuère. Quibus omnibus ſi decens corporis & animi motus accedat, omnia in vado erunt.

Occaſione Melancholiæ non poſſumus quin addamus aliqua de nodulis in partibus muſculoſis brachii & femorum, non quidem oculis, ſed tactui obviis ciceres magnitudine excedentibus cum motu febrili protruſis à D. Helwich in corporibus luridis & ſqualidis Melancholiâ quaſi tabeſcentibus, ter, niſi fallimur, & à D. Graſſio quamvis paulò majoribus obſervatis. Stupuerunt ad Phænomenon antea ſibi non viſum, donec opportunè recordarentur, ejus generis morbum in Hungariâ frequentem eſſe, ſicut didicerant ex Malach. Geiger. *Microcoſm. hypocondriaco*; id quoque *p.* 105. cognati Daniel. Geigeri *epiſtola* adducitur, ex quâ aliqua hîc excerpere non pigrabimur: *Occurrit mihi ferè quotidiè in Hungariâ morbus quidam curandus, ſolis incolis Hungariæ endemius —— quo infectis in partibus muſculoſis brachii, dorſi, totiuſque corporis excitantur ad modum glandularum, parvi nodelli exterius quidem inviſibiles, interius tamen benè palpabiles, inſtar cicerum ſeminis lini, fabarum tamen quantitatem minimè excedentes: Paroxiſmi invaſionem comitatur horror & calor febrilis, ad modum eryſipelatis, hinc erumpunt & excitantur modo enarrata tubercula ſive glandulæ.* Hactenus ille. Nobis extra dubium, materiam horum tuberculorum eſſe humorem lymphaticum, ab indole genuinâ in vitioſam, h. e. acidam & glutinoſam fortè degenerem, quod eò promptius in conceptum cadit, quo notius, ſubſtantiam cutis, præter filamenta vaſorum ſanguiferorum, nervorum fibrarumque nervearum varie contexta habere plurimas glandulas. Nam ex acutiſſimi Stenonis, Profectoris incomparabilis, obſervationibus conſtat ſingulis poris ſuas ſubjacere glandulas, quæ juxta ἐφιδρώσεως uſum majores aut minores exiſtant. Nec improbabile eſt, tubercula hæc proximè accedere ad naturam grandinum in porcorum carnibus occurrentium. An verò ulcuſcula hæc ſint lepræ quædam ſpecies, cui grandines ſuum accenſet Clariſſ. Collega noſter Roſinus Lentilius *in Miſcellan. Medic. Pract. tripartit. l.* 2 *p.* 510. disquirere hujus loci non eſt. Id verò aliis eruendum relinquimus, quomodo tumores hi, aut quocunque nomine vocare placet, febrili orgaſmo à centro ad peripheriam extrudantur. In curâ nullum ferè operæ pretium vel antiſcorbutica, vel mercurialia, aut ſudorifera aliaque fecerunt. Nec in ultimo ſucceſſit therapeia, quam vulgus in Hungaria adhibet his verbis à Geigero deſcripta:

Sale, aceto & allio locum & tubercula tàmdiu & fortiter fricant, donec noduli illi reſolvantur, nec coagulati amplius ſentiantur, quo facto levamen illico ſentiunt. Multi materiam hanc ſudore diſcutere debent, illoque intermiſſo, ut in aliis malignis morbis, moriuntur. Ad ſudorem eliciendum utuntur ſpiritu vini, in quo liquefacta ſit portio axungiæ veteris cum admixtione ſucci allii & pulveris piperis nigri, quantum cuſpis cultri capere poteſt.

Parulis. Multò frequentiora apud nos mala præſertim in egenis ſunt inflammationes gingivarum cum tumore, non raró in ſuppurationem abeuntes, quas Græci Parulides appellant. Hunc verò tumorem cum inflammatione nonnunquam inſequitur excreſcentia ſpongioſa, laxa & flaccida, carni in vulneribus luxurianti perquam ſimilis, ad intimos dentes molares adhærens, quam comitatur mandibularum dolor ſatis vehemens, & nonnunquam ipſa febris.

Epulis. Græcis ejuſmodi tuberculum carneum ad dentes in gingivis oriens Epulis vocatur. Si apertio abſceſſûs in Epulide negligatur, facili negotio caries ſuccedit maxillæ. Nam dum puri exitus nullus paratur, perioſtium maxillæ conſumitur, hoc autem facto, corroſio oſſis vix evitatur, aut ſi fortè hoc malum imminens declinetur, quemadmodum nuper factum meminimus abſceſſu hoc ſanato, ſemper durans Ichoris profluvium, fortè ob læſionem ductus alicujus ſalivalis remanet. Ex epulide gangrænam in fabro murario ortam vidit D. Helwich. In Parulide emollientibus, præprimis uſu ficuum, abſceſſus apertionem procuravimus, aut inſtrumento Chirurgico aperiri fecimus. De diſcuſſione nobis raró cogitandum, quorum nimis ſero ut plurimùm conſilium & auxilium imploratur. Epulidem incipientem præmiſſis univerſalibus non ſine effectu meminimus oppugnatam vel tinctura laccæ, quam & Barnerus & Deckerus ac Barbette non vane extollunt, vel tinctur. terr. Japon. ſeu Catechu cum ſpirit. cochlear. paratâ, cujus meminit Colleg. Noſter Clariſſ. Hagendornius *Tract. Phyſic. Medic. de Catechu Sect.* 3. *c.* 3. *p.* 43. Sed imbellia plerumque hæc ſunt remedia. Ubi enim epulis altiores egit radices, vix ſine operationibus Chirurgicis variis curatur.

FebrisÆllioſa. Menſe Auguſto nonnulli laborabant febri, quam veteres dixerunt bilioſam, ejus typus ejuſmodi erat: Initio gravitas & anguſtia ſentiebatur in ſcrobiculo cordis, conjuncta non raró cum nauſeâ (à quâ Faſtidioſam nonnulli vocant.) Cauſam non ineptè patientes vel in refrigerationem ventriculi, vel cibos viſcidos, aut iram clandeſtinam rejiciebant. Aderat horripilatio non nimia, ſed frequenter recurrens capitis turbatio, & in ſanguineo-cholericis etiam dolor. Exacerbabatur quotidiè horis matutinis, cum ſenſu horripilationis, qui quo intenſior, eò certius vomitus ſequebatur, remiſſiorem verò & diuturniorem ferè ſedes excipiebant. Ægri perpetuò jactabantur, nec ullam decubitûs figuram ſervabant, præſertim illi, qui nec per vomitum, nec per ſedes materiam acrem ac fervidam rejiciebant, in quibus etiam æſtus gravior, fauces

aridæ

aridæ & ſub finem deliria comatoſa, quæ ſemper ferè funeſtum in hâc febre minantur exitum, notabantur. Hypochondria non tantùm contendebantur, ſed & acerbiſſimis puncturis infeſtabantur. Maximum diſcrimen mortis æſtus internus retorridus & exteriorum frigus, intentabant, & ut Hippocrates pridem notavit, *circa ventriculum fortis æſtus & cordis morſus malum* (κακὸν) *erat*. In curâ non tantùm ad ductum Sydenhamii juſculum tenuiſſimum ex pullis gallinaceis ordinavimus, ſed & nitroſa & theriacam optimo cum ſucceſſu adhibuimus. Habebant etiam in curâ locum acida temperatiora, apozemata ex rad. & fol. acetoſ., fol. fragar., tamarindis ſyrup. acetoſ. citr. Erant etiam, quibus decoctum Hordei, quod eâ intentione veteres dediſſe videntur, ut acrimoniam bilioſam obtunderent, & inteſtina quâdam quaſi mucilagine obducerentur & munirentur, præprimis ſi eſſent egeni, loco juſculi pulli gallinacei ſuadebatur. Topicis etiam ſuus conſtitit honos, inter eà verò camphorata præeminebant. Linguam aridam & fiſſam mucilag. ſem. cydonior. Pſyllii c. convenienti aquâ extractâ lenivimus.

Bilioſæ febres abeunt ſubinde in Lipyriam. Nam veriſſimum eſt, quòd primaria talis ſit rariſſima, ut rectè Ettmüllerus, quicquid etiam hic Sylvius, Primeroſius, Borrichius aliique dicant, ſed potiùs cum neque vomitus, neque ſedes, neque ſudores in bilioſis cernuntur, metuenda eſt Lipyria, vel interprete Stahlio *in Problem. pract. p.* 7. inflammatoria congeſtio interna, niſi fortè cum Lindano malis dicere, quod Lipyria ſequatur partis valdè ſenſibilis inflammationem. Cùm verò vulgò Lipyria deſcribatur per febrim, in quâ interiora quaſi uruntur, exteriora frigent, provide à Lindano monitum, quod nec per partes exteriores vulgò dicta extrema, manus, inquam, pedes, naſus, lobi aurium intelligantur, ſed univerſus corporis habitus. Nec per algorem indigitetur frigus tale, quod tactum Medici, aut adſtantium afficiat, ſed ſatis ſit, quod ægri ſe algere dicant & tegi jubeant, licet aliàs membra tepere videantur. In hâc febre pulſus exiſtit parvus & debilis, urina flaveſcit, lingua arida eſt, expiratio nares proximé adſtantium ferit, vigiliæ vires atterunt, vomitus torquent, inferius labrum, ut recte Primeroſius, tremit, & anxietas miſerrime torquet. Hæc Phœnomena facilè aperiunt, an verum ſit quod prodidit Clariſſ. Ettmüllerus ratione frigoris, febrim hanc referri debere ad genus nervoſum membranoſumque undecunque irritatum, reſpectu verò æſtuationis, ad ſanguinem in præternaturalem fermentationem concitatum, hincque alteratos inſigniter ſpiritus ex acido ſui generis. Edocemur etiam ex iisdem, quid veri ſubſit ſententiæ Sylvii *l.* 1. *prax. c.* 29. quæ vult hunc affectum (ſi modò detur, de quo quidem nos minimè dubitamus) ex duplici febre conſtare, bilioſâ, & pancreaticâ, ac à ſucco pancreatico, frigus, à bile oleoſâ magis, quàm acri, æſtum dependere. Noſtro judicio hîc omnia plana. Nam certum eſt, in primarum viarum canali materiam urentem ac fervidam reperiri præſente Lipyria.

hoc

hoc affectu, nec dubitandum quin facilè, ſi non per vomitus aut ſedes tempeſtivè ejiciatur, inflammatio, & forſan majori ex parte in duodeno, ſequatur. Ab hâc verò omninò par eſt, ut æſtum illum internum, linguam aridam, ſitim, vomitus, tremorem labri, expirationem fuliginoſam, & inflammatione in gangrænam & ſphacelum vergente, cadaveroſam, puncturas in hypochondriis, jectigationes, anxietates, vigilias deducamus. Frigoris verò & algoris, de quo ægri conqueruntur, originem non aliunde rectiùs quàm à ſanguinis ad interiora congeſtione, ac ex habitu muſculoſo ac ambitu corporis ad partem inflammatam, repreſſione ac derivatione petamus. Therapeia, quam ſuadet Primeroſius, per refrigerantia & cardiaca inſtituenda, nobis ad palatum non eſt. Nec Hippocratis curatio *lib. de affect. v.* 107. quâ frigefactoria exterius admoveri cupit, quicquid etiam hîc moliatur Martianus, nobis placet. Jonſtonius Noſter, poſt partium frictionem, calefacientia & poros aperientia applicanda eſſe ſuadet, omninò rectius modò olea, e. g. anethinum, irinum, vitrioli, *&c.* non laudaſſet; nam hæc non conveniunt, licet ante Jonſtonium ea jam laudarit Expertiſſ. Joël Sylvii medicamenta, margaritæ, inquam, corallia, lap. 69. *&c.* habent locum, non quidem quatenus corrigunt aciditatem ſucci pancreatici & nimiam bilis oleoſitatem, ſed quatenus in inflammationibus hæc ritè ſe gerunt. Nam ut præclarè Ettmüllerus: *Lipyria febris, ad modum inflammationum eryſipelacearum partes internas occupantium, curanda per diaphoretica.* Ac profectò nihil agitur, niſi omnes cogitationes eò vertantur, ut æqualis ſanguinis diſtributio obtineatur. Nullum verò humanum ſupereſt auxilium, quando dejectiones aut vomitus nigricantes ſuccedunt.

Synochus Putrida, ſ. Cauſus. Iisdem diebus nonnulli etiam laborabant febri, quam Synochon putridam, ſcholæ Medicorum antiquæ vocant, quam denominationem ſine causâ carpit Franciſc. Piens *Tract. de febr. p. m.* 315. alii Cauſum nominant, quamvis ſint qui Cauſum à noſtrâ Synocho differre velint. Ejus indoles ferè ſequens erat: Plethorici hæmorrhagiis vel V. S. aſſueti, ante Solis ortum, horrore quodam corripiebantur, horripilationem verò illam ſequebatur æſtus valdè gravis ut non abs re ſit, quod habet Pompejus Sacchus *irid. febr. c.* 5. partem ſanguinis oleoſam & ſulphuream nimis excalefactam ſupra modum turgeſcere, & velut in flammam adigi. Reſpiratio anheloſa & ſuſpirioſa erat, cum leipothymiâ ac ἐφυδρώσει, aliàs in febre ſyncopali occurrentibus. Dolores capitis lancinatorii ac tinnitus aurium, ut & vertigines, indivulſi hujus febris comites erant. Tenſiones dorſi & artuum non minori moleſtiâ afficiebant. Sitis premebat maxima, ſignum vehementis febris, quamvis ex Ballonio aliàs benè noverimus, quòd ſitis aliquando major ſit, quàm febris *lib.* 3. *conſil.* 5. Non rarò in febris principio, inflammatoriæ ſanguinis ſtaſes circa pectus, in incremento autem & ſtatu, anginæ cum noſtrâ Synocho copulabantur. Cùm ſymptomata quædam circa hypochondria & caput excitarentur,

rentur, præſenti ſedimento in urinâ, in junioribus circa diem ſeptimum hæmorrhagia narium largior morbum optatiſſimè ſolvebat, in paulo annoſioribus tum cauſus die 14. copioſis ſolvebatur ſudoribus, calamitoſa autem horum ſors, ſi ſoporoſi ſupervenirent affectus. Nam rectè Primeroſius notavit, quòd ſopor nonnunquàm in hâc febre contingat, ac ſæpè funeſtus ſit; nec melior illorum conditio, quando urina decolor redditur, nam tùm phrenitidis & convulſionum ſummum aderat periculum. Aliàs urina primis diebus, diaphana rutilans & rubicunda erat, quarto circiter die ſedimentum deponebat, ſuperiori ejus parte clarâ permanente, fauſtumque recuperandæ ſanitatis indicium præbebat. Pulſus frequens, inæqualis & quodammodo durus, in iis potiſſimum, qui puncturis in regione pectoris conquerebantur. Sunt, qui ſpem omnem ſanitatis reſtaurandæ abjicere jubent, quotieſcunque ſitis, calore tantoperè urgente, ut etiam aliqui, inter quos Oliger. Jacob. *Tom.* 2. *medic. ſeptentrion. Collatit.* ex Actis. *Tom.* 2. *p.* 281. vi ignis febrilis, fœtûs in utero matris, quæ hâc febre laboravit, hoſpitantis, oſſa in pulverem rubicundiſſimum ſoluta fuiſſe, ſcribere non erubeſcant, deficit. At verò minimè deſperandum, modò tuſſis adſit, nam multiplici experientiâ compertum habemus, *quod ſiti non infeſtentur, quibus tuſſes ſiccæ leviter irritantes in ardentibus fiunt*, ut ſonat Hippocratis Aphoriſmus; (*e*) Et Eurianactis filia, febri ardenti correpta, nunquam toto morbi decurſu ſitivit, tuſſiebat autem, ut legimus 3. *Epidemic. Sect.* 2. Oblatum D. Helwich exemplum in Fœminâ, quæ hac febre laborans die 9. excrementa albicantia excernebat, & ictero ſuperveniente feliciter liberata fuit. Eximius V. S. in principio hujus febris eſt uſus, modò illa non ortum trahat à nimiis laboribus, aut ab uſu Veneris, nam Neo-nuptis hanc febrim aliquando moleſtiam facere notum eſt. Ejusmodi enim viribus captis ſanguinis miſſio exitio eſſe poteſt. Cùm enim ſemen ſit quinta eſſentia, floſque ac cremor ſanguinis in toto corpore optimi, totaque ferè Medicorum ſchola Avicennæ ſubſcribat dicenti, plus decedere homini, effluente una ſeminis unciâ, quàm ſi 50. educantur ſanguinis; Poſt magnam ſeminis jacturam, ſanguis ſine piaculo vix educi poterit. Conf. Heinr. ab Heer *obſerv. Med. p.* 175. Pugnatum fuit contra febrim armis nobis uſitatis, i. e, bezoardicis & diaphoreticis, potionibus analepticis & refrigerantibus, decocto citr. tamarindor., emulſionibus *&c.* Epithemata cordi & hepati imponi ſolita ferè apud nos in deſuetudinem abierunt, aut, ſi etiam hîc tyranno trium litterarum aliquid dandum fuit, factum illud, ſub declinatione, ipſiſque epithematibus ea addita, quæ tonum viſcerum reſpiciunt.

Spectatæ etiam à nobis aliæ febrium, ſi vulgaria Medicinæ ſyſtemata ſequimur, ſpecies, Aſſodes, inquam, Elodes, quæ intempeſtivos & inutiles Febres Aſſodes, Elodes, Syncopales.

H

(*e*) Conf. *Caſtig. Græbner. noſtræ p.* 60.

tiles ſudores comites habent, Syncopales, cujus Arabes communiter duas conſtituunt ſpecies, ſed quia rectius ſymptomata febrilia, quam febres ſtatuuntur, neque in curâ peculiare quicquid à nobis obſervatum; non eſt, cur in his nos detineamus. Hæmorrhagiam penis profuſiſſimam ex hæmoptyſi ſuppreſſa D. Preuſſius, ex abuſu Veneris nimio D. Graſſius, ac ex impoſito vertici veſicatorio D. Pauli, ortam vidit. Diarrhææ mixtur. ex eſſent. carm. traumat. ac anodynâ feliciter ſublatæ ſunt. Fortaſſis non ingratum fuerit Lectori, ſi breviter hîc attexuerimus, quo cum ſucceſſu noſtri (quorum non pauci, cum Medicamentis ſublevari non poſſent, ad thermarum opem confugerunt) thermis uſi fuerint. Scimus ea commendari in diuturnioribus capitis doloribus, ac in nervorum affectibus; Cùm itaque Vir aliquis chronico malo jam per annos tortus, animum ad Thermas Carolinas appuliſſet, iiſque ritè uſus eſſet, tantum abeſt, ut malo hoc liberatus, ut potius atrociori inſultu afflictus Vratislaviam reverſus fuerit. Vir Plethoricus diætæ vinoſæ & aromaticæ deditus, litibus de herciſcunda hæreditate implicitus, poſt varias cum affine altercationes irâ effervescens, incidit in vertiginem, & mox lateris ſiniſtri reſolutione & refrigeratione prehenſus eſt, ut nec brachium nec pedem movere potuerit. Truculentiam affectûs D. Helwich idoneis Medicamentis quidem domuit (ut & motus & ſenſus affectarum partium rediret aliquâ ex parte) ſed nullâ arte perfectam ei ſanitatem reſtituere potuit, & propterea ad Landecanas in Comitatu Glacenſi aquas (quas thermas appellari non poſſe, quod calidæ non erumpant, ſed ad lavandum eas calefieri neceſſe ſit, auctor eſt P. Balbin. *in miſcellan. hiſtoric. Regn. Bohem. l.* 1. *c.* 24. *p. m.* 61.) abiit ac prorſus ſanus ac incolumis domum rediit, confirmavitque ſuo exemplo veritatem verborum Noſtri Scriptoris Cl. Schickfuſii *l.* 4. *der neu-vermehrten Schleſiſchen Chronica cap.* 4. *paragr.* 7. *p. m.* 28: * *Den* Paralyticis, *welchen die Glieder gantz unbeweglich und erlähmet oder contract ſeyn, iſt diſz warme Bad gar nützlich, &c.* Et idcircò rectiſſimè eas eo etiam nomine celebrat Kremerus *in deſcriptione fontium Medicatorum in Comit. Glacenſi c.* 3. *p. m.* 63. Idem docent exempla plurium aliorum à membris reſolutis curatorum, licet cum Williſio *de animâ Brut. part.* 2. *c.* 9. ad grallas, tanquam trophæa devicto morbo non provocemus. Unde neſcii ſumus, quô jure concludere potuerit Lamzwerde, quod thermarum balnea non ſint conveniens paralyticorum medicina. In tremore, quo ſubinde poſt terrorem ex fortuito incendio ortum quinquagenarius ſanguineus concutitur, fruſtra ſollicitatam meminimus opem fontium Landeccenſium, Carolinarum thermarum ac Hirsbergenſium, ex quarum uſu auxilium polliceri videtur. Caſp. Schwenckfeld in *deſcriptione Germanica Thermarum Hirſchbergenſium. p.m.* 100. niſi forte loquatur de tremoribus, qui ſolutis febribus aliquando ſuperſunt, quo in caſu balnea aquarum

Hæmorrhagia penis. Diarrhæa.

Thermæ.

* Paralitici membrorum ob contractionem immobilium omni prorſus uſu privati, in hiſce termis ſalutem feliciſſimo cum ſucceſſu quæritant. *Schickf. annal. denuo auct. Siles.*

rum temperatarum laudat Cl. Andr. Baccius *in doctiſſimo opere de therm. l. 7. c. 23. p. 472. edit. Venet.* Vulgò recepta & communiter approbata doctrina eſt, quod thermæ præprimis Carolinæ, arthritidem, malum iſchiaticum diſſipent, imò eas ad articulos nodoſos & duros emolliendos cum Greiſelio *Tract. de cur. lactis in Arthrit. p.* 149. non pauci commendant, credentes quod podagram arthritidemque nodoſam enodent, ut loquitur Cl. Langius *Tract. de Therm. Carolin. c.* 5. *p. m.* 248. & propterea Dn. Strauſſ. *in Therm. Carolin.* non ſine cauſa adducit hiſtoriam *p.* 100. de profligatis podagrâ & calculis in ſexagenario curâ ritè peractâ. At illa fortuna non affulſit afflictiſſimo cuidam arthritico noſtrati, qui, ut acerbiſſimos dolores mitigaret, ſalivatione uſus, & hâc ſpem ejus fruſtrante, cum nullum in pharmacis ſubſidium inveniret, ultimò ad opem Carolinarum thermarum confugit, ſed minus auſpicatò, fereque in his, quam anno, nondum à curâ thermali præterlapſo, exquiſitiſſimis confectus cruciatibus, Vratislaviæ tumbam nactus eſt, præoccupaſſet. Cratonis Noſtri verbis ſequentibus *l.* 1. *Conſ. Med. Conſ.* 16: *Thermæ Landeccenſes profectò, ſi tempeſtivè à moderatis hominibus adhibeantur, plurimum momenti in curâ podagræ, modo morbus ſit curabilis, afferunt*, non adeò frequenter reſpondit eventus. Idem dicendum etiam de Hirsbergenſibus, quamvis aliter olim viſum Caſparo Hoffmanno *in Epiſtolâ quadam Schwenckfeldii Tractat. appendicis loco adjecta*, niſi forte non tam culpæ thermarum, quam luxuriæ immoderatorum hominum ſequior eventus ſit imputandus, quos incurabiles eſſe rectè Crato *l. c.* obſervat. Hoc ipſo tamen minime ſublimes earum virtutes, in profligandâ arthritide, in totum negamus, ſed cum Cl. Sorbayt, Verzaſcha aliiſque debitas laudes tribuimus. In tribus Polonis equitibus ex diuturno hæmorrhoidum fluxu cachecticis, magnam vim Landeccenſes fontes, teſte D. Pauli, exeruere. Steriles Fœminæ promiſcuè maximum ſibi pollicentur auxilium à thermis, & vix decima quæque voto damnatur ſuo, niſi fortè ejus cauſa ſit uteri impuritas, frigiditas ac ſuperflua humiditas, (confer. Fallop. *c.* 17. *de Aquis Thermalib.*) quarum etiam ſatis paucæ prolibus poſt earum uſum beantur.

Fluor albus pertinax malum, modo non ex contagio ortus ſit, Landeccenſibus curatus. At in fluxu menſium immodico, experientiâ edocti, non facilè eas cum Cratone *l.* 3. *Conſ.* 33. ſuaſerimus; tametſi Dn. Vicarius *in Hydrophylacio novo p.* 186. itidem credat, quòd thermæ nimium fluxum menſium moderentur. In doloribus colicis, qui paræſin minabantur, ſcorbuticus aliquis emaciatus, inſigne auxilium à Landeccenſibus expertus, & optimè propterea has Hirsbergenſibus præfert Crato agens de præcautione doloris colici *l.* 1. *Conſ.* 10. In tympanitico corporis tumore cum optimo ſucceſſu Carolinis uſus vir illuſtri genere natus. Hominibus per multos annos cum calculo luctatis commendare thermas, valdè imperitorum eſt. Ii, qui primum doloribus nephriticis infeſtantur, fluctuante ex quorundam ſententia materiâ tartareâ adhuc in vaſis, quique renibus

nullâ labe notatis prædìti ſunt, à tormentis beneficio thermarum noſtrarum inducias ad aliquod tempus impetrare poſſunt. Nuper, ut obiter id dicamus, exemplum habuimus in Polono Equite, quantum noxæ reportent ex thermis ii, qui meatum urinarium, carunculis impeditum habent. In obſtructionibus hepatis, lienis, pancreatis, vaſorum Meſaraicorum, in fluxu menſium impedito, magna thermæ noſtræ præſtant. Conf. de uſu thermarum in ſcirrhis viſcerum Dolæum *in Encyclop. Chirurg. rational. l.* 3. *c.* 4. Virtus quoque earum elucefcit in incipiente ſurditate, in quâ thermis Bollenſibus c. ſucceſſu uſus eſt Horſtius, ut ipſe teſtatur *tom.* 2. *Oper. p.* 489. Morbis quoque cutaneis, achoribus, tineis, ſerpiginibus, tumoribus, ulceribus & abſceſſibus opitulantur, ut toto videmus die. In aſthmate ſeni aliquot attulerunt auxilium. In pruritu, diro illo malo, ſeptuagenaria aliquantulum per Landeccenſes ſublevata eſt. Hæc allata ſunt eo fine, ut intelligeremus, quam conſona vero ſint illa Savanorolæ: *Medicus bonus & prudens oculos mentis omni ſtudio apponere debet, antequam infirmo conſulat de tranſitu ad balnea;* nam nullus paulo peritior Medicus eſt, qui non raro ab acidulis & thermis æque languentes rediiſſe viderit, quales abierunt, quamvis induſtriæ ſuæ nihil reliquum in curâ feciſſent, nam ſolatium illud per hyſterergiam ſæpè numero evanidum eſt, & à ſubſequente letho ſugillatur, ut noſtra faciamus illa Clar. Collegæ noſtri Roſini Lentilii *in Miſcellan. Medico-Practic. p.* 475. Et ſanè nullus aquarum medicatarum uſus eſſe poteſt, niſi quando conſtat, morbum vel per vias urinarias (copioſi enim tales fontes urinam movent) vel per ejectionem ſordium (quas vehementer & ferè ſine torminibus exturbant, ubi thermopoſia invaluit) ſuperari poſſe. Et hæc tantò magis fidem merentur, quanto eſt certius, quod morborum, quorum medela ex aquis illis petitur, cauſa ferè ſit crapula & alimentum ſupervacaneum, & vix deviaremus à tramite veritatis, ſi noſtra faceremus in Sileſiâ Clariſſ. Liſteri *ex exercit. alter. deſcript. Thermar. ac Fontium medicatorum Angliæ* ſequentia: *Univerſus victus nimirum & vita etiam optimorum virorum minimè ex naturæ legibus ſobria & parca eſt, neque quoad ciborum quidem genera rectè inſtituta, ut quæ nonniſi ex fructibus naturaliter ſumi debuerint: ab ipſis, inquam, incunabulis guloſitatem docemur, atque reliqua ferè vitâ noſtrâ palato & voluptatibus indulgemus, atque hæc valetudinis noſtræ præcipua calamitas eſt.* H. J. *loco citat. p.* 147. *&c.* Paralyſin linguæ D. Preuſſius & D. Helwich, hic in Presbytero, ille in aliâ perſonâ, Deo annuente, intra bidui ſpatium iſte, hìc verò intra ſeptimanæ inter-vallum curarunt.

Ophthalmia. Dum ad Septembrem progredimur, primâ ſtatim fronte occurrit Ophthalmia, de quâ quidem jam ſupra obiter mentionem fecimus, nunc verò frequentia requirit, ut iterum breviter de ea agamus; Collega Noſter D. *Oehmb*, eam toties expertus, quid in proprio corpore obſervarit, paucis ediſſeremus. Ophthalmia ipſi habitualis eſt, per intervalla rediens, iterumque recedens, nunc in hoc, nunc in illo oculo, antea quidem dex-

tro

tro frequentius, nunc ſiniſtro. Hoc anno per integrum Auguſtum & Septembrem, maximè ipſum cum aliis afflixit, febre ſtipata inflammatoria, quotidie ſub veſperam recurrente. Præter ruborem, dolorem & tumorem oculi, tanta ſimul lippitudo, & copioſior lymphæ effluxus è narium ſiniſtro oculo affecto vicino effundebatur, ita, ut per metaſtaſin quaſi omne ſerum, per vias has effluere videretur, quod alibi nempè in inteſtinis & renibus adeò deficiebat, ut æque ac in hydrope, ubi propter eandem ſeri ῥοπὴν, & alvus & urinæ excretio parca eſt, utraque harum excretionum ad ſtuporem uſque retardaretur. Alio tempore oculi ejus inflammati collyria cujuſcunque generis perferre poterant, tàm calida, quàm frigida &c. Hoc anno nullum planè perferebant, maximè frigida, & quibus myſti pulveres, ſola humida ſine pulvere, v. g. ex decocto cort. granator. c. croci orientalis paucâ quantitate calidè applicata, unice tolerare poterat, ex quibus etiam levamen ſenſit. Ex internis, cùm ab aliquot jam annis, omnia remedia vinoſa v. g. eſſentiæ c. ſpiritibus ardentibus factæ item ſalia volatilia propter orgaſmum ſanguinis, quem excitant, ipſi nocuiſſent, eorum nullo uſus eſt, quocunque etiam nomine remedii ſpecifici aut depuratorii ſuperbiret, nec reliqua etiam ſicca, quæ quodammodo maſſam ſanguineam calefacere, ut Diaphoretica, aut fundere, ut Cinnabarina, poſſunt, adhibuit, exceptis ſolis lapillis cancrinis, qui interdum ſine damno capiebantur. Cortex Chinæ, quo in aliis Febrium generibus cum ſucceſſu multiplici in corpore ſuo uſus fuerat, in febre fugandâ quidem virtute ſua non deſtituebatur, aſt cum inflammationis augmento, quod plus unâ vice expertus, ita ut, ſi febrim per aliquot dies mitigare vellet, Electuario Chinato uteretur; ſi ruborem & ardorem compeſcere, ab eodem deſiſteret. Inter univerſalia neque purgantia, neque decocta lignorum aliquid illi conferebant, imò malum exaſperabant, ita, ut per integrum paroxyſmi tempus, omni ferè remedio, tàm interno, quàm externo, carere cogeretur, ſolâ diæta tenuiori immo ſimpliciſſimâ contentus. Ex externis veſicantia tamen experiri placebat, circa quorum applicandi locum, curioſum quid, ſuo damno, obſervavit. Applicabat eadem circa aurem ſiniſtram in loco, oculo affecto, ſecundùm Autorum & Collegarum, qui ipſum viſitabant, conſenſum, imò præſcriptum, vicino, ex quâ re duplex damnum percipiebat.

1. Quamprimum cantharides, quod intra quinque horas factum fuerat, virtutem ſuam exeruiſſent, ſaporem in ore ſentire ſibi videbatur Xibetho analogum, qui, quamdiu veſicatoria eodem in loco relinquebantur, perdurabat, & cuivis alimentorum & potulentorum generi ſeſe miſcebat, ut nauſeam exinde caperet.

2. Dolor in dies, imo horas ſingulas, veſicis humorem plorantibus, exacerbabatur & lippitudo adeo augebatur, ut ſingulis momentis oculus aquam ſtillaret. Quo duplici incommodo permotus, veſicantia poſt triduum, ex eodem loco, in remotiorem, & quidem pedem ſiniſtrum transferebat, ex quo duplex iterum enaſcebatur obſervatio.

1. Quod intra Nycthimeri ſpatium veſica, emplaſtro etiam fortiſſimo, vix excitari potuerit, propter ſerum ad ſuperiora verſum.

2. Quod, quam primum veſicæ in pede ſtillare incipiebant, quod parcius tamen contingebat propter eundem ſeri defectum, in momento quaſi dolor oculi remitteret.

Plures experti, ut ante innuimus, eundem eo tempore affectum. Vidimus enim ſatis multos, quorum oculi tum lachrymis ſtillabant, in abdito latente adhuc causâ, cur humores hâc tempeſtate, ex ſanguine in glandulis ad fauces ſitis, evacuentur, alia verò, tum in aliis corporis partibus, tùm in glandulis ad oculos, ſeu ut clarius loquamur, ignoratur hodieque, quid ſit, quod ſanguinem commoveat, ut modò hâc modò aliâ viâ, humores ſeroſo-lymphatici exturbentur. Parcite verò Carteſii manes, quòd ſuperfluam illam humiditatem non ex vaporibus condenſari credamus, ſed natales ejus in glandulis quæramus, ſc. lachrymali, innominatâ, iiſque quæ in palpebris reperiuntur. Pridem enim felix acutiſſimi Stenonis dextra detexit, quomodo humor per ductus ex lachrymali quidem per pauciores, per plures vero ex innominata ad oculos derivetur, & jamdudum Celeberr. Meibomius *in Epiſt. ad Langelot.* accuratè deſcripſit novos ductus glanduloſos in utraque palpebrâ plures ſæpè triginta, qui ſub Limbo cartilagineo palpebrarum verſus bulbum oculi ſiti, oſtiola ſua in ipsâ extremitate limbi habent: hoc vero indubitatum præbet argumentum, quod per hos ductûs, qui, ut diximus, verſus oculum hiant, ad ſuperficiem oculi humor fluat. Sed præter humiditatem illam affluentem, quæ ſubinde ſatis acris eſt, ipſaſque genas exulcerat & excoriat, in tunicâ adnata cernitur rubor, vaſa arterioſa & venoſa in conſpectum prodeunt, quod vix fit, ubi membrana inflammatione correpta non eſt. Quin aliquando ſerpit labes ad reliquas oculi tunicas, uveam & corneam, ipſaſque palpebras, & æſtus ad humores in bulbo latitantes propagari videtur. Ruborem & ardorem comitatur dolor. Præterea ægris oculus connivet, & lucem ferre nequit, pupilla etiam aliquando anguſtatur, palpebræ coaleſcunt. Quibuſdam hâc oculorum inflammatione laborantibus V. S. profuit, (confer. Hildan. *Cent.* 4. *obſ.* 14. & Galen. *l.* 13. *Method. medend. c. ult.*) alii, ne minimam quidem utilitatem ex ea cœperunt. Hoc & Dolæus perſpectum habuit, imo auſus eſt ſcribere: *V. S. meo judicio, hic magis obeſt, quam prodeſt, qui ſanguis non eſt in culpâ nec ille eſt evaſatus*, quæ quidem ratio ſatis jejuna eſt, ut enunciatio ipſa minimè vera, nam quòd obfuerit V. S. nemo noſtrum unquam vidit. Purgantia ferè omnibus aliquod auxilium attulerunt; quod olim Duretus in Coac. prædiction. optimè notavit, & nuper adhuc Doctiſſ. Pechlinus in dialogo de potu thee ita ſcribens: *In oculorum inflammationibus, cum fruſtra diu laboratum topicis & collyriis, uno ſæpè purgante totum morbum profligari.* Ac Spigelius *Anatom. l.* 7. *c.* 2. notavit, cœcos etiam à copioſo alvi profluvio, derepentè exorto, viſum, & quidem ſubito, recepiſſe.

Diapho-

Diaphoretica, ut omnium inflammationum remedia ſunt genuina, ita quoque in hoc affectu apprimè juvant, quemadmodum præclarè Dolæus in *Encycloped. Chirurg. p.* 168. confer Horſtium *l.* 7. *obſ.* 25. Et hîc quidem decocta Lignorum & Chinæ & ſarſaparill. vulgo promiſcuè laudantur, quamvis in plethoricis magis obſint, quam proſint, idemque de his dicendum, quod de decocto fœnu Græci (quantum ad uſum externum) ſcripſit Septalius *l.* 6. *animadv. n.* 79. ſc. nimis eſſe calida. Et quod Simon Pauli *Quadripartit. Botanic. claſſ.* 3. de vino Euphraſiato, ut vocat, habet, circumſpectè agendum, ne promiſcuè utamur. Nonnulli in pertinaciori ophthalmiâ ad ſalivationem confugiunt, quod in Nobili Fœminâ ante aliquot annos fecit D. Tralles: Verum in tantam ex hâc curâ oculi inflammationem mulier illa incidit, ut cœcitatis periculum ægerrimè potuerit declinare. Juvenem ex contagio venereo ophthalmiâ laborantem ſalivatione mercurialibus excitatâ occæcatum, meminit D. Pauli. Topica, quæ fronti & temporibus ſub formâ emplaſtrorum aut cataplaſmatum ex adſtringentibus v. g. myrtill. balauſt., thure, maſtiche, ſucco acaciæ &c. à Chirurgis affluxûs ſiſtendi causâ apponuntur, vix approbare poſſumus, eò quod hæc adſtringentia remoram injiciant humoribus in minimis vaſis in orbem redeuntibus, cùm ad fluxiones prohibendas nihil melius ſit, quàm liberum in minimis vaſis procurare humorum motum. Conſuetudinem illam vulgi & muliercularum, omnibus Collyriis vitriolum album admiſcentium, jam pridem caſtigavit Celeberr. Wedelius *de Medicament. compoſit. extempor. p.* 208. Tutia, prout vulgo paratur, jam olim ſuſpecta fuit Montano *Conſult.* 142. Et ſanè omnis dies docet, quod, niſi in tenuiſſimum pulverem convertantur tutia, ceruſſa, æs uſtum, in oculorum affectibus vehementer noceant. Confer. Hildan. *cent.* 5. *obſ.* 28. Et nemo paulò magis in praxi verſatus diffitebitur, quod etiam ex laudatiſſimis præſidiis inſigne damnum in ægros redundet, niſi cum prudentiâ adhibeantur. Sacra anchora in inflammationibus oculorum eſt Setaceum. Non tamen vanus eſt Plempius, ſcribens, quod in ſiccioribus magnopere læſionem adaugeat.

Cæterum cùm ſit ſatis clarum, medicamenta, quæ oculis imponuntur, non tam diu inhærere, donec vires ſuas exerant, optandum omninò, ut tandem vaſcula illa vitrea inſtar cucurbitularum oculi orbitæ reſpondentia ab Hieronym. Fabrit. ab Aquapendente (*f*) excogitata, in uſum trahantur; nam liquore repleta oculo commodè admoveri poterunt, iis etiam cum fructu Silvatic. Capivaccium alioſque eſſe uſos novimus. Paulo eſt obſcurius, quid judicandum de remedio illo ophthalmiæ, quod quondam aliquis Bartholino, ut *Cent.* 4. *obſ.* 80. teſtatur, communicavit. Hoc verò vult,

(*f*) *De Chirurgic. Operation. cap. de ſuffuſione p. m.* 22. conf. etiam Sculteti *armament. Tab.* 8. *fig. X.*

vult, ut lobulus auris lateris affecti perforetur, perque foramen factum trajiciatur turunda longiuſcula ex inverſo & convoluto cortice radicis laureolæ, tàm diù relinquenda, donec auris & vicinæ partes intumeſcant, ubi demùm turunda leviter commovenda, ut aquæ copia collecta effluere queat, hâc exhauſta ſpoſpondit fore, ut auris detumeſceret, & ophthalmia ſedaretur. Conf. River. *Cent.* 4. *obſerv.* 100. Cl. Schneiderus *lib. ult. de Catarr.*, quæſtionem illam ventilat, an Febris ophthalmiam ſolvere poſſit, cum Hippocrates ipſe doceat, *quod febris ſuperveniens ſit ſolutio lippienti*; Neganti nos teſtimonium perhibemus, quamvis omninò probabilè ſit, motu febrili poſſe humorem in oculis hærentem, per metaſtaſin ad alia membra, ad pleuram, jecur, pedes *&c.* protrudi. Ophthalmiam chronicam, cæteris omnibus fruſtraneis, abraſione capillorum capitis, ſanatam vidit D. Preuſſius, ſuccedente tamen tuſſi, quæ ab ipſo laxantibus ſublata fuit. Idem quotidianam algidam in ſeniculâ, cum Paralyſi pedum ſub paroxyſmo conjunctam, notavit; Et in aliquâ etiam dolores arthriticos cum paralyſi alterutrius lateris conjunctos, qui, ſalivatione ex propinato mercur. d. cum ſtimulo purganti fortuito ſuccedente, plene fuerunt debellati.

Diarrhææ. Febres continuæ.

Diarrhææ ſatis erant frequentes, neque tamen, ut ſolerter obſervavit D. Graſſius, niſi ad medium menſis durabant, ac locum deinceps cedebant redeuntibus febribus continuis cum doloribus capitis, nuchæ, faucium, orificii ventriculi, laſſitudine ulcerosâ, *&c.* quæ bezoardicis fixis & temperatis optimè curabantur. D. Helwich non meminit, in ullo menſe plures ſe audiviſſe fœminas conquerentes de perturbatione menſium, ac quidem in hoc ipſo Septembri. Tot enim occurrebant, quibus gravitas circa regionem uteri, laſſitudo, moleſtia circa præcordia, & nauſeabunda adverſitas, anguſtia in motu verſus loca acclivia, & aſcenſu ſcalarum, palpitationes cordis, ſpaſmi artuum, hemicrania, nephritis, hæmoptyſis, aliaque ſymptomata erant moleſta, quæque non immeritò ſibi metuerent ab aſthmate, ſcirrhis viſcerum, hydrope, epilepſia, paralyſi, phthiſi, contracturis *&c.* Cauſa verò tam frequentis ſuppreſſionis unicè quærenda erat in ingurgitatione ciborum frigidorum & viſcidorum, fructuum horræorum omnis generis, lactucæ, olerum, lacticiniorum, panis calidi, carnis ſuillæ, aliorumque, puta placentarum mellitarum, *&c.* Ubi quidem res ipſa loquebatur, emetica iis, in quibus malum nondum egerat radices, danda eſſe, quorum etiam ſalutarem effectum non paucæ expertæ fuerunt. Illis verò, quæ jam per aliquod tempus ſuppreſſione menſium laboraverant, lenioribus purgantibus ac incidentibus & aperientibus ſubveniendum erat. In pituitoſis cum fructu adhibita fuère ea, quæ pollent facultate reſolvendi mucum, v. g. rad. galang., ari, dyptamn. caryophyllat, bryon., helen., helleb. nigr. herb. agrimon., meliſſ., puleg., roriſmar., crocus *&c.* flor. calendul., cheir., *&c.* ſed ſanguineæ præſentius ſenſere levamen ex uſu rad. cichor., rub. tinct., taraxac., fl. cent. min., *&c.* Gummi ammoniacum palmam his omnibus faceret dubiam,

Perturbatio Menſium.

niſi

niſi delicatularum guſtum offenderet, aut fortè placeat, reſinoſas ejus partes ſpiritu extrahere & in forma guttarum exhibere. Nihil quoque impedit, quo minus poſtmodum martialia exhibeantur, quod etiam non rarò factum. Stimulantibus non niſi circa Lunæ phaſes, præmiſsâ depletione ſanguinis in exiguâ doſi, repetitis vicibus, (ſecus ac imperiti empirici faciunt) naturam officii ſui admonuimus. Cum enim Wierus, Marchetti, aliique notarint, non rarò copioſum circa uterum ſtagnaſſe ſanguinem, quæ ex emmenagogis illis myrrhatis, ſabinâ ac cumprimis oleo ejus ſperari poteſt utilitas? Nulla, imò præſens potius noxa metuenda eſt; nam, per repentinum & præcipitem illum ſanguinis appulſum, infarciuntur pori, ac major ſanguinis ſtaſis oritur, & obſtructio redditur pertinacior. Quod quidem in juvenculis, quibus tardius menſes erumpunt, ſole clarius eſt, nam tantum abeſt, ut pellentibus natura ad reddendum tributum menſtruum invitetur, ut potius ad alia molimina impellatur, & non raro convulſivi affectus, paſſiones ſuffocativæ ac hæmoptyſes conſequantur, ſicuti aliquot exempla infelicis ejuſmodi curæ Nobis cognita ſunt. Quandocunque vero circumſtantiæ uſum emmenagogorum eminentium exigunt, practici erit providere, ne alvus ſit adſtricta, nam niſi hoc fit, ſanguis congeritur ad caput, & hinc occaſio datur dolori gravativo, diſtenſivo, vellicanti, ac inflationi exteriorum partium, tinnitui aurium, frigori circa verticem capitis, *&c.* quæ pathemata mulieribus hypochondriacis, & propter ſuppreſſionem menſium hyſtericis, admodùm ſunt familiaria, tùm aliàs, tùm quando alvo obſtructâ pellentibus profluvium menſtruum reluctanti naturæ extorquere Medici geſtiunt. Nec minùs benè multis tùm temporis menſes prorsûs ceſſabant quamvis ſatis inordinatè; Cum ejuſmodi verò planè miſerè per totam vitam agitur, niſi in peritum inciderint Medicum. Nam niſi is admodùm ſollicitè caverit, cholericæ quidem in aſthma ſiccum, tuſſim ſiccam, hæmoptyſin, phthiſin, *&c.* facillimè prolabuntur; Phlegmatico-ſanguineæ autem tumores pedum œdematoſos incurrunt; Sanguineas verò lerna malorum excipit; Nam alias epilepſia torquet, aliæ doloribus hypochondriaco-hyſtericis, vomitibus, cardialgiis nauſeabundis, per reliquum vitæ tempus obnoxiæ degunt; quibuſdam per intervalla vox intercipitur, facies ſæpè turget, cervix quaſi onere aliquo incumbenti deprimitur, auditus hebeſcit, nonnullæ cum Rheumatiſmis conflictantur, alias iterum malè mulctat paralyſis, ut de anginâ, eryſipelate, nephritide *&c.* jam non dicamus. Et quamvis diætam exactiſſimam ſervent, vitæ ſedentariæ valedicant, placidè corpus moveant, ſanguinem vel per V. S. vel per ſcarificationes depleant, nondum charybdim prætervectæ ſunt, niſi motum ſanguinis providè moderetur Medicus & ſpumanti ac exundanti ſanguini debito tempore repagula objicere norit.

Nec nulli erant, quos tùm vexabat dyſenteria, quâ de occaſione fluxûs eo tempore graſſantis, breve ſcriptum elucubravit Collega noſter D.

 Chriſ-

Chriſtian Helwich, in quo Phænomena notavit & præter alia curam annexuit. Cùm verò cum noſtris obſervatis concordet, eum tractatum in ſuas diſtributum Sectiones cum veniâ Lectorum ſubjiciemus.

SECTIO I.

§. 1.

DYſenteriæ omnium maximè ſub finem æſtatis & autumno graſſantur, præprimis ſi *hyems auſtralis & pluvioſa*, *h. e.* Interprete Celeberrimo Tozziô clemens & placida, *ver autem ſiccum & aquilonium* fuerit; Ejus enim generis tempeſtates, difficultates inteſtinorum parere, innuit Hippocrat. lib. de *Aere*, *Aquis* & *Locis*, ut & *Sect.* 3. *Aphoriſ.* 12. & hoc tanto magis, ſi æſtas fuerit calida. Idem tamen Hippocrat. etiam auctor eſt dyſenteriam poſt frigidam & humidam aëris conſtitutionem oriri *lib.* 1.*Epidemic.*

§. 2. Interdum fluxus hic dyſentericus ſporadicè affligit, interdum verò epidemicè ſtragem edit in omnis generis homines ſævitiam ſuam exerens.

§. 3. Otioſis, gulæ & ventri perlitantibus, ab eo majus periculum imminet; horum enim corpus pravis, glutinoſis ex prava digeſtione ſcaturientibus humoribus infarctum eſt In quem etiam ſuô modô referas phlegmaticos. Cæteroquin miris animi perturbationibus obnoxii ejus generis homines eſſe ſolent.

§. 4. Cholericæ etiam ſanguineæ conſtitutionis qui ſunt, facile dyſenteriam incurrunt & ægrè ab illô malo liberantur. Exempla hujus rei paſſim obvia ſunt. Juvabit hîc legere doctiſſ. Foreſt. *lib.* 22. *obſerv.* 35. & in *hiſtor. ægrotor.* Lindan. XXII. Ejus temperamenti etiam fuit Comes ille, cujus dyſenteria deſcribitur *in* Fortis *Centur.* 2. *conſultat. & Reſp. C.* 96. *p.* 243. Nam ait, *eum fuiſſe temperamenti totius & jecoris calidi & ſicci, gracilis habitûs, ad iram pronum, delitiis deditum &c.* Melancholici rariùs dyſenteria excruciantur. Hinc Joh. de Lamoniere in luculenta illa deſcriptione *fluxus dyſenterici* qui Lugd. Gall. 1625. populariter graſſabatur, teſtis eſt, ſe non *vidiſſe melancholicum dyſenteriâ correptum.*

§. 5. Utplurimùm etiam dyſenteria viris magis eſt funeſta quam Fœminis: ita, quod mireris, ipſæ etiam gravidæ frequenter per partum ſubſequum citra ullam fœtus noxam hâc inteſtinorum difficultate exſolvuntur. Ita Bartholinus vidit gravidas, ne ultimis quidem menſibus dyſenteria extinctas; & doctiſſ. Sennertus *lib.* 3. *Practic. part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 7. *p.* 621. narrat, duas Nobiles fœminas dyſenteriâ correptas & alteram quidem partui vicinam à dyſenteriâ incolumi fœtu liberatam, alteram à pariendi tempore adhuc longius remotam abortiiſſe quidem ac fœtum mortuum edidiſſe, ipſam tamen matrem fuiſſe ſervatam.

§. 6. Pueri etiam & Senes ægerrimè dyſenteriam ferunt ac raro evadunt. Melior, ſi quid meæ hâc in re experientiæ credere poſſum, hîc ſors

ſors eſt lactentium, qua in ſententia me confirmat de Lamoniere. Raygerus verò ait, ſe obſervâſſe multos infantes dyſenteriâ interemptos eſſe.

§. 7. Præ cæteris ad malum hoc diſpoſiti ſunt, qui in morbo venereo quondam mercurio ſupplicarunt & ab Hydrargyroſi opem tulerunt. In eâdem navi ſunt phthiſici aut occultâ viſcerum labe affecti & gravibus ac contagioſis quondam morbis defuncti. Uberioris experientiæ confirmatione eget, quod à Lamoniere traditur de contagio à cognatis non ad alios adſtantes & famulantes, ſed ad cognatos ſolùm propagato; ſingularis etiam hic eſt obſervatio Cl. Waldſchmidt *An.* 2. *Ephemer. German. D.* 2. *obſerv.* 213. de dyſenteria conſolidatum ulcus pedum excipiente.

§. 8. Præcedit autem dyſenteriam ferè ſemper diarrhæa, interdum autem tumor aliquis ſive diſtenſio abdominis.

§. 9. Frequentiſſime cum horrore & rigore, modo graviori, modo autem remiſſiori invadit. Videas partes poroſas conſtringi, vaſa in peripheriâ corporis diſparere, & extrema ſenſu frigoris affici recurrenteque æſtu perfundi.

§. 10. Tormina mox invaleſcunt & moleſtiſſimè affligunt; Audiuntur querelæ de intolerabili inteſtinorum cruciatu eorundemque depreſſione ac viſcerum omnium deſcenſu, ut accurate notavit Sydenham *in Op. p.* 22. quibus intimum illum lancinationis ſive puncturæ ſenſum cum tenſoriis atque preſſoriis doloribus, quibus umbilicus retrahitur, expreſſit. Conf. *Miſcell. Nat. Curioſ.* 1673. *obſerv.* 11. Hinc non immeritò torminum nomine dyſenteria Celſo venit. Dolor autem ille non unum eundemque locum ſemper occupat; nam interdum maximè furit circa umbilicum & hypogaſtrium; interdum autem circa hypochondrium utrumque, ilia ac inguina, ac ille quidem ſævior, hic mitior eſt, hunc breviori intervallo ſequuntur dejectiones, iſtum aliquantò tardiùs excretio excipit.

§. 11. Peſſimis ægri rebus interdùm dolores prorſus abſunt, ut bis mihi obſervare licuit, & præterea Bartholinus, Rhodius, Wedelius aliique teſtantur, niſi forte cum Lindenio exiſtimes, implicare contradictionem, dyſenteriam eſſe & ſine dolore eſſe; quamvis vel ipſe Hippocrat. 2. *Epidem. ſect.* 6. §. 50. mentionem faciat dyſenteriæ ἄνευ ὀδύνης.

§. 12. Sequuntur dejectiones. Primo pinguia prodeunt excrementa, utplurimùm mordaci acredine locis per quæ tranſeunt, infeſta, modo flava, modo viridia, modo albicantia, rariùs nigra, ſæpè etiam varia, ſemper tamen magis minusve mucoſa, quæ in altitudinem ſtupendam ab imô ad ſummum cohærentem ſubinde tolli queunt; Deinde ſordes illæ, cujuscunque fuerint notæ, ſanguine parcius largiusve perfuſæ ſunt. In ambiguo enim eſt, an dejectiones illas torminoſas cruoris expertes, quales & Williſius & Joh. Lamoniere memorant, fas ſit ſub ambitu dyſenteriæ complecti, præſertim cum aliam etiam ipsòmet Williſiô teſte, curam quam dyſenteria requirant. Hollerius excrementa iſta ferè ſemper ſpumoſa, de quibus conſulendus Roderic. à Caſtro, eſſe notavit. Memini his

 oculis

oculis vidiſſe excreta per fermentationem in magnitudinem ſatis amplam cum admiratione circumſtantium ſeſe extendentia & teterrimum fœtorem exhalantia. Conf. Cheſneau *obſerv. lib.* 3. *p.* 311. Si ulteriùs ſerpat malum, excrementis ſanguineo-mucoſis pelliculæ & fibræ permiſcentur, ac, ſi nondum ferocia morbi compeſcatur, ſed altiùs malum penetret, ſanioſa & putrida materia prodit.

§. 13. Viſi etiam mihi ſunt, qui ſanguinem purum non infauſto exitu in largiori quantitate excernerent. Nec defuerunt, qui ſanguinem ſine excrementis funderent & intra breve tempus morerentur, cujus rei notabile exemplum de ancillâ ſuâ intra triginta horarum ſpatium plus centies ſanguinem nullis fæcibus admiſtum rejicienti narrat Loſſius *lib.* 3. *obſerv. Medic. p.* 206. *&* *ſeq.* Conf. etiam laudatus antea Cheſn. *p.* 306. Ejuſmodi excretionem, ſinceram, appellant, quâ de inter alios agit Roderic à Caſtro *in var. Exercit. pag.* 14.

§. 14. Dejectiones interdum adeò frequentes, ut vix miſeri ſellam foricariam deſerere poſſint, interdum tamen induciæ ad aliquot horas conceduntur. Utut verò ſæpiſſimè urgeantur dyſenterici ad alvum reddendam, non tamen id, quod excernitur, adeò magnæ eſt quantitatis, quin ſæpiſſimè inanis tantum eſt dejiciendi appetentia ac anus perpetuâ punctione, pruritu tenſivoque dolore moleſtatur. Cum teneſmô non raro conjuncta eſt procidentia ani, vid. Holler. *lib.* 1. *de morb. intern. c.* 43. & *annotationes in illud.* Clariſſ. Sydenham in eâ eſt opinione, (*g*) quod morbo in longum protracto inteſtina ordine quæque ſuo deorſum verſus afficiantur donec in rectum inteſtinum malum omne detrudatur & in teneſmum ac ani procidentiam deſinat, quæ tamen viri hujus obſervatio experientiæ per omnia hactenus non reſpondit. Ex dictis proclive eſt ſanguinolentum cum torminibus profluvium id eſt dyſenteriam diſcernere & ab hæmorrhoidibus & hepathico veterum fluxu, in quo dejectiones carnium recentium loturæ ſimiles deprehenduntur.

§. 15. Utplurimùm dyſenterici ſimul febricitant, & dum interiora ardent, exteriora corporis frigent, id quod per torporem frigidum Aurelianus ſignificare voluit. Facilè verò illa habitus muſculoſi refrigeratio ab aurâ provocatur & intenditur, ſubinde tamen æſtus intercurrit, ac attenta docet obſervatio, quòd horrida quædam refrigeratio ſedes præcedat, æſtus vero ſequatur. Appetitus præterea dejectus eſt & affligit ſitis inexorabilis. Lingua viſcida albicanti mucilagine obducta eſt, non raro etiam atro infecta ſucco ſqualet. Vigiliæ pertinaciſſimæ vires atterunt. Gravis quoque præcordiorum anxietas cum exacerbatione circa veſperam premit. Urina modò impensè rubet, modò turbida eſt, modò cruda, obſervante illuſtri noſtro Schröckio.

§. 16. Multis ſymptomatibus dyſenteria ordinariô quaſi ſtipata eſt. Nam initio

(*g*) conf. *Caſtigation. Noſtræ Græbnerian. p.* 62.

initio frequenter conjuncta eſt cum vomitu. Ejus rei notabile exemplum affertur ab Hildan. *lib. de Dyſenter. c. 6.* in Puero, qui ab initio morbi uſque ad extremum vitæ diem omnia, quæ aſſumebat, cum multa putridiſſima materia & vermibus ultra duos de viginti evomuit. Quin imò & ſanguinis vomitum obſervavimus, eumque non lethalem; & curâ Celeberr. Wedelii evaſit aliquis qui aliquoties ſanguinem per os excreverat *Decur. 1. Ephemerid. A. 2. obſerv.* 44. Quâ in re etiam teſtem ſe ſiſtit Thomas Bartholinus.

§. 17. Comitantur dyſenteriam nonnunquam ſingultus & convulſiones, quæ triſte fere præbent prognoſticon. Conf. *Ephemer. Decur. 2. A. 6. obſervation.* 82. Ejuſdem commatis etiam ſunt crebræ animi defectiones; evaſere tamen nonnulli. Ita ſingultum incipientem memini me quoque feliciter pulvere præcipitanti adjuncto olei cujusdam aromatici momento ſuſtuliſſe. Inter rariora autem numerandum exemplum, quod habet Hercules Saxonia *lib. 3. cap. 23. de Dyſenter. & teneſmo p. m.* 260. ita ſcribens: *Quendam ex atrâ bile curatum vidi. Incipiebat à flavâ bile & poſt abibat in atram cum ſingultu & vomitu.* Puſionem dyſenteria laborantem ſupervenientibus convulſionibus liberatum refert Cl. Paullin. *in Append. A.* 7. *Dec.2. p. m.* 133.

§. 18. Urinæ fluxus ſolet eſſe impeditior, quod ante tot ſecula obſervavit Aurelianus, ejuſque exemplum occurrit *in exercitat.* Pœonis & Pythagoræ *p.* 64.

§. 19. Non rarò dyſentericis etiam exanthemata erumpunt, morbilli, inquam, (vide *obſervat. Decur.* 2. *Eph. A.* 6. *p.* 174.) variolæ, (conf. *Dec.* 2. *Ephemerid. A.* 8. *p.* 103.) ac petechiæ. Et licet aliquando dyſenterico-petechialis febris curetur, ut legere licet *Dec.* 2. *Ephemerid. Germ. A.* 9. *p. m.* 185. & ipſemet in adoleſcente obſervavi, eventus tamen utplurimùm ſolet eſſe triſtior, quâ de re videſis *Dec.* 2. *Ann. X. obſerv.* 15. *p. m.* 35.

§. 20. Interiora oris frequenter aphthis obſidentur, videas enim non rarò repentinam phlogoſin linguæ quaſi eryſipelaceam cum ſuppuratione momentanea aut ſub uvulâ excoriationem & ſtigmata ſanguinem tranſudantia; Et hæc rariſſimè bonæ ſpei ſunt. Quod etiam dicendum de prunellâ ſive fiſſuris in craſſiori linguæ parte cum æſtu inflammatorio diuturniori & ſummâ faucium ariditate. Memorabile hac de re exemplum extat in Gabelchoweri *Cent.* 1. *curat.* 50.

§. 21. Nonnunquam etiam dyſenteriis ſeſe adjungunt dolores acerrimi circa regionem cordis, oppreſſiones pectoris, interceptiones anhelitûs, adeò ut ægris nonnullis à ſuffocatione metus ſit; Accedit & in faucibus lentæ pituitæ copia per aliquot dies recurrens, ut gargariſmorum opem frequentem non ſecus requirant ac febres malignæ in fauces humorem noxium effundentes, obſervante Cl. Olaô Borrichiô.

§. 22. Mors præ foribus eſſe ſuevit, cum labia livent, genæ præter naturam rubent, oculi concavi ſunt, naſus aquilinus cernitur ac extre-

ma frigent. Omnibonus Ferrarius *de cur. infant. fol.* 226. addit aliud inſtantis mortis indicium, quod non memini me obſervaſſe, dùm ita ſcribit: *Qui habet dyſenteriam & apparet poſt ejus aurem ſiniſtram veluti res nigra ſimilis orobo cum vehementi ſiti, moritur in decimo & non tardat nec evadit.*

§. 23. Et hæc & forte alia plura in viventibus obſervare licet. Videamus etiam, quænam in corporibus anatomico cultro ſubjectis ſeſe ſenſibus offerant. In genere certum eſt, quòd canalis inteſtinorum vitiatus deprehendatur. Vitium autem hoc non eſt unius modi. De inflammatione eorum res certa, & tametſi non adeò copioſa proſtent exempla, (ex hac fortaſſis ratione, quod mors raro ſequatur, quamdiu malum intra inflammationis terminos coercetur,) ſunt tamen aliqua. Joh. de Lamoniere *p.* 4. *de fluxu dyſenter.* teſtis eſt, quòd, cum cadaver dyſenterici alicujus curioſius inſpiceret, inter alia inſignem inflammationem pylori & tenuium inteſtinorum invenerit. Cum Platerus dyſenterici pueri corpuſculum, in quo craſſa inteſtina tumebant, aperiret, eadem liventia, ac ſi inflammata fuiſſent, deprehendit, jam autem loca inflammata, quæ in viventibus rubra ſunt, poſt mortem livere ſolent; vid. Plater. *lib.* 3. *obſerv. p.* 857.

§. 24. Sæpius inteſtina inveniuntur ſphacelata. Ita iſtius dyſenterici, cujus modo ex de Lamoniere meminimus, inteſtinum rectum erat ſphacelatum. Et Fabritio Hildano *lib. de gangr. c.* 4. teſte, dyſenterici ſexagenarii inteſtina undique gangrænoſa fuere reperta. Conf. etiam Barbette *lib.* 4. *Prax. c.* 5. Gangræna autem omninò convincit præceſſiſſe inflammationem.

§. 25. Aliquando ulceribus & apoſtematibus obſeſſa ſunt inteſtina. Clariſſ. Coberum hic teſtem laudo, qui, cum plura cadavera aperuiſſet, inteſtina paſſim pugnum excedentibus apoſtematibus & ulceribus perenni ſerie ſcaturientibus ebulliiſſe vidit. *Decur.* 2. *obſerv.* 10. *p. m.* 110. Hinc dejectiones ſanioſæ, ut audiendus minime ſit Holterhoff in diſcurſu de *erroribus Medicorum*, in quo non paucos ipſe commiſit, *c.* 4. *p.* 33. ſi hoc vult, in dyſenteriâ nunquam eſſe ulcus inteſtinorum.

§. 26. Ulterius inteſtina modo excoriari, modo ad ſummam tenuitatem reſiccari, modo in locis aliquibus perforari; interdum etiam coaleſcere fidem faciunt obſervationes congeſtæ à Boneto *lib.* 3. *Anatom. Practic. Sect. XI.* quæ per otium evolvi à quovis poterunt.

§. 27. Ex iis etiam diſci poterit, ventriculum, hepar, meſenterium, epiploon, ſubinde graviſſimè in dyſenteria affici & tumoribus, ulceribus, gangrænâ, ſphacelo, &c. defœdari.

SEC.

SETIO II.

§. 1.

MUlta ſunt, quæ dyſentericum fluxum interdum ſine morâ, aliquando verò poſt aliquod temporis intervallum excitant. Et hujus generis ſunt initio venena quævis, & cumprimis arſenicalia. Quæ hic Mercurius poſſit, ii norint, qui ſalivationem vel per inunctionem Mercurialem, vel ipſum Mercurium dulc. internè datum provocarunt. Toto die etiam videmus à purgantibus draſticis, in enormi, ut fieri ſolet à Barbitonſoribus & agyrtis, aliisque Medicaſtris, doſi exhibitis, dyſentericum fluxum provocari. Conf. Foreſtus *lib.* 22. *obſerv.* 37. *Scholio.* Tulpius *Obſerv. l.* 4. *obſerv.* 26. ut & Stalpart. *p.* 131. De dyſenteriâ ab aſperitate annuli excitata legatur Zacutus *l.* 2. *Pr. Mirab. Hiſt.* 84. Rex Poloniarum Michaël extinctus ejusmodi ſanguinis profluvio eſt, & non pauci cauſam ejus in adamantino pulvere, ab inimicâ manu ipſi obtruſo, recubuiſſe ſuſpicati ſunt. Certè circumfertur vulgò adhuc ſubtilis hic ingenii luſus de morte ejus:

Si pretioſa mors eſt ſanctorum,
Verè Michaël *Rex Poloniæ*
Sanctos inter primarios numerandus eſt.
Mors enim ipſius fuit pretioſiſſima.
Quis non pretioſam mortem exiſtimet,
Quæ adamantibus comparata eſt?

§. 2. De Lumbricis nota res eſt, eosque in flagranti delicto aliquando deprehendit Drelincourt, hominem 40 annorum, qui totos dies quindenos perdiùs & pernox abdomen manibus comprimens ſellæ inſederat foricariæ, poſt mortem ſecans, nàm univerſi coli decurſus in ſecretioribus cryptis atque cellulis vermium latibula paſſim prodidit. Alii hûc & illûc palantes graſſabantur. Alios verò anguineo flexu contortos, implicatos conglomeratosque vidit. Conf. etiam Brand. *Obſerv. in Act. Haffn. Tom.* 5. *obſ.* 31. Uſus aceti in plumbeo vaſe aſſervati, ut & aquæ in plumbeis canalibus diutiùs aſſervatæ in dyſenteriam præcipitavit. Vid. Bonnet. *p.* 618. *lib.* 4. *Medic. collat. Septentrion.*

§. 3. Inter cibos dulcia, nimis ſalita, fumo indurata, male audiunt. Aretæus accuſat cæpas, allium, carnes vetuſtas, ſ. quæ diù ſervatæ ſunt, ut explicat Mercurialis *in prælection. pathol. p.* 326. Ab horariis, auſteris, tota caſtra impleri dyſenteriis novimus. Uvæ rubigine aliisque ſordibus inquinatæ, nocentiſſimæ ſunt. Et de uvis ſimpliciter idem illud teſtatur Conringius *in Exercit.*, ad Billich. *Anatom. fermentation.* §. 9. Pepones aliquibus Imperatoribus, Friderico Tertio inquam, & Alberto II. fuiſſe funeſtas, eosque ex uſu iſtorum torminibus excruciatos animam expi-

raſſe,

raſſe, refert Cuſpinianus. De dyſenteriâ poſt polyporum eſum, evolvere, ſi placet, licebit Amat. *Cent.* 6. *Cur.* 73. Ab aliis ova barbi piſcis accuſari recordor. Ex eſu braſſicæ capitatæ, noxio rore infectæ, dyſenteriam ortam legimus *Ephem. Curioſ. Dec. I. Ann.* 3 *obſerv.* 88.

§. 4. Ex potulentis hûc pertinet algida, præprimis ſi alio fuerit imbuta ſapore. Sane Drelincourtius vidit Pariſiis dyſenteriam ortam ex aquâ Sequanæ hauſtâ juxtà navigia linteis ſapone tergendis dicata. In eo etiam cenſu ſunt muſtum, cereviſia fœculenta, vel ex aquis putridis parata. Theophilus Imperator Conſtantinop. ex frequenti aquæ frigidiſſimæ, cujusmodi nivalis eſt, potu in dyſenteriam prolapſus eſt. Imo Conſtantinopoli quotannis Turcæ plurimi æſtivo tempore alvi fluxu divexati decedunt, quod non niſi ex immodico potu nive & glacie refrigerato illis accidere Medici aſſerunt, ex fide Mercatoris alicujus apud Marcell. Donat. *lib.* 4. *de Hiſtor. Medic. Mirab.* 325. Avenzoar de ſeipſo recitat hiſtoriam, quòd in itinere comederit herbam, quam non nominat, ex quâ factus dyſentericus. Vinum Rhenanum liberalius hauſtum, *Ephem. Dec. II. Ann.* 11. *obſerv.* 168. dyſenteriam induxiſſe legitur.

§. 5. Sæpè verò etiam illi dyſenteria corripiuntur, qui ab his omnibus abſtinuerunt, eo præſertim tempore, cùm malum eſt epidemicum. Accuſatur hîc contagium ab excrementis, ſupellectile, quâ dyſentericus eſt uſus, accubitu, effluviis ex ægri corpore per poros aut halitum in adſtantes derivatis, Helidæus Paduanus obſerv. teſtis eſt per fiſtulam clyſmaticam, quam adhibuerat torminoſus, dyſenteriam in corpus ſani eſſe transfuſam; Lac dyſentericæ infeciſſe infantes, apparet *ex Ephem. D.* 2. *ann.* 6. *obſ.* 195.

§. 6. Ut verò rectius conſtet, quomodo illa Phænomena ex his ſimilibusque oriantur cauſis, tribus verbis præſuppoſita quædam ex Anatomicis & Phyſiologicis hîc commemorare fas ſit. Inter quæ primum ſit.

1. *Inteſtina in fluxu dyſenterico laborare*, excretio enim per alvum læſa jure optimo ad inteſtina, tanquam ad πρῶτον πάχον reducitur, quia ipſorum eſt ἐνέργεια fæculenta excrementa ex corpore ejicere.

2. Ea ipſa conſtare, juxta ſententiam ubivis fere receptam (1.) ex *tunicâ exteriori* communi pinguedine paſſim obductâ, (2) *media carnoſiori*, quæ inſtructa eſt duplici fibrarum ordine, longitudinali ſeu recto, qui tunicam illam exteriorem membranaceam vulgò dictam tangit, & ad contractionem inteſtinorum in longum à natura conſtitutus eſt, & annulari, qui longitudinali ſuperimpoſitus, ad coarctationem inteſtinorum in latum factus eſt. (3.) *Nerveâ*, *craſſâ*, & denſâ vaſorum ſanguiferorum plexibus & ramificationibus refertâ ac rugoſâ. (4.) *Villoſâ* quam nonnulli cruſtam inteſtinorum, alii περίςομα, alii aliis nominibus appellant, Willis glanduloſam nominat, quod parte convexâ, quæ Nerveæ jungitur, magnâ glandularum copiâ conſita ſit; ſicuti & alii, cum Clar. van Horne, velamentum bombycinum nuncupant, quod parte oppoſitâ videatur contexta ex fibrillis bombycini

bycini panni filamenta referentibus. Ab hac originem juxta Ruyſchium *Epiſt. XI.* ducunt valvulæ conniventes, rugæ nempe ſeu juga per inteſtina jejuna diſtributa.

3. Tertium inter præſuppoſita eſt, *reſpectu totius paucas eſſe arterias ad inteſtina deſinentes*, quæ ſunt verba Malpighii *in Operib. poſthum. p.* 251. imò ſi Borelli ſententia *part.* 2. præclari operis de motu animali *propoſ.* 146. *p. m.* 221. & *ſeqq.* vera eſt, vix 25 pars totius maſſæ ſanguineæ, tempore, quo una circulatio ſanguinis per cor abſolvitur, à vena portæ redit.

4. Quartum ſit hoc, quod *venæ portæ ramificationes occurrunt ad inteſtinorum volumina*, meſaraicæ dictæ, & aliæ verſus extimam tunicam inoſculantur arteriis, ut revehendo inſerviant ſanguini, aliæ immerguntur intimæ tunicæ, & in inteſtina hiant, uti id præprimis Clariſſ. Hartmanni experimenta oſtendunt, in quo conſentit Ruyſch., ſi D. Hartmann per intimam tunicam intelligat nerveam, per hanc enim in majori copiâ vaſa ſanguiflua diſperguntur.

5. Glandulas tenuium eſſe *miliares* & *efformare plexus varios*, modo orbicularis, modo ovalis, modo anguloſæ figuræ, *craſſiorum vero glandulas eſſe grandiores* & ad lentis figuram accedere, & longius à ſe invicem diſtare, quarum deſcriptionem diſtinctè exhibet Doctiſſ. Peyerus in exercitat. Anatom. Medicâ hujus argumenti; & harum originem Ruyſchius à tunicâ nervea, aut potius vaſis ſanguifluis petit eaſque ſpurias nominat.

6. Bilem *per ductum Cholodochum in inteſtinum duodenum effundi*, & *ſuccum pancraticum per ductum* Hoffmanno-Wirſungianum, in eandem derivari fiſtulam. Nec prætermittendum, quod ordinariò ferè inſertioni pori biliarii ſeu cholodochi orificium ductûs pancreatici non longè à pyloro jungatur.

7. Adeſſe & *Nervos*, juxta communiorem opinionem à ſexto pari, qui juxta Williſium *de nervor. deſcription.* & *uſu cap.* 25. intercoſtalis nervorum paris ſoboles ſunt.

8. Motum *periſtalticum ſ. circumpreſſorium* fieri, dum circulares ſeu annulares fibræ ex ordine contractæ inteſtinorum cavitatem conſtringunt, & longitudinales breviores factæ, partem unam inteſtini ad alteram propiùs adducunt, quem vermicularem motum fæcum propulſio ſequitur. Ordinariè ejuſmodi motus ventriculi & inteſtinorum placidus eſt, & cibi ingeſti hâc ſuavi tractatione, per quam diſtenſus canalis coarctatur, promoventur. Qui plura de his deſiderat, evolvat Sylvii *dictata ad Barthol. inſtitut. anatom. c. X.* & *XI.* Williſ. *in Pharmaceut. rational. Sect.* 1. *c.* 2. Gliſſon. *Tract. de Ventric.* & *inteſtin. c. XI.* & *cap.* 15. *de facultate periſtalticâ.* Hornium *Microcoſm.* §. 21. & Hoffmann *diſſertat. Anatomico-Phyſiolog.* Hieronym. Fabric. *in Operibus Anatomico-Phyſiolog. p.* 138.

9. Febrim excitari, quotieſcunque in parte quadam vel fluidâ, qualis ſanguis, lympha & ſerum, vel ſolidis, aliquid præſto eſt, quod vel corruptionem infert, vel eandem minatur, cujuſcunque etiam generis ſit, ſeu ſalini, ſeu ex numero pinguedinum & mucaginum; Hoc enim, quodnamcunque demùm fuerit, ut ſecernatur, & organis debitis per motum humorum localem colatorium excernatur, febris accenditur, id eſt, pulſus fit frequentior & fortior, ac ita non modo ſæpius breviori tempore, ſed & fortiori tranſpreſſione agitatur ſanguis, quam de febribus ſententiam mihi omnino firmiter perſuaſerunt varia D. Stahlii Celeb. Profeſſoris Hallenſis ſcripta.

SECTIO III.

§. I.

JAm diſpiciamus, quomodo memoratæ cauſæ ad effectus eos producendos concurrant. Regnat ubique ferè civitate quaſi donata ſententia, quod enumeratæ cauſæ pleræque efficaciam ſuam exerant irritando, vellicando, ſtimulando inteſtina atque eo ipſo tormina excitent & fluxum dyſentericum. In hâc ſanè ſententia eſt Paracelſus cum ſequacibus, ſal reſolutum accuſantibus; in hâc Helmontius, ut apparet ex libr. *de poteſtate medicamentorum*; in hâc Bertraud. *Tr. de acid. & alkali*, *c. 6.* & plures alii. Ac non vanum cauſæ hujus patrocinium potiſſimum in purgantibus vehementioribus fortaſſis aliquis quærat; nam ipſa eſſe acria ſenſu deprehendimus, plurima enim in pila trita inque aërem abeuntia naribus ſternutamenta, oculiſque lacrymas excutiunt. Hellebori pulvis membranæ pituitoſæ percitis poris hærentem tenacemque blennam in rivulum diſſolvit. Elaterium quoque & euphorbium aliqui in errhinis commendant. Rhabarbaro nonnulli frequentem provocant ſalivam, & aloën eodem fine commendat Braſſavolus. Huic aſſertioni probandæ doctiſſ. Pechlinus *caput* 13. impendit *in Exercit. de purgant.* Ita ergò hi ſeriem cauſarum connectunt: Ratione temperamenti multi adſunt humores acres, bilioſi, ſalſi, mordaces, pituitoſi (nam homines temperamenti cholerici & phlegmatici potiſſimum dyſenteriâ corripi diximus) ac præterea per pravam victûs rationem aſſumptis iis, de quibus antea locuti ſumus, cumulantur humores, ac proinde non poſſunt non inteſtina rodi, ac hinc dyſentericæ dejectiones provocari. Quæ quouſque admittenda ſint, ex ſequentibus, opinor, eluceſcet.

§. 2. Non negamus, quod in dyſenteria, ab ingluvie & incauto horræorum fructuum eſu ortâ, adſint in inteſtinis cholericorum & phlegmaticorum humores, acres, auſteri, acidi, urentes, *&c.* quibus generandis apta nata ſunt edulia à nobis antea deſignata, eo, quem Sectione præcedente, explicavimus modo. Nec negamus, quod ejus generis humores moleſtiam eamque ſic ſatis inſignem inteſtinis afferre queant; at verò

rò quòd irritatio tanta inde oriatur, quæ intolerabili propemodum dolore miſere mactet patientes, id verò eſt, quod credere non poſſumus, his moti rationibus. Nam

(1.) Diximus inteſtina obducta eſſe muco quodam, qui id præſtat officii tunicæ nerveæ, quod cuticula cuti veræ, i. e. nuditatem ejus amicit, ac eandem uniformiter oblinit. Nam judice Ruyſchio *epiſt. XI. mucus utilis eſt tunicæ villoſæ, ne lædatur ab acribus aſſumptis.* Hoc verò operimentum, qui vel ſemel attentius aſpexerit, fatebitur omninò, non ſatis comprehendi poſſe, quomodo humores, quaſcunque etiam cum recentioribus philoſophis iis figuras tribueris, nerveam inteſtinorum tunicam, quam περίςομα illud munit, vellicare ac potenter adeò irritare poſſint. Sed ponamus, villoſam tunicam non prohibere, quo minus humores illi mordaces in tunicam nerveam irruant, dicimus nerveam tunicam ſenſu adeò exquiſito non pollere, adeoque fieri non poſſe, ut irritationem hanc ineffabilis dolor conſequatur. Quod vero ſenſus nerveæ hujus tunicæ adeò acutus non ſit, alia viſcera nervis denſiſſimè intertexta, hepar, inquam lien etiam enormiter læſa evidenter probant; nam quantacunque eorum noxa fuerit, dolor certè adeò penetrans non obſervatur. Ac multò minus de tunicâ illâ ex fibris conſtanti aliter judicandum, poſtquam Clariſſ. Wepferus detexit, *Fibras ventriculi, inteſtinorum &c. nihil aliud eſſe, quam nervos, vel ſaltem ad horum naturam accedere* in Zodiaco Medic. Gall. *ann.* 4. *obſerv.* 2. At verò admiratione dignum, nec tamen à verò abludit, quòd in Salzmanni *obſerv. Anatom. Amſtelod. edit. p.* 59. *& ſeqq.* legimus de *interiore ventriculi* tunica omnino corroſâ, *ita ut quaſi in lacerâ veſte fruſta plurima dependerent nigricantia, & ventriculo ita putrido, ut leviſſimo negotio diſrumperetur*, & tamen æger ille de tanto dolore ventriculi non fuerat conqueſtus, ſed ſolummodò *de imbecillitate totius corporis & dolore hypochondrii ſiniſtri cum dejecta appetentiâ & ſiti continuâ*, ut refert Salzmannus *ibid. p.* 58. Et cumprimis notabile etiam eſt exemplum in *Obſerv. doctiſſ.* Dodonæi *c.* 27. de cereviſiæ coctore, qui *non modo ulcere ventriculi laboravit, & omnia viſcera corruptiſſima habuit*, & gangrænâ in pede exortâ extinctus fuit, is ante mortem reſpondit, ſe nullâ corporis parte dolere, neque unquam doluiſſe. Nec ſenſit dolorem, cui *ab uſu magiſterii perlarum ventriculus eroſus*, teſte Cratone, & cui id contigit ab uſu ſpiritus vitrioli. Nec adeò magnum ſenſit dolorem ille, de quo *Ephem. Dec. I. ann.* 11. *obſerv.* 299. Merclin. refert, quod in demortui ventriculo foramen repertum.

(2.) Id etiam perpendi cupimus, quod *acria* multa, e. g. piper, ſinapi, ſalia herbarum fixa, per incinerationem facta, *amara* etiam e. g. abſiythium, cent. min., fumaria, myrrha, aloë, *Acida* quoque, ut poma citria, aurantia, limonia, berberes, tamarindi, imo *ipſum acetum*, it. ſpiritus ſalis, ſulphur., vitrioli, *&c.* Similiter & *auſtera*, fructûs cynoſ-

 bati,

bati, vitriol. ♂. *&c.* tandem & *urentia*, ut ſpiritus illi ardentes, toto die ſumantur, ex quibus non niſi materia acris, auſtera, ſalſa, acida, *&c.* oriri poteſt in inteſtinis, & tamen illi, qui his delectantur, nullum in inteſtinis ſentiunt irritationis, vellicationis, roſionis, uſtionis, *&c.* ſenſum, aut certè non tantum, quantum quidem dyſenterici perpetiuntur. Accedit

(3.) Quòd poſt uſum horræorum fructuum, ingurgitationem muſti, &c. non finitâ coctione, ut fieri neceſſe erat, ſi ex chymo, irritante inteſtina, dyſenteria oriretur, de doloribus illis dyſentericis conquærantur ægri, ſed ſæpè poſt plures demum ab uſu eorum dies cruciatibus illis torqueantur.

§. 3. Obvia ergò in inteſtinis ſive *intus genita*, ut humores, quos bilioſos vulgò vocamus & acidos, ſive *ex ſeminio ſpecifico exorta*, ut vermes, ſive *ex forinſecus hauſtis orta*, e. g. ex comeſtis melonibus, prunis, piris, pomis, *&c.* aliiſque nocivis cibis, objecta quævis ſeu liquida, ſeu pulverulenta liquamini alicui *immerſa heterogenea*, utique rodunt quidem ac particularum ſuarum acumine aliquam moleſtiam afferunt inteſtinis, non tamen, ut dixi, irritando, ac ſpiculis ſuis inteſtina vellicando, tormina dyſenterica excitant. Unde ergò illa oriuntur? Hoc ut eruamus, notandum, quod hæc in cavo inteſtinorum contenta, de quibus jam dictum eſt, ita ſint comparata, ut maſſæ ſanguineæ commixta, maximos in eâ tumultus faciant, imò ſanguinem ad fermentationem, (nam timiditas Sydenhamii ab uſu vocabuli hujus nos deterrentis merito reprehenſa eſt à Clariſſ. Schelhamero de *curand. febb. method. p.* 41.) putredinoſam diſponant. Id præcipuè cernere licet in fructibus horræis, præcipuis dyſenteriæ autoribus. Hi, quemadmodum facillimè extra corpus in putredinoſam fermentationem fatiſcunt, etiam in ipſo corpore facilè vitium ſubeunt, id quod in dyſenteria fieri nemo negat. Scilicet, ut reliqui cibi, ita fructus horarii in maſſam pultaceam abeunt, quæ perinde, ut alii cibi, conſtet ex parte aqueâ ſubtili, oleosâ & mucilaginosâ referente naturam ipſorum fructuum. Nimirum vel abundat in cremore illo pinguedo ſeu ſulphur illud volatile, quod oleoſum & vim balſamicam appellare Wedelius ſuevit, & magno impetu ad putredinem ruit, vel prævalet mucago illa terreſtris, quæ ſalinæ proſapiæ eſt, nec ab oleosâ, à calore corporis adjutâ, reſolvi & conteri poteſt, & tum lentoris & viſciditatis mater fit, quæque, cum ei crudior affunditur potus, in ſpirituoſum quoddam ſulphureum abit. Hujus itaque liquaminis & cremoris aut maſſæ fermenteſcentes partes ſanguini permixtæ, eundem è mixtione ſuâ diſturbare, partes ejus divellere omninò moliuntur, id quod apud recentiores in confeſſo eſt. Ac ipſa res non uſque adeò intellectu difficilis eſt. Nam muſtaceæ illæ particulæ motu inteſtino putrefactionis extenuantur in conſiſtentiam halituoſam, ac eo ipſo redduntur diſpoſitæ ad perreptandos colatoriorum atque ſecretoriorum viſcerum meatus atque poros, ac corrumpunt hoc

hoc ſuo motu materiam obviam, quæ apta eſt, ſeu partes ſanguinis in ſuæ figuræ ſimilitudinem tranſmutare ſatagunt, atque ita ſemet multiplicant non ſine præcipiti ſanguinis deſtructione. Principium ergo movens, ad hoſtem hunc in inteſtinis hærentem, vitæ filum facili negotio abrupturum, ſi ex peninſula inteſtinorum in ſanguinis oceanum ruat, ex corpore exterminandum nihil non molitur.

(1.) Enim fit copioſior humoris congeſtio ad inteſtina, eum namque in finem partes poroſæ & vaſa externi habitûs contrahuntur, ut ſanguis è poris & vaſis ad interiora propellatur. Manifeſtum verò ſatis eſt, humoris hanc congeſtionem ad interiora fieri ad materiam in inteſtinorum cavitate ſtabulantem diluendam & emolliendam, ut diluta & emollita tantò facilius è corpore ſecernatur. Hanc talem congeſtionem non poteſt non frigus aliquod conſequi, ut vel circumſtantiæ vomitûs accuratiùs perſpectæ edocebunt.

Deinde (2.) ipſa inteſtina irrequiete moventur. Fibræ iſtæ annulares tunicæ carnoſæ arctiùs, ac ordinariò fieri ſolet, conſtringuntur, longitudinales etiam abbreviantur, ut materia aliena cruſtæ impacta avellatur & ejiciatur. Nec dubitandum, quin ipſum etiam Meſenterium, quod in ſingulis palmis duodecim circiter inteſtinorum palmos, calculum ponente Williſio, complectitur, variè contrahatur, imò, ſi laudatum modo Autorem ſequimur, *Fibræ motrices rectà à centro ad circumferentiam tendentes, prius contrahuntur*, & deinde in his aut illis inteſtinorum partibus pares contractiones cient: quod dum fit, ut fieri res ipſa docet, neceſſario irrequietum hunc & impetuoſum fibrarum in meſenterio ac inteſtinis motum ac mutuam colliſionem, & ramuſculorum meſaraicorum ab inſigniori congeſtione ſanguinis diſtenſionem, graviſſima ventris tormina non poſſunt non comitari, ut cuivis exactè trutinanti facile patet. Rectè itaque Celeberr. Ettmüller *in Colleg. Practic. p. m.* 144. nobiſcum infert, *acerrimum dolorem, qui dyſentericos torquet, non promiſcuè ex corroſione ſed fere maximâ ex parte ex ſpaſmodica inteſtinorum convulſione, qua inteſtina irritata ſpaſmo quodam correpta ſe convellunt, aut motu quaſi vermiculari torquent*, oriri.

§. 4. Dum verò inteſtina ita contrahuntur & miſerè torquentur, ſequuntur excretiones, &

1. Quidem mucilaginoſæ albicantes. Cùm verò ſubinde enormis quantitas muci hujus albicantis exeat, non immeritò quæritur, unde ſit? Pituitam eam, quæ ordinario nuditatem nerveæ tunicæ inveſtit, partem aliquam dejectionum conſtituere, ſolam autem non ſufficere, in propatulo eſt. Nec hic Helmontium fuimus ſecuti, qui ait, talem mucum *deſtillare ex inteſtinis læſis*, & nihil aliud eſſe, quam *nutrimentum inteſtinorum proximum ſed læſum.* Quis enim, ut alia taceam, credat, tàm copioſo indigere inteſtina nutrimento, ut hoc ſolum, tam frequentibus per diem dejectionibus, materiam præbere poſſit. In eandem difficultatem incidunt, qui chylum eſſe contendunt, ut Rolfinc. *Conſ. p.* 665. aliique plu-

res. Glandulas ſolas compreſſas hunc eructare humorem, ſi dixeris, eâdem difficultate premeris. Ex unico ductu pancreatico itidem tam inſignis quantitas ſtillare vix poterit, licet aliàs certum, quòd multa fæx ſeroſa, ex ductu pancreatico, propter arteriarum ad pancreas delatarum copiam & magnitudinem, in inteſtinum deſpumet, & hoc ligatura in vivo animali facilè evincet. Ulteriùs aliquando vivo cani ſub excrementorum in inteſtina delapſu, tuſus venter fuit, inteſtinorumque tenuium partes hinc inde vinculo interceptæ ſunt, atque hic conſuto ventre relictus ſibi canis docuit Cl. Pechlinum, quantum ex glanduloſo texto liquoris, intra tempus non adeò longum, in inteſtina erumpat. Tumor enim ingens interceptas partes occupare cœpit, & ad apertionem ſeroſa illuvies latè ſtillavit, manifeſto ſigno, hoc liquidum, quod inter duo vincula eruperat, inteſtinalis tunicæ fuiſſe ſudorem. Glandulæ inteſtinales inſignem quoque, ut ante innuimus, quantitatem eructant ſeroſæ materiæ, quæ ſimilis eſt illi, ex pancreatico ductu fluenti, ut probat experimentum Cl. Wepferi in cane, cui *data opera ab eo fuerat abſciſſus canalis pancreaticus*, per totum bimeſtre, poſt hanc operationem, ſuperſtite, factum in Zodiaco Medico Gallico *ann.* 4. *obſ.* 2. *pag. m.* 4. Cl. Ruyſchius addit, magnam partem laticis aquoſi per poros, quibus inteſtina ſcatent, diverſæ capacitatis fluere *in Epiſt. Anatom. XI.* Si itaque hæc omnia conjunxerimus, quis non videt, quod partem aliquam mucilaginis conſtituat cruſta illa inteſtinorum oblinens parietes, partem ſuccus pancreaticus & lympha glandularum, ut & fæculenta materia in inteſtinis hærens. Nec dubium, ex vaſis ſanguiferis in inteſtina hiantibus excidere aliquid, quod ejuſdem cum cruſtâ villosâ proſapiæ ſit, prout doctè, licet non ad genium ſeculi, explicat Gliſſonius de facultate ſecretrice, præprimis id fit, quando in maſsâ ſanguinea peregrinum aliquod oberrat, ac ſanè notatu dignum, ab uſu colocynthidis colluviem quandam albicantem & glutinoſam effundi, quod, quomodo fieri poſſit, datâ occaſione docebitur. Facile vero captu eſt, quod ſub motu inteſtinorum impetuoſo & ſpaſmodico concuſſæ glandulæ, ductus pancreaticus, ipſa etiam arteriarum oſcula humorem hunc albicantem copioſius ſtillent, imò quandam cruſtæ, ſub his inteſtinorum laboribus, abradi partem, ac quicquid in inteſtinis hæret, ſimul excludi à vero non abludit.

2. Frequenter etiam cernuntur excretiones flaveſcentes, quas bilioſas vocant. Nec adeò arduum eſt, bilioſi magmatis, quod ſæpè etiam ut notum eſt, à dyſentericis ejicitur, fontes recludere, poſtquam felix Malpighii ſolertia oſtendit, etiam *ligato cyſtico ductu*, ex quo ſolo bilem in inteſtina depluere antea creditum fuit, frequentem ex hepatico tranſire ductu in inteſtinum. Quâ in re non minor eluxit induſtria Teckopii, qui bilem hepaticam, folliculo benè conſtricto, ad tres quatuorvè uncias, brevi temporis intervallo, lagenulâ excepit. Quo ipſo ſatis edocemur, quantum ex utroque ductu, in duodenum, intra breve tempus præprimis in mor-

morboſo ſtatu effluere poſſit. Aretæi ſententiam, quod bilis etiam in ventriculô ac inteſtinis generari poſſit, in *Ephemerid. noſtris* tuetur Cl. Hartmann. Sed an etiam virides, nigras dejectiones bili adſcribemus? In hanc aliquis induci poſſet ſententiam ex eo fundamento, quod in anate & plurimis avibus, veſicaria bilis viridis ſæpè, hepatica, nigra & plumbea inveniatur. Sanè poſtquam ex foro Medico aduſtio illa bilis flavæ, per quam in porraceam & æruginoſam abeat, proſcripta fuit, communi quaſi ſuffragio excepta ſententia eſt, quod à ſucco pancreatico, vel lympha acidiori mixta cum bile porraceus & Iſatodes color exſurgat. Et de acido quodam, ad hanc mixtionem concurrente, vel ex eo aliquis ſuſpicari poſſet, quod ab infantibus, in quibus acidum, cui Harris tanquam fundamento omne morborum infantilium genus ſuperſtruit, ejuſmodi dejectiones prodeant, quæ ſæpiſſimè acidum ſpirant, & in pelvi æneâ efferveſcentiam excitant. Favet huic ſententiæ omni ex parte hoc, quod fructus horarii, dyſenteriæ fontes, facile in ventriculo aceſcant, & ejuſmodi dejectiones gignant, obſervante etiam Bontio *de Medicin. Indor. lib.* 3. *c.* 6. Apodicticum fermè hujus rei argumentum ſuggerit Cl. Grafius de Succo Pancreatico, qui, cum in vivi canis inteſtino duodeno humorem ex atro vireſcentem inveniſſet, unà cum ſucco pancreatico, ſalſo, acido & limpido, cupiditate incenſus reſciendi, quænam æruginoſi hujus coloris vera cauſa eſſet, cum in veſiculâ bilem coloris ordinarii offendiſſet, opportune ſpirit. vitriol. ei immiſcuit, quo ipſo colorem ex atro vireſcentem produxit. Sed id prætereà etiam notandum, quod in malè affectis corporibus, in veſicâ fel deprehenſum, colorem rub. ceraſorum aterrimorum repræſentans.

§. 5. Quoniam verò ſedes etiam ſanguinolentæ comparent, ſcrutabimur, quo pacto ſanguine tingantur. Atque hìc communiter vaſorum in inteſtina hiantium eroſio ſeu diabroſis ab acri & mordaci ſupponitur, i. e. capillarium Venæ portæ vaſorum, quæ intimæ tunicæ telam contexunt dilaceratio ab humore inteſtinorum parietibus infixo fieri creditur. Neque perfractè negavero, ita aliquando rem habere. Multò tamen magis vero ſimile eſt, quod excuſſo per vehementem & impetuoſum fibrarum motum muco oſcula vaſorum intimæ tunicæ, in maximâ utique copiâ, ut diximus immerſa, ſanguinem hunc plorent. Eam rem apertè confirmat anatome mulieris cujuſdam, quæ à ſumpto pharmaco, in enormem ſanguinis vomitum inciderat, & Parcis inexorabilibus ex hâc vitâ diſceſſerat, à Clariſſ. Wartono celebrata. Is, cùm in cavitate ventriculi non nihil ſanguinis reſtaret, dorſo cultri, ut penitus rem inſpiceret, interiorem tunicam deterſit, quo facto, innumera ſanguinis punctula in ſuperficie deterſa, ſenſim comparuère, ipſa quoque tunica cruenta viſa fuit, nec tamen ullum, vel ruptæ, vel exeſæ venæ veſtigium præſto fuit. Id, quin ſimili modo in dyſentericorum inteſtinis fiat, ambigendum minimè eſt. Si dixeris, in enormi ſubinde quantitate ſanguinem etiam nul-

lis

lis fæcibus miſtum effluere, eum verò oſculis illis nullo modo excidere poſſe; Reſpondebo cum Gliſſonio, hæc puncta numeroſa æquivalere eruptioni ſanguinis, ſive è vaſe rupto, ſive exeſo. Confirmor in hâc ſententiâ vel inde, quod in febribus malignis, ubi de torminibus ventris ægri quæruli non erant, aliquando viderim per multos dies ex inteſtinis in largâ quantitate, ſanguinem rejectum; nullis hæmorrhoidum vel externarum vel internarum ſignis, quem difficile eſt, ex alio, quàm hoc fonte, oſculis, inquam, illis, derivare. Deinde cogitandum & hoc, quòd vaſcula illa per tranſitum muci, (nam eum ex parte hinc fluere dixi) dilatentur, ac ita dilatati, accedente iſto irrequieto motu, omninò copioſius ſanguinem fundant. Ruyſchius *epiſt. XI.* etiam ex glandulis, quæ meris vaſorum protractionibus conſtent, effuſionem ſanguinis fieri ſtatuit.

§. *6.* Hæ dejectiones, quas breviter hactenùs deſcripſimus, per motum inteſtinorum ſpaſmodicum diriguntur, utique ad excludendum id, quod in inteſtinis eſt peregrinum & quod ſanguini infuſum, huic latici enormem eſſet allaturum noxam. Motus enim ſpaſmodici ad excluſionem ejus, quod corpori moleſtum eſt, ordinariò concurrunt. Id cernere licet in vomitu, ubi illæ anxiæ ventriculi torſiones, ad excutiendam ſaburram tendunt. Dolores illi partum antecedentes, quid ſunt, niſi ſpaſmodicæ uteri contractiones, ad excludendum fœtum, directæ? Manifeſtò quoque in negotio hæmorrhagiarum hoc ipſum experimur, ſpaſticæ enim contractiones, tractiones, preſſiones, rigores, modò in his, modò in illis partibus, pro diverſitate hæmorrhagiarum, circumſpectis Practicis non poſſunt eſſe ignotæ, his verò ipſis principium movens ſanguinis expreſſionem molitur, id quod in ſequiori ſexu multò manifeſtius in impedito menſium fluxu apparet. Acutiſſimi illi dolores calculi, ſpaſmodici ſunt renum, ureterum motùs, quibus calculus ex corpore propellitur. Cùm ergò inteſtina & inteſtinis connexæ partes in dyſenteriâ ſpaſmodicè moveantur, ſanè & heic oportet eundem ſubeſſe finem & excluſionem fermenteſcibilis ac putridæ iſtius materiæ in inteſtinis hærentis, ne ſanguini mixta, turbas cieat, intendi admodum probabile eſt. Ac id tantò magis fit veriſimile, quia, ut abſterſio, & ablutio inteſtinorum ſit major, tot humores concurrunt, & ne ſanguini quidem ipſi, propter conſervationem totius, parcitur. Quod ipſum dum agens in corpore noſtro, quanto poteſt conatu, exequitur, effugere ſæpè non poteſt, quin inſtrumenta motûs, ſcilicet inteſtina, ita violentè torta, damnum incurrant, ac ſibi invicem impetuosè crebro alliſa, partes quaſdam deterant, quod pelliculæ & fibræ fæcibus permixtæ ſatis teſtantur. Conf. Rolfinc. *in Conſil. Med. l. 7. conſil.* 1. *p. 663.* Et hæ pelliculæ ac fibræ utique ſunt Hippocratis ramenta *ſect.* 7. §. *67.* Imò malum eouſque aliquandò invaleſcit, ut carunculæ exeant, *ſect.* 4. §. *26.* de quibus conſulendus Martian. *ad ſect.* 4. *Aphor. 76. p. m.* 453.

§. 7. Li-

§. 7. Licet verò enixè rerum ſuarum ſatagat Movens corporis noſtri, fine ſuo tamen ſubinde excidit, quod fit, dùm fermenteſcibilis illa hactenùs in inteſtinorum voluminibus concluſa materia in ſanguinem penetrat. Huic immixta, ut, ſine dubio, ſubtiliſſima eſt, & forte inſtar halitûs, latici huic ſeſe inſinuat, quia præcipitis efficaciæ putredinoſæ eſt, ſanguinem in mixtione ſuâ turbat, ut jam ſuperiùs diximus, novum Præſidi operationum omnium in corpore noſtro, laborem creat ac neceſſitatem affert excitandi febrim, ut hæc noxia materia è corpore emoveatur. Cùm verò illa fuerit ingreſſa per inteſtina, per illa ipſa natura iterùm expulſionem tentat, adeoque febri hâc fluxus dyſentericus augetur. Neque tamen facilè hâc viâ, propter miaſmatis ejiciendi ſubtilitatem, voto damnatur. Imò, ſi dicendum, quod res eſt, in novas moleſtias incurrit. Nam dùm ad arcendum hoſtem, in inteſtinis latentem, vel in maſsâ ſanguineâ oberrantem, concurrente motu tonico, ab acutiſſimo Stahlio ingeniosè detecto & explicato, ſanguis ad inteſtina congeritur; facilè in anguſtiſſimis illis vaſculis ac tenuiſſimis poris inteſtinorum pars quædam ſanguinis in motu ſuo intercipitur, partim quia major adeſt ſanguinis copia in illis anguſtiis, quam proportio pulſuum ſequentium iterum in motum concitare poteſt, partim, quia fibræ continuo iſto motu debilitatæ laticem in vaſorum cavitate contentum excutere nequeunt. Staſin hanc ſanguinis ſequitur inflammatio, cujus certum indicium præbet ſenſus iſte ſatis acutus lancinationis & puncturæ, quæ cum pulsûs ſubſultu exactè convenit. Ratio verò manifeſtè perſuadet, quod hujus inflammationis ſedes præcipuè quærenda ſit, non ut vulgò putatur, in intima inteſtinorum tunicâ, ſed potius in extimâ. Circumſpectè enim factæ tincturarum injectiones docent, quod arteriæ denſiſſimè, non in intimâ, ut vult Blancardus, ſed in extima tunicâ, ramificentur, in his verò arctiſſimis tubulis, ſanguis facilè in motu ſuo, ut modò dictum eſt, impeditur, atque ita inflammationi materia præbetur. Cui ſententiæ etiam hoc patrocinatur, quod poſt mortem non ſemper pus in cavitate deprehenſum, ſed ſæpe inter tunicas ipſas viſum fuerit, manifeſto argumento, quod in extimâ tunica cœperit inflammatio. Accedit & hoc, quod capillaria venæ portæ vaſa, intimam tunicam perreptantia, ſanguinem in inteſtina evomant, præprimis ſub ſpaſtico inteſtinorum motu, adeoque ſanguinis ſtaſi proximæ ad inflammationem viæ locus non ſit. Quo ipſo tamen minimè excludo ab inflammatione medias inteſtinorum partes, quas rami venæ portæ pervagantur, cùm & in his ſanguinis circulatio ſufflaminari queat.

§. 8. Præſente inflammatione novus labor ſuccedit, & alio ex fundamento uberius ſanguis ad locum affectum dirigitur, nimirùm, ut frequentiori & celeriori ſanguinis appulſu, grumi illi ſubſiſtentes, reſolvantur, & perpetuo attritu diſcutiantur, quod ad ſummum intra 7 obtinetur dies. Si huic negotio aliunde obſtacula ponantur, tranſprimitur quidem ſanguis ad diſtenſionem uſque partis & ſenſum ardoris, ut hoc calore putredo inhibeatur, & ex-

oriens tenuis & acris corruptela, quæ ſeſe facilè diffundere ſuevit, abſtergatur, ſed tùm relinquuntur nihilominus craſſiores & terreſtres partes, quæ in pus abeunt. Atque ſic ſatis apparet, quod inter tres exulcerationis vulgo allegatas cauſas, primaria, imo juxta Walæum frequentiſſima, ac, niſi nos omnia fallunt, unica cauſa ſit inflammatio, ac proinde minime facimus cum illis, qui in enodandis ulcerum cauſis vel acidos vel ſalſos vel lixivos humores allegant; imò & ab iis diſſentimus, qui acres & corroſivos ſuccos ulcerum cauſas eſſe prætendunt, quia, ejuſmodi humoribus non ſuppoſitis, manifeſtè declarari poteſt, quomodo in ſanguine poris partium infixo, tenerrimæ ſulphureæ portiones, inteſtino motu à craſſioribus avulſæ, impetuoſeque comotæ, craſſiores attenuent & penetrantiores reddant, tandemque auferantur; ex ſulphurearum autem iſtarum abſentia caloris remiſſio ac in album converſio ac conſiſtentia denſior conſequatur. Nec verò ulla cauſa erat Holterhoffio, cur ejuſmodi exulcerationem cum Helmontio, cujus ſputum lingit, in inteſtinis locum non habere aſſereret, quod dogma meritò exploſit Rolfinc. & quod de difficultate curæ obvertit Holterh. exempla multa refellunt, tùm præprimis illud, quod recitatur in Zodiacô Gallic. *A.* I. *Menſe Majo obſerv.* 2. Deploratus eſt ſtatus, cum dolor quidem non adeo intenſus & lancinationes rariores ſunt, ac grumulus, ſanguinis loco impactus, in putredinem degenerat, quod fieri ſolet in majoribus inflammationibus, ubi ſanguis affluens ſuô attritu & vibratili tranſpulſu cruoris ſubſiſtentis partes in motum ciere, aut putredinoſas partes abradere non poteſt, ſed potius ſuo acceſſu inflammationem & corruptionem auget. Subtiles enim & acres partes putreſcentes ſeſe citò multiplicant cum ſphacelosâ partis corruptione.

§. 9. Febrim, quæ cum dyſenteriâ eſt conjuncta, comitantur ordinaria febrium ſymptomata. Appetitus dejectus eſt. Nec enim conſultum providæ naturæ viſum, cùm jam farrago putredinoſæ materiæ in primis viis præſtò eſt, eam novis acceſſionibus locupletare. Sitis, tùm ex crebris ſedibus oritur, tum expirationem illam fervidam perfrequentem neceſſariò ſequitur. Somnus ſenſu caloris atque torminoſis ac ſpaſmodicis doloribus interrumpitur. Succus ille, quo os & lingua unà cum faucibus obſidetur, ejuſdem cum mucilaginosâ materiâ, originis & conditionis videtur eſſe, niſi quod lymphæ majori ex parte originem debeat. Aphthæ, quæ inſtar floſculorum candidorum, ſummis faucibus, & linguæ lateribus adhærent, ſæpè etiam palati linguæque ſuperficiem occupant, imò & totum aliquando œſophagum, ita, ut non facile vel fluidi quicquam præterlabi ſinant, oriuntur ex humore, per capillaria in glandulosſam oris, œſophagi &c. tunicam expoſito. Halituum concurſum ad earum generationem, non ex toto negaverim, quâ de re evolvi poteſt obſervatio Pechlini *LXXI. lib.* I. *obſerv. Medic. Phyſic. p.* 190. Efflorescentias iſtas ſiniſtri eſſe ominis, facilè patet, quia extremum conatum naturæ videntur ſignificare, per emunctoria quævis particulas illas fermenteſcibiles expellere ſatagentis, quod tamen votum ſuum, ob ſubtilitatem particularum, lympham ſpiſſiorem, & tot evacuationibus ferè exhauſtam, quæ tamen vehiculum expellendi miaſmatis eſſe debebat, non conſequitur. Depauperatæ & ſpiſſæ lym-

lymphæ indicium etiam eſt, ſiccitas & æſtus linguæ, præ quibus ſæpè fiſſuris hiat, ardorque ille, de quo queruntur miſeri, præprimis poſtquam acida aut acria ſorpſerunt, ut rectè obſervavit Screta *de Morb. Caſtrens. p.* 154.

§. 19. Vomitus ſanguineus, qui interdum in dyſenteriâ contingit, non eſt ejuſdem naturæ cum vomitu cruento Hypochondriacis non infrequenti, quo ſanguis vel arterias ſplenicas, ut vult Hyghmorus, & docet exemplum apud Valverdam *l.6.c.5.p.* 267. vel per propagines venæ portæ imprimis autem per vas breve in p. n. ſtatu, ut autumat Riverius, & luculento exemplo docet Wedelius, in ventriculum effuſus, deinde motu periſtaltico naturali inverſo, cum impetu exturbatus per os; ſed ſanguis, qui à torminoſis ejicitur per vomitum, ex vaſis ſanguiferis ventriculi excidit, eo ritu, quo declaratum eſt ex Gliſſonio in ſuperioribus. Et omninò credibile eſt, præſto eſſe in ventriculo materiam acrem, aceſcentem (ut compertum eſt, fructus horræos in ipsâ concoctione facilè acorem contrahere) & putredinoſam, ad quam ejiciendam ventriculus ſpaſmodice contrahitur, ſequente deinde vomitu ſanguinis. Cujus rei ſignum eſt, quòd aliquo tempore, antequam dyſenteriæ ſe prodant, vel etiam ſuſpicio eorum apud Medicos exoriatur, ejuſmodi homines cholera laborare judicentur. Vidimus verò vomitus tales in iis, quos vis temperamenti ad actiones præcipites & motus pro avertendis noxis promptos inclinat, cujus commatis præcipuè cholerici ſunt. (*h*) Ructus ipſi præcedunt vomitum, & ſicut Hippocrat. *l.* 2. *ſect.* 2. Epidemior. *ructum acidum in lienteriâ* bonum eſſe judicat; ita fortaſſis nec in dyſenteriâ damnandus eſt. Vergunt enim humores ad contrariam ei partem, ad quam ſymptomaticè fluunt, ad eam verò aliàs ducere jubet Hippocrates. Ejus enim l. c. etiam hoc eſt; *Diſſimilia operari, ſi vergant ſurſum elevata, infernè ſolvere & contraria.* Sic idem Demænetam lientericum helleborò, medicamento ſurſum purgante, curavit, & *ſect.* 4. §. 12. hoc ipſum nos in *ſananda lienteriâ* facere cupit, excepta hyeme, ubi vomitum in hoc morbo excitare juxta ipſum non licet. (*i*) Emeſi etiam, quod mireris, utitur non tantum in *fluxu ventr s diuturno, ſed & in cholera,* 5. Epid. quia fortè in eâ majus eſt, quod infra dejicitur, quàm quod evomitur.

§. 11. Cum vomitu utplurimum conjuncta eſt cardialgia, quæ, ſi rem rectè æſtimes, peculiari in motu ventriculi, præprimis vero orificii ejus ſuperioris conſiſtit. Senſus indicat, fieri tenſionem quandam fluctuantem & tremulam, quam aliquantò tardius contractio conſequitur. Licet verò falſum ſit, quod in parte nerveâ & tendinosâ diaphragmatis deprehendatur foramen, quod vulgò appellant ſiniſtrum & majus pro tranſitu œſophagi, cum duobus nervis, ventriculum petentibus; negari tamen nequit, quod in parte carneâ, ſeu ad mentem Stenonis, quem ubique Bartholinus in ſcripto de diaphragmatis ſtructurâ novâ ſequitur, in ſuperiore inferioris muſculi diaphragmatis, parte, inſertionis locus reapſe compareat, teſtante Bartholino *p.* 19. Quando itaque orificium ventriculi ſuperius ſpaſmo corripitur, ſeptum tranſverſum in conſortium trahitur, & reſpiratio turbatur, centro diaphragmatis nerveo itidem ſpaſmodice

 affe-

(*h*) Conf. Caſtigat. Noſtræ Græbner. p. 65. (*i*) Ibid. p. 66.

affecto. Et hinc ſingultus, cujus non cauſa ſed potiùs effectus eſt flatus, unde ructus, ſingultui ſuperveniens, eum ad breve tempus tollit. Motus illi compreſſorii & conſtrictorii, quibus fibræ fibris arctius junguntur, & rigidâ tenſione afficiuntur, quos vulgo ſpaſmodicos appellamus, una cùm ſingultu in declinatione omninò ſuſpecti ſunt. Nam ſi rem rectè trutines, omninò dicendum, quod indicium præbeant, vel materiæ peccantis in primis viis adhuc hærentis, quam motu illo (qui in ſingultu evidens eſt) excutere natura ſatagit, vel jam in ſanguine oberrantis, & eandem in corruptionem præcipitem rapientis. Cùm ergo ordinarii motus ad illam ex corpore exterminandam non ſufficiant, hi violenti ſuſcipiuntur, ut nimirùm ita compreſſæ fibræ vaſa inter illas fibras interjecta arctiùs ſtringant & compreſſi canales humorem contentum ejiciant. Hac enim viâ agens quanquam ut plurimùm vane ſe conſecuturum credit, ut, humoribus copioſiùs ad primas vias directis, peccans materia ex iis eluatur, vel ex ſanguine eliminetur. Niſi fortè dicendum, ſanguinem ſero, per tot dejectiones, exhauſto, eſſe ſpiſſiorem, ac hinc in motu impeditum, atque adeo propter hanc cauſam fibras fibris validè illidi, ut attenuetur ſanguis & in motum cieatur, quia ſolo ſanguinis motu vel miaſma ex hoc exturbari, vel quicquid hæret vitioſi, vel ipſo vel humoribus ex eô ſcaturientibus, abſtergi poteſt, & in genere abſque motu ſanguinis vita conſervari nequit. Siniſtri verò eventus hi conatus ſunt, vel quia jam corruptio putredinoſa in ſanguine nimis invaluit, vel, ut innui, ejuſmodi materia hunc effectum in ſanguine editura, in primis viis hæret, & vires jam ante fractæ ſunt.

§. 12. Teneſmi non una cauſa. Eſt, cur hîc accuſare liceat fæces tranſeuntes, quas, per nos licet, acidas, auſteras, tartareas, & ſi hæc nondum vocabula ſufficiunt, humores helleborinos, eſulinos, colocynthiacos, voces. Cur enim non planè excludamus excrementa prætereuntia, ſuppoſitoriorum recordatio facit. Perpendenti tamen mihi, quod hæmorrhoides non ritè ſuccedentes, laboreſque pro calculo excludendo, teneſmus ſæpè comitetur, cauſam non æque in inteſtinorum cavitate quærendam eſſe, fit veriſimillimum. Apertum enim eſt, quod teneſmus hæmorrhoidalis & nephriticus à ſpaſmodico, ille vaſorum hæmorrhoidalium, hic verò viarum, per quas calculus tranſire debet, motu, omninò dependeat. Et unde ſpaſmum gravidarum derivabis, niſi ab externâ inteſtini, à diſtento uterò, compreſſione & fortè à ſpaſmodicè affecto utero, unde etiam abortus, *ſect.* 7. *Aphor.* Credibile itàque planè eſt, quod in dyſenteriâ à ſpaſmodico inteſtini recti motu crebra illa deſidendi cupiditas oriatur. Ac admiratione planè digna naturæ vigilantia, quæ prò excutiendo, quod peregrinum eſt, in dyſenteriâ totum canalem, qui ſub primarum viarum nomine communiter venit, ſpaſmodicè concutit. Dum hoc in labore occupatur, vicinæ partes in conſortium trahuntur. Et hinc ſanè ſtranguria, quæ dyſentericos aliquando infeſtat. Nec enim ulla nos cogit neceſſitas ad ſal, neſcio quod, acerrimum & ſimile cantharidum acredini confugere, aut ſpiritum nervorumque conſenſum hic allegare, nam affecto inteſtino, facilè patet, veſicam urinariam inde quoque affligi propter

vici-

viciniam & fibras ad cervicem ejus protenſas, ut rectè Cl. Peyerus *Exercit.* 13. *p.* 66. notat. Et hæc de potiorum dyſenteriæ ſymptomatum cauſis breviter dicta ſunt, alibi, ſi Deus voluerit, hoc negotium fuſiùs proſecuturi.

CURA DYSENTERIÆ.

§. I.

IN curâ primò omnium reſpiciendum ad materiam in cavitate inteſtinorum contentam, eademque corrigenda, diluenda ſive abſtergenda eſt, atque blandè educenda. In eô nobis ipſum corporis movens præit. Hoc enim copioſè eô, quò dictum antea eſt, modô, humores congerit ad inteſtina, non alio ſanè fine, quam, ut materiam in iis hærentem diluat, emolliat, fluxilem reddat, motum quoque periſtalticum inteſtinorum idem energeticum principium auget, ut eandem ex corpore ejiciat. Cùm verò illa materia ſit acris, auſtera, acida, urens *&c.* manifeſtum omnino eſt, hic in uſum vocanda eſſe abſorbentia, inter quæ omnium maximè hôc in caſu, utilitate ſuâ, ſeſe approbarunt corallia, terra ſigillata noſtras, cryſtallus montana præparata, cui non immeritò quondam Crato plurimum tribuit in torminoſis infantum dejectionibus, conchæ & lap. 69. præpar. quæ quomodo operationes ſuas exſerant, hujus loci non eſt docere, cum id abundé executi fuerint Ettmül. Wedelius, & obiter in *genuina curandi febres methodo* Schelhammer. *p.* 153. quamvis à prioribus diſſentire videatur. Rem hic convenienter expreſſerimus, faſſi cum Wedeliô, humores hujuſmodi præcipitantibus edulcari, *in Amœnit. Mater. Medic. p.* 69. Temperandi intentione ab ultimâ uſque antiquitate decoctum hordei ſpiſſius eſt commendatum. Trallianus, ſi febris abſit, etiam lactis caprini vel bubuli recens emulcti aut cocti uſum non abſque ratione ſuadet, quod ſaccharo edulcoratum aut poſt abſorbentia, aut cum abſorbentibus propinare licet. Ubi quidem opportune incidit, quod Boœtius *hiſt. lap. & gemm. Alabaſtrum candidum pulveriſatum* ad ſcrup. j. cum lactè datum vehementer laudat *lib.* 2. *c.* 27. Alii juſcula vitulina lacti ſubſtituunt. Frequenter accommodatis & illis à Wepfero ordinatis ferè æmulis ſum uſus gelatinis. Ad eundem collineant ſcopum, qui oleum amygdal. dulc. aut lini, apud plebejos extollunt. His mucidis, roſcidis ac, ut ita dicam, pinguibus particulas acres & mordaces materiæ in inteſtinis defixas involvi ac irretiri in propatulô eſt.

§. 2. Diximus materiam hanc etiam in inteſtinis ſtabulantem blandè educendam. Unde patet, abeſſe debere Vomitoria, quæ cum magnâ violentiâ ordinariò operationem ſuam exerunt. Nec immerito retractionem materiæ ad ſuperiora inteſtina ac ventriculum tanquam noxium aliquod inde metuit Sennertus. Accedit, quod eô ipsô naturæ motus pervertatur, id quod rarò ſine diſcrimine tentatur. (k) Circumſpectæ & providæ curæ Practici eſt, deſpicere, an, cum materia ad ſuperiora vergit, nauſea ac amarities in ore adſint,

(k) Conf. Caſtig. Græbner. noſtræ p. 66.

ſint, quibus præſentibus alias vomitorium indicari ſcimus, ex 1. *Aphor.* 21. Hippocratis. Tunc vero ad vomitorium accedendum, imitanduſque Mercatus eſt, qui *peccante pituita ſalsâ*, ut amat loqui, ab Emeticô non abhorret. Qui purgantia in dyſenteria damnant, nec illis materiam ex inteſtinis eliminandam eſſe contendunt, inter quos nomen ſuum etiam profitetur Schelham. *in lib. de natur. p.* 306. in quorum præterea numero ſunt Maſſar., Augerius Ferrerius, ſi, ut expreſſe Capivacius & Fuchſius, de fortioribus id intelligant, omnino noſtrum aſſenſum merentur. Nam & ob violentiam agendi ſuſpecta ſunt, & ob tumultus, quos in ſanguine cient, majoremque affluxum materiæ & alias cauſas alibi commemorandas. Aliter autem de lenioribus, quibus ſine magno tumultu materia ad exitum diſponitur & ſollicitatur, ſentiendum; hæc intrepide ſanè ſtatim in initiò fluxûs dyſenterici, cùm vires conſtant, & magnus materiæ cumulus in inteſtinis latet, nec tamen tantùm evacuatur, quantum expediret, exhiberi poterunt, e. g. tamarindi, myrobalani, rhabarbarum, quorum ultimo ſemper ego quidem uſus ſum, nec exaſperationem illam, quam Frigimelica, Rondeletius, Andrighet, aliique hic accuſant, obſervare potui. Exhibui verò tritum citra toſtionem in ſubſtantia, utut delicatioribus moles minimè grata, nec ſapor ad palatum eſſet. Neque enim prorſus rejicula eſt Dureti obſervatio, qui toſtum *acrimoniam acquirere*, ait. Celeberrimus Boylæus rhabarb. cum grano uno Laud. opiat. exhibere ſolitus fuit. De Tamarindis experientiam meam interponere nequeo, an veritas pro *ſententia Amati* militet, qui irritantem in illis aciditatem damnat, an *Mercurialis*; cui eô nomine minimè ſuſpecti ſint, quamvis, ſi optio detur, in hujus ſententiam ire mallem.

§. 3. Clyſteribus etiam omninò locus in eductione materiæ blandâ minimè negandus, eâ tamen lege, ut cautelæ expertiſſimorum practicorum ſemper oculis obverſentur. Frequens experientia, quæ docuit majores noſtros ſolide eruditos & ad Phænomena in praxi occurrentia attentiſſimos, non eſſe *prævaricandum in clyſteribus*, & quæ Prævotii eſt obſervatio, *affluenti materia acri, non nimis eſſe detergendum*; eadem fida magiſtra docuit, exeſſe debere *pulveres*, & juxta Mindererum *olea, propter acredinem*, quamvis Duretus oleum amygdalorum dulc. præſcribat, à quo nec Hollerius diſſentit, docuit quoque, *iis non indendum eſſe adipem hircinum*, quem *igneæ naturæ eſſe* vult Mercurialis. Levis, ſed non omninò inutilis eſt illa Prævotii obſervatio, *alvô poſita mox injiciendum eſſe clyſterem*, ne affluente materiâ enema confeſtim egeratur. Nobis materiam enematum conſtituerunt hordeum ex cortic. furfur. tritic., flores ſambuci, verbaſc. vitell. ovorum, ſacchar. *&c.* Pauperioribus ſuffecit clyſter ex furfure in cereviſia coctus, ad imitationem conſilii Facultatis Medicæ Haffnienſis.

§. 4. Ulterius reſpiciendum eſt ad affluxum materiæ verſus inteſtina. Hic omninò videtur eſſe cohibendus, adeoque indicari adſtringentia, ſit veriſimile. Et certè in ipsô effluxu circa cavum inteſtinorum, ope adſtringentium impediuntur humores. Ut verò appareat, quid ſtatuendum ſit, cum

omni

omnis experientia clamet, quod præpoſtera adſtrictio, ſcaturigo ſit anxietatum præcordialium, non raro in lypothymiam deſinentium, periculoſiſſimarum metaſtaſεων, obſtructionis viſcerum nobiliorum, motuum convulſivorum, meminiſſe par eſt eorum, quæ *Sect.* 2. indicavimus, fieri nimirum *congeſtionem ſanguinis ad inteſtina, & facilè inflammationes inteſtinorum ex hâc congeſtione oriri.* Nam cum in inſigni quantitate ſanguis per arterias advehatur, facile fit, ut initiô quidem in exiguâ quantitate ſtagnet, ex allapſu verò continuò augeatur, atque ita pori inteſtinorum infarciantur, tumeant, ac intensô calore afficiantur, id eſt, inflammentur, quod in quavis perfectâ dyſenteriâ contingere certiſſimum eſt. In adminiſtratione ergo adſtringentium patet, omnino ea eſſe eligenda, *quæ & inflammationem diſcutere & illum ſanguinis impulſum alio avertere* & æqualem laticis ſanguinei diſtributionem promovere poſſunt. In hoc cenſu ſunt radix tormentillæ, biſtortæ, corallia, bolus armen., terra ſigill. ex compoſitis ſpec. confect. de hyacynth. ex parte etiam pulvis pannon. rub. *&c.* Eô etiam nomine laudem merentur cydonia, ac in frigidioribus nux moſchata. Nimium, more ſuo, Agricola tribuit dulcedini aluminis ut & croco martis, in quo conſentientem habet Finckium, quibus quidem ex experientia teſtimonium ferre nequeo. (*l*) Viri quidem docti, imprimis celeberrimus Rivinus & Dolæus, obſervantes non illaudabilem ſacchari Saturni in externis inflammationibus uſum, quem repreſſione ſanguinis ſtagnantis ope blandæ alicujus adſtrictionis & abſorbendo exerit, vires ejus in dyſentericis inteſtinorum inflammationibus periclitati ſunt. Me imitantem eventus deſtituit, & crebriores poſt uſum ejus ſedes ſecutæ cum graviſſimis torminibus. Conſideranti deinceps attentius & conferenti exiguam quantitatem, quæ interne porrigi poteſt, facile patuit, vix ex paucorum granorum uſu emolumentum ſperari poſſe. An majori acceſſu ſuccus agreſtæ dari poſſit, equidem ignoro, eumque aliorum experientiæ commendo: ego hæſitationem meam diſſimulare non poſſum, quantumcunque eum evehat Deodatus. Idem ſentio de uva querna, cujus encomiaſtes Encelius *lib.* 3. *cap.* 3. §. 109. At non vana ſunt, quæ in laudem ſmaragdi ſcribit Grems *p.* 204. & Joann. Hartmann. Si verò inconſulto ſtatim ab initio, ut ſubinde fit, adſtringentia alia admoveantur ægris, non tantùm, quæ brevi ante memoravimus, & Rudius metuit, fruſtra adhibitis etiam diureticis, quæ pro avertendâ ex adſtringentibus noxâ à Scholzio laudantur, emergunt damna, ſed funeſta etiam ſuccedit Gangræna. Norunt experti Chirurgi, quantum in externis inflammationibus damni afferant adſtringentia & quàm præcipiti gradu gangrænam accerſant. Sed & illa à nobis laudata convenienti modo adminiſtranda ſunt. Tilemannus non fruſtra monet, *adſtringentia ante cibum eſſe danda.* Et cum experientia edocti ſciamus, quantum aëris admiſſio ſinè dubio propter frigus, tonum partium deſtruens, noceat, noſtra illa ſaltem in *calidis vehiculis* obtulimus ac *à frigidioris potus ingurgitatione* noſtros ægros arcuimus. Clyſteres adſtringentes nunquam, præcipuè ubi inflammatorum inteſtinorum ſigna, ac recti præſer-

tim,

(*l*) Conf. Caſtigation. Noſtræ Græbnerian. p. 67.

tim, aderant, adhibere placuit, tum quia, ut aſtringentia, prout brevi antè monitum eſt, tùm ut humida, emollitione ſuâ tonum relaxantia & calorem neceſſarium extinguentia, gangrænam mirâ velocitate inferunt. Cæterùm in inflammatione hâc inteſtinorum non deprehendi ſpecialem alicujus & quaſi ſpecificam efficaciam, ſicut alias in inflammatione pleuræ & membranæ pulmonum ſemen cardui mariæ, in hepatis inflammatione cichoreum *&c.* laudabilem vim, etiam noſtrâ experientiâ, exſerunt. Auſus tamen ego ſum abſorbentibus, leniter adſtringentibus ac diſcutientibus pulveribus, grana pauca camphoræ addere, mira camphoræ efficaciâ, in inflammationibus externis inductus. Licet enim camphorata interna etiam in febribus malignis parciſſimè adhibeam, cum tamen hic appulſum camphoræ ad inflammatas partes facilè perpenderem, libido tentandi animum inceſſit & eventus auſis ex votô reſpondit. A camphora ſinè dubiô etiam Rabezoard. D. M. & Wedel. vim illam in dyſenteria paſſim deprædicatam à multis & noſtris etiam in curis ſucceſſu nobilitatam, majori ex parte mutuantur. Præterea ſciens, quo cum ſucceſſu chærefolium ſanguinem congrumatum diſcutiat, juſcula ex eô parata commendavi & deprehendi, eadem laude ſuâ minimè eſſe defraudanda.

§. 5. Ad orgaſmum ſanguinis univerſalem compeſcendum, ac impetum naturæ, ſanguinem ad inteſtina cum motione febrili propellentis, retundendum, utique temperata ex fixiorum numero antifebrilia & diaphoretica, atque anodyna commendantur. Et certè quantum ad poſteriora, theriacæ Andromachi laus ex hoc capite maximè diffuſa eſt, compertumque ejus uſu plures ex tetrô morbo convaluiſſe. In epidemicâ Helmſtadienſi dyſenteria tantum non miracula patravit, teſtibus ex ore Conringii, Schelhammero & Lentiliô. Theriaca cœleſtis Hanovienſium præcipuum ingrediens utique fuit pilularum antidyſentericarum D. Waldſchmidii cum multo ſtrepitu paſſim in uſum vocatarum. Diaſcordio Fracaſtorii, licet compoſitio non ſit ad palatum ſeculi, ex diaphoreticis, adſtringentibus & anodynis conſtans, ea perfeci, quæ ſine labe verecundiæ à me narrari nequeunt. Pilulæ Wepfero in colica uſitatæ ex theriacâ cœleſti ſucco papaver. errat. & extracto croci multiplici uſu nobis probatæ ſunt. Species maſſæ pilularum de Cynogloſsâ expectationem noſtram fortè ob ſemen hyoſciami non fefellerunt. Panacea Solaris Wildeganſiana non contemnendum *pro ſcopô anodynô ſatis blandô*, medicamentum eſt. Helmontius ſulphuribus metallicis talem effectum tribuit additque *univerſam morborum cohortem iis auſcultare*, ſed genus humanum, quod mireris, dignum poſſeſſione hujus medicamenti non judicavit, imò ne definivit quidem, an quodlibet ſulphur eâ virtute emineat, & omnes morbos debellet, aut an potiùs hoc huic, alterum alii morborum generi oppoſitum ſit. Aliorum judicium ſit, an Starckei Angli adeò decantata medicina ſit ex illorum numerô, de quibus ex vero Verulamius: *Spes hominum inflant, deinde deſtituunt.* Prædictis ego, præprimis maſſ. pil. de cynogloſſ. theriac. andromachi & cœleſti uſus ſum, & luculente deprehendi, inanem eſſe timorem Capivaccii aliorumque ab opiatis abhorrentium & neſcio quas noxas metuentium, cùm

Rivini

Rivini obſervationes & locuples Wedelii experientia, Horſtius, ac innumeri alii omninò aliud teſtentur. Veriſſima ſunt illa Sydenhamii *ex pag.* 229. *Nec vel minimum incommodi à tam frequenti medicamenti narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit, quantamlibet noxam indè ſecuturam comminiſcantur inexperti, licet plures noverim, qui in morbo contumaciori idem ad ſeptimanas aliquot continuando quotidiè uſurparunt*; uſus, inquam, ſum anodynis, quamvis ſemper, memor moniti Prevotiani, parcè dederim, & quidem antequam ſigna exulceratorum inteſtinorum ſeſe proderent. Nam in ulceratione inteſtinorum dubito, an uſus opiatorum conveniat? Nec enim fides hôc in paſſu deroganda inſigni viro Thomæ Minadoo, qui ex opiatorum uſu in defunctis *vulnera magis putrida & ſordidiora* deprehendit, ut Thonerus *lib.* 3. *obſ. X.* auctor eſt. conf. Hoffmann. *de uſu & abuſu medicament. chymic. p.* 30.

§. 6. Præterea ad ipſa etiam inteſtina, quæ ſpasmodicè commoveri diximus, reſpiciendum in cura eſt; *motus* verò inteſtinorum *nimius*, ut & *conjuncta non raro flatulentia* indicat carminativa. Excedentis hujus motus reſpectu eſſentiam carminativam Wedelii aut Doct. Michael in doſi exigua cum aliis medicamentis maritavimus. Sed numquid & effluxus ſanguinis peculiariter aliquid indicat? Certè V. S. non pauci eô ipsô ſignificari contendunt: Et hi omninò dyſentericos ut vulneratos conſiderant, in quibus ad cohibendum ſanguinis effluxum pertuſionem venæ eò usque neceſſariam eſſe, quamvis in eô humani aliquid eum pati credam, Schelhammerus de feb. ſtatuit, ut ſalvâ conſcientiâ eam omitti poſſe neget. Enim verò, ſi quis perpendat, quô conſiliô natura ad inteſtina uberiorem ſanguinis motum dirigat, quaque neceſſitate mechanicâ ſanguis ex orificiis vaſorum excidat, næ! iſte cunctanter admodum ad profuſionem cruoris deſcendet. Sanè prudens Syndenhamii monitum in commotionibus ſanguinis febrilibus quoad uſum V. S. etiam in dyſenteria locum habet & hoc tantò magis, quod *ſanguis hic non tam ad excretionem heterogeneæ materiæ in maſsâ oberrantis, ſed ad excluſionem ejus, quæ in inteſtinorum volumine hæret,* ad quam major orgasmus neceſſariò quaſi requiri videtur, fervidè & rapidè moveatur. Iſti autem ſanguinis motui per V. S. frænum injicere, eſſet naturam in opere ſuo turbare. Deindè utplurimum exigua ſanguinis quantitas à dyſentericis profunditur, ut è paucis illis guttis, quæ ſedes eorum mucoſas tingunt, magnum metuere periculum, non niſi timidi ſit & inexperti. Quis enim ignorat, ſæpè ad multas libras ſanguinem citra notabile damnum effundi. Sanè Foreſtus *lib.* 13. *obſervat.* 14. locuples teſtis eſt de effuſis duodecim; de octodecim Matth. de Grad. *comment. ad cap.* 35. *ad Almanſ.* Marcellus Donatus de viginti quatuor, & Amatus Luſitanus, quod penè fidem excedit, de quadraginta libris ſine noxâ evacuatis, Teſtimonium deponunt; ubi ſæpenumero per totum dyſenteriæ decurſum fortè non tres aut quatuor libræ ſanguinis excernuntur. Proinde non absque causâ Rondeletius: *Nonnulli,* inquit, *ſanguinis miſſionem imperant, ſed ſine judiciô & utilitate & cum magnâ ægrotantium moleſtiâ &c.* Cæterum, quæ pro V. S. diſputantur à Proſperô Alpinô *lib.* 2. *de Med. Ægyptior. c.* 7. diſſolvere non

 eſſet

eſſet arduum, ſi diſputatoriam arenam ingredi eſſet propoſitum, & non ſufficeret adſtruere propriam ſententiam. Si tamen aliquibus V. S. Sydenhamiô aliisque placet, iis omninò cautelæ commendantur, quas Alpin. *p. m.* 25. adducit; vult is ſanguinem evacuari debere in dyſenteriâ, *viribus, ætate, ac aliis conſentientibus, & circa initia, revulſionis gratiâ*, præſertim *ubi magna affuerit humorum copia*, aut *impetus ſanguinis valdè urgeat*, aut *dolor vehemens obſervetur &c.* cum quo in plerisque concordant Andrighet, Prævotius, Benedict. Sylvat. ac alii magnô numerô, quæ omnia clarius explicantur à Lamoniere *p.* 117. Ignorare verò me fateor, cur Duretus ſanguinem non ex *venâ extremæ manûs*, ſed *ex baſilicâ* educendum eſſe præcipiat.

§. 7. Quod ſi inflammatio inteſtinorum abeat in ulcus, cujus curatio abſtergentia, mundificantia, exſiccantia, conſolidantia requirit. Inter detergentia & mundificantia ore aſſumenda prolixè commendatur lac, ſerum lactis, ſacharum roſat., cui parum licet tribuat Trincavell. & Sylvius, non tamen planè rejiculum eſt, mel roſat., juſcula hordeacea dilutiſſima cum ſacharô roſatô, & vitellis ovorum, decoctum agrimoniæ, & à nonnullis etiam laudatur ſuccus apii. Et quidni liceret in uſum vocare, quæ inter abſtergentes herbas cumprimis extolluntur, veronicam, ſcabioſam, hyſſopum, hederam terreſtrem, marrubium, origanum, ex quibus & decoctiones & ſyrupi ac conſervæ conficiunt. Confugiunt hîc quoque nonnulli ad acidulas varias, ſed quo cum ſucceſſu, mihi, nonniſi ex lectione, compertum non eſt. Non tanti ſunt, quæ contra mel, ſaccharum, conſervas & ſyrupos à Sennertô, Amatô Luſitano aliisque diſputantur, ut eorum uſum meritò ſuſpectum reddere poſſint. Tametſi verò paſſim ſulphur, flores ejus naturales & artificiales & ex ſulphure parata ſub formâ balſamorum, tincturarum, laudentur ob virtutem detergendi, ea tamen in uſum in dyſenteria nunquam vocavi. Cum craſſa inteſtina ulceribus fœdantur, ſuus etiam clyſteribus detergentibus locus. Parari enemata talia poſſunt ex furfur. cicer. rubr. hord. integro. Deinde, in decoctis diſſolvitur aliqua mellis, & ſacchari rubri quantitas. Terebinthinam etiam in vitellô ovorum ſolutam addere licet. Nonnulli cupiunt, ut parum urinæ addatur, non malè; nam magis deterget, ſed hoc habet incommodi, quod partibus dolentibus minùs amicum ejuſmodi enema futurum ſit. Ad fortiora abſtergentia ut aliquis deſcendat, non facilè auctor fuero, quia eſt periculum, ne his adhibitis vaſa aperiantur & ſanguinis fluxus proritetur. Inter ſiccantia & glutinantia ac conſolidantia eminet bolus armena, ſanguis draconis *&c.* In frigidioribus non vulgari cum ſucceſſu balſam. antiphthiſicum Cl. Meibom. eâ intentione datum memini. Doct. Tralles expertus Practicus, gluten, quo Scriniarii utuntur, eô nomine maximè laudabat. Ad conſolidationem plurimum aliàs facere creduntur decocta vulneraria, parata ex herbis, inter quas eæ ſeligendæ ſunt, quæ magis detergunt, e. g. ſanicula, conſolida major & minor, plantago, hedera terreſt. Ariſtolochia rotunda *&c.* Pertinent huc etiam eſſentiæ traumat. Wedelii aliorumque. Non tamen diu eorum uſui inſiſtendum crediderim, quin potius cogitandum, *reunitionem ſolutæ unitatis non*

poſſe

poſſe ullis medicamentis præſtari, ſed potius eſſe opus naturæ rebus ſuis ſemper invigilantis, imò nec detergentibus & mundificantibus adeò egent illi, quibus in frequenti uſu ſunt tincturæ, eſſentiæ, ſicuti obſervatum à me eſt, nam ſpiritus vini menſtruum eorum omnibus mundificantibus & detergentibus palmam facit dubiam.

§. 8. Non vacat corradere illa, quæ communiter tanquam ſpecifica laudantur. Si quis ſucceſſum eorum experiri velit, evolvat Helmontium, Heurnium, Frideric. Hoffmann. aliosque, in quibus multa hujus farinæ recitantur. Quædam à me tentata, irritô plerumque conatu, ſive quod nec in principiô nec in ſtatu (ubi vulgò ita dicta ſpecifica præſentiorem virtutem exerunt, cum cæteroquin ab optimis etiam in incrementô nihil læti exſpectari poſſit) eadem dandi offerretur occaſio, ſive quod vana hominum credulitas, ut ferè fit, iis unicè pretium aliquod ſtatuerit. Famoſum hoc tempore antidyſentericum Ipacuanha eſt, quoniam verò parum hactenus ex Galliâ, in quam magna ejus copia illata eſt, ad noſtras oras deportatum fuit, futile fuerit ejusdem hic attexere præconium; ſtolidum verò propemodum de ſubſtitutione alterius, cum modus operandi prioris iſtius adhuc latere videatur, cogitare. Fama etiam increbuit, ut jam ante verbo indicatum, de felici cura dyſenteriæ per pilulas quasdam Cl. Waldſchmidii, quarum deſcriptionem orbi erudito non communicavit, non obſcurè tamen innuit, niſi fallor *in Diſp. de theriac. cæleſt.* huic illas virtutem ſuam ferre acceptam. Fortaſſis non multum differunt ab illis, quas caſu 32. deſcribit; componuntur hæ verò ex extractô tormentillæ, theriac. cœleſti & Laudano opiatô, & in hac opinione tantò magis confirmor, quòd videam easdem pilulas à Waldſchmidii intimo Cl. Dolæo laudari *in Encyclopædia p.* 495. Tintinnabulum illud Medicorum Burrhus *in Epiſtola ad Bartholinum* jactat in dyſentericis, nullum eſſe præſentius remedium *aqua roſar. in quâ aurum aliquoties fuerit extinctum*, ſed fides ſit penes ventoſum auctorem. Nec multum cenſeo eſſe tribuendum linteo in ſanguine leporis per canum morſus occiſi tincto & ſiccato ac in vino carptim exhibito, quô dyſenteriam curari prodidit Helmontius Pater.

§. 9. Luxuriant quoque auctores in efferendis externorum ac topicorum viribus. Borellus pro arcanô venditat *argentinæ folium plantis pedum admotum.* Brunnerus deſcribit Emplaſtrum *in conſil.* 50. quod ipſe vocat efficaciſſimum, ex *radice tormentill. & micâ panis coctis in vinô vel acetô &c.* Omentum arietinum vel vervecinum præſens ad tormina dyſentericorum auxilium eſt, ex Doctrina Lælii à Fonte *Conſil.* 77 Plura ejus farinæ cumulant Hoffmann. Zimara, Varignana ac alii. Eximiam ſpiritus vini camphorati utilitatem hîc reticere nequeo ac ex verô laudari videbunt, qui experimentum capere volent. Lintea eò imbuta abdominique ſingulis duabus horis impoſita, acerbiſſimos cruciatus egregiè mitigaverunt. Cæterum celare nequeo experimentum à me factum. Vocabar ad dyſentericos duos in eâdem domô commorantes, quorum alter conclamatus, alter verò ante paucos ſolùm dies in dyſenteriam inciderat. Opportunè recordabar remedii, quod

Franc. Oswald. Gremſius *lib.* 2. *c.* 1. §. 5. *n.*74. *arboris integr. & ruinoſ.* laudat, ad comprimendum fluxum hæmorrhoidalem exundantem; & cum analogia obvia ſit, inſtiti, ut *ſudor morituri linteolo affricatus*, id enim eſt pharmacum hæmorrhoidale Gremſianum, orificio inteſtini applicaretur. Reſpondit eventus ac fluxus remiſit. Utut verò hic effectus fuerit ſecutus, non auſim tamen ſpondere, eundem ſemper ope hujus topici obtineri poſſe, præſertim cum in hôc caſu non hoc unum remedium fuerit adhibitum, ſed alia interna diligenter in uſum vocata. Ea ſanè mihi ſedet mens, quod commendationes medicamentorum effuſæ, quæ tamen credulos miſerè ludificant, non aliunde oriantur, quam, quòd adhibitis plurimis remediis ultimo, præprimis ſi tum demum æger fateatur ſe ſentire levamen, præpoſtere effectus transſcribantur. An idem acciderit viris Cl. Michaeli & Langio eximias virtutes, in ſanandâ dyſenteria, Colcothar. adſcribentibus, ſi nimirum ſuper illud dyſenterici alvum exonerent, penes doctiores ac expertos ſit arbitrium. Sed ſatis de dyſenteriâ, jam ad noſtra redeamus.

Conſtitutio aëris Octobris, Novembris & Decembris.

(*m*) Initia Menſis Octobris æſtivâ amœnitate nobis adblandiebantur, & à Novilunio ad primum Cynthiæ quadrantem nos demulcebat ſudum, quod reliquis hujus menſis diebus, ventis, nebulis ac pluviis ſæpè obſcurabatur, donec (liceat nobis cum Claudiano loqui) Luna denuò naſceretur Menſe Novembri, ubi iterum benigniori aëris temperie exhilarabamur, ſed ad breve tempus, nam primus Lunæ aſpectus, ad plenilunium uſque rigido frigore horreſcebat, quod quidem iterum minuebatur, ac inſigniter remittebat, ſed, ut tantò major vaporum copia ex terrâ humidâ aſcenderet, ac craſſiores inde naſcerentur nebulæ, ſæpè propter admixtas exhalationes ſulphureas, tetrum ſpirantes odorem, ac nubes à ventis hùc illùc agitatæ, donec in pluviam fatiſcerent. Nam, ut pulchrè Joh. Cleric. *l.* 3. *phyſic. c.* 2. *p.* 240. *Pluviarum matres eſſe nubes ſatis conſtat, cum non pluat, niſi nubes in cœlo conſpectæ ſint.* Sed hoc obiter. Sub exordium Decembris, tempeſtas varia ac inconſtans erat; circa medium Menſis, & anno in finem vergente intenſius frigus dominabatur.

In Octobri, præter febres tertianas cum inſigni dolore nuchæ conjunctas, & continuas, quas comitabatur cephalalgia contumaciſſima, cardialgia & vomitus tuſſisque ferina, quâ, notante D. Graſſio & Pauli, lumbrici ejiciebantur, etiam quartanæ occurrebant. Horis pomeridianis homines melancholici temperamenti ac ſegnioris naturæ, qui jam ætatis provectioris erant, adoriebantur, aut etiam febres malè curatas, aut diarrhæas ab empyricis ſuppreſſas, ſequebantur in cujusvis temperamenti & ætatis hominibus, ne infantibus quidem & pueris exceptis. Rigebant plerique, non pauci etiam horrore concutiebantur, ſimillimo propemodum ei, quem percipiunt, qui in intentiſſimo frigore verſantur. Æſtus utplurimum mitis per aliquot horas durabat, non ſine notabili languore, & artuum dolore, & hypochondrii ſiniſtri tenſione & gravitate. Aliqui ad ſomnum propendebant in paroxyſmo, citra incommodum ullum, ac illi, qui eum arcere geſtiebant, vix

Febris quartana.

vertigi-

(*m*) conf. Caſtig. noſtræ Græbner. p. 68.

vertiginem & dolorem capitis effugere poterant. Primos paroxyſmos rarò ſudores ſequebantur. Pulſus, ferè in omnibus, debilis erat, & alvus adſtrictior. Etſi verò, juxta Hippocratem, morbus ſit ſecuriſſimus, tamen utplurimum diuturnitate moleſtus eſt. Vero non reſpondit commune illud effatum, quòd quartana annua fiat, quæ jam per ſex ſeptemve menſes afflixit, ut nec veterum illa aſſertio, quæ vult, unum hominem quartana per vitam bis non corripi. Nos certè, poſt Wierum, exempla ſiſtere poſſumus eorum, qui ter quaterve quartanâ laborârunt. Falluntur etiam illi, qui fiducia recepti itidem canonis: Inſtanti Solſtitio vel æquinoctio, finiri quartanam, blandâ ſuos ægros in confinio ejus temporis conſtitutos ſpe lactant. In curâ V. S. non adhibuimus, nec in principio, nec in progreſſu morbi, etſi nobis minime eſſet ignotum, quod Riolanus habet de quartana per V. S. in ſalvateria inſtitutam ſuperata. Suſpecta quoque ſunt hæc Edmundi de Mearâ in examine Diatribes Thom. Williſ. *de Febb. p.* 105. verba: *In diuturnarum vero intermittentium progreſſu, ſecus, quàm dicit Williſius, poſtquam ſanguinis maſſa tot paroxyſmorum conflagrationibus & inquinamentis incanduit & computruit, nihil ſanguinis miſſione ſalutarius, ut cuilibet experiri promtum eſt, & ego tum in multis, tùm præſertim in Filio primogenito Illuſtris Arundelii &c. expertus ſum, quem ſanguine bis detracto à quartana liberavi, quæ biennii ferè ſpatio Clar. Medicorum operam, eluſerat.* At parum abeſt, quin hic Mearam cum Lowero in vindicatione Diatrib. Williſii (*p.* 117.) ita compellemus: *Quis credet diuturnam quartanam unico phlebotomiæ remedio curatam fuiſſe. Id quod nemo, præter Te, unquam Medicus ſe præſtitiſſe ſcripſit, aut, opinor, credidit. Verùm hoc tibi & Patienti fortunâ meliori quàm praxi contigit, ut morbus aliam ob cauſam, cœli fortè, aut anni mutationem ultro deſierit, nec ſanguine intempeſtivè detracto juvenis febrem hydrope aut cachexiâ mutaverit: Certo enim certius eſt, hujuſmodi affectus, & non raro mortem ipſam, febricitantium phlebotomiæ nimis ſeræ frequenter ſuccedere.* Hactenus ille. Vomitoria in robuſtioribus adhibita, ad evacuandos pituitoſos ac bilioſos humores, acidasque cruditates, in ventriculo contentas, aliis leniſſimè evacuantia, diebus à paroxyſmo liberis, data. Admodum conveniunt pilulæ ex g. ✱c. querc., g. galban., extr. cent. min., rhabarb. myrrh. ſelect. & aloë. Egregio cum fructu datum eſt infuſum ex rad. gentian., cichor., herb. card. bened., cent. min., abſinth., capill. vener., fol. trifol. fibrin., ſumm. fumar., abſinth., fl. cent. min., fibr. helleb. nigr., rhabarb. agaric. trochiſc., & ſale tartari. Et ſanè, quod aperientibus & ſuaviter evacuantibus non obtinetur, vix ac ne vix aliis viis conſequimur. Laudantur ab aliis diaphoretica ut remedia, quæ & circulum lymphæ & ſanguinis redintegrent, vigorem conſervent, miaſma fermentificum febrile per poros cutis diſſipent, inſuper ſimul abſorbendi ac præcipitandi vim habeant; at verò hoc extra dubium eſt, quòd ſub paroxyſmum cum regimine exhibita, vertigines & dolores capitis inducant, ne febrim ullo modo tollant. Adſtringentia etiam ab initio non temerè dedimus, multo rerum uſu edocti, quod icterus niger, hydrops, aſthma, febris lenta &c. hâc viâ facillime ſubſequantur.

Ita potius in uſu dictorum aperientium & evacuantium ad tempus aliquod perſtitimus, aut, ſi delicatiores faſtidirent amaros potus, elixir antiquartium Wedelii ex extr. card. bened., abſinth., plantag., cent. min., rut.ſcord.aa.c. ſpir. ſambuc. *&c.* paratum, dedimus interpolatis, pro circumſtantiarum ratione, etiam ſalibus volatilibus & præprimis ✱ moniacalibus. Deinde verò impetu febris quodammodo fracto, corticem Peruvian. ad quem malo conſilio ſtatim ab initio nonnulli confugiunt, porreximus, & hoc pacto febrim plerumque ſubjugavimus. Aſt ſatis frequenter contingit, ut febri jam ſublata circa conſuetum paroxyſmi tempus, ægri languidiores ſint, ac propendeant in ſomnum & ſæpè etiam rigeant, quo in caſu martialia, e.g. pulv.cachect.Q., tinct. mart.Zwelf.cydoniat. Wedel. ipſa etiam limatura mart. alkoholiſata *&c.* proſunt. Nec opiata hic prorſus excluſimus. Specifica illa vulgô celebrata e. g. fel ranar. exſicc., quod, niſi fallimur, etiam laudat Cornarus, cor leporis in tres æquales partes diviſum, & in vino albo datum, quod ipſe Crato noſter celebrat, aliaque ejus farinæ omnino vanis, ſuperſtitioſis, ac anilibus medicamentis, de quibus legenda Celeb. Rivini *cenſura Medicam. officin. cap.* 5. annumerari debent. Radix aſari in quadratis ac agreſtibus corporibus uſum aliquando habere poteſt, ſed quo jure à Strobelbergero, tanquam ſummum ſpecificum extollatur, in propatulo eſt, cum operatio ejus lippis ac tonſoribus nota ſit. Externè ſiniſtro hypochondrio reſolventia & aperientia, e. g. empl. de g. ✱c., de cicut., carminat. Sylv. *&c.* nonnunquam applicavimus. (*n*) In diætâ, vino ægros ditiores non interdiximus, ſed moderatè hauſto, memores exempli illius, quod in Barclaji *Argenide l.* 3. recitatur, nec experientiæ ſuffragio deſtituitur Kergerus noſter, qui tanquam præſens remedium & arcanum in quartana vinum commendat. Conf. Guarinon *Conſ.* 1. Cautè tamen hîc mercandum, nam & noxæ exempla præſtò ſunt. Ita quidem in quartanâ duplici, malvaticum bibens, febri ardentiſſima oppreſſus periit, alius quoque Rhenanum in copia ingurgitans mortuus eſt, apud Foreſt. *l.* 5. *in obſervationis nonæ ſcholio.* Ideo nunquam fuerimus autores, ut copioſo vino quisquam vomitum excitare conetur ad profligandam quartanam, ne fortè, qui periculum amat, in periculo pereat, & cum ſaburrâ humorum animam ipſam evomat.

Legimus Sylvium, Batavorum Æſculapium habuiſſe aliquando in votis, ut plerosque morbos in ſeipſo experiri poſſet, dummodo exinde ſanâ mente reconvaleſceret, ut de hominum affectionibus in proximi commodum conſtantius judicare, morbosque certius depellere poſſet. At verò tantam miſeriam quidem nobis non optamus, unde cum Wilhelmo ten Rhyne, qui hæc refert de Sylvio, in deſcript. Febris Cardiacæ à ſemetipſo paſſæ, oſtentationem quandam hic ſubfuiſſe ſuſpicamur. (*o*) Illud tamen noſtrum eſt deſiderium, ut docti Medici, morbos, quos ipſi patiuntur, accuratè deſcribant. Colluctatus eſt Collega noſter D. Samuel Graſſius eo tempore cum lumbagine ſcorbuticâ, quidnam verò in eâ obſervaverit, præmiſsâ deſcriptione temperamenti ſui ac

(*n*) conf. Caſtigat. noſtræ Græbnerian. p. 70. (*o*) ibid. p. 69. 70.

ac generis vitæ, hisce diſſerit verbis: Nactus ſum à Deo, Naturæ Authore, temperamentum ſanguineo-cholericum, à Parentibus verò meis, à primis incunabulis, indulgentius habitus, nec ſeverioribus diætæ legibus adſtrictus vixi unquam. Admodum puer, infelici fato, lapſus in cellam, unde aliqua tertiæ & quartæ vertebræ lumbaris luxatio, ſine omni corporis vitio & deformitate obtigit. Ex ephebis egreſſus, cùm probè ſcirem illud Socratis, in Theæteto, *habitum corporum ab otio & quiete deſtrui, ab exercitationibus vero & motibus conſervari*, & præclarum ſive Hippocratis, ſive Polybii ſcitum, *Hominem, qui comedit, minimè ſanum vivere poſſe, niſi laboret*, ad gymnaſtica exercitia, animum horis ſubciſivis, applicui, ac ἱππασίαν, quam Galenus *l. 2. de tuend. valet. c. 2.* inter reliqua gymnaſtica exercitia minimè infimum locum obtinere ait, præſertim, cum amor ſapientiæ ad exteras avocaret gentes, amavi. Medicinæ ſacris initiatus, totâ vitâ obſervavi illud Celſi: *Sanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, prodeſt nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convictu eſſe, interdum ab eô ſe retrahere: modo plus juſto, modo non amplius aſſumere: bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.* Semper quoque, hauſtu vini delectatus, gnarus, quod vino alantur vires, ſanguis & calor hominum, ſtomachusque recreetur, appetentia ciborum invitetur, ac utilitatem vini æquari vix non Deorum potentiæ poſſe, ut Aſclepiades pronunciavit, teſte Plinio *lib. 22. c. 1.* ac præterea à praxi reſpirans, & hodiè adhuc, candidos candidus compello ex Athenæo: O! amici, Dii vinum fecêre beati, ut curas animi pellat mortalibus acres. Ebrietatem tamen ſemper deteſtatus ſum. Concubitum, juxta aureum illud Celſi, neque nimis concupivi, neque nimis pertimui. Rarus excitavit modò corpus, frequens (dum adhuc bulliret ſanguis) ita fuit, ut corpus non ſolveret. Fluctibus iræ ſedandis, non ſemper fui par, non tamen arduum mihi, illos componere motûs. Ita vivens, anno ætatis 30. dolorem gravativum in regione lumbari ſentire cœpi, qui cùm prodromus ultimi paroxyſmi fuerit, ejus indolem, breviter, deſcribam: Incurvato, & paululum inclinato, ad dextrum imprimis latus, corpore, gravativus, circa regionem hepatis, & diaphragmatis, dolor obſervabatur, cum interceptione ſpiritus & retractione teſticuli dextri, ut diutius in hoc corporis poſitu perſiſtere, vel pro lubitu corpus erigere, minimè ex voto, niſi poſt intervallum, potuerim. Artûs, veluti in medio confracti, &, ut paucis multa complectar, ulceroſâ laſſitudine, quaſi contuſi erant.

Pronum & ſupinum decubitum æquè tolerabam interdiu, & noctu, evigilans tamen, languebam. Novilunium plerumque infeſtum erat, adeò, ut aliquando, furente gravativo illo dolore, ſtupor pedum invaderet, & in plateâ ferè conſidere neceſſum habuerim. *(p)* Secus ac Simon. Paulli uxor, quæ ſuper ponte verſatili & ſublicio pergens glacie obducto & lubrico, lapſa eſt, poſteaque in hemicyclo plicatili ſedere ſolita, cum ſurgeret, de dolore lumborum conqueſta eſt, ut teſtatur Simon Paulli *in digreſſ. de febb. malign. §. 53. p. 81.* Interea

(p.) conf. Caſtigation. Noſtræ Græbnerian. p. 70.

terea tamen appetitus ſemper viguit, ac nunquam non ὀρθοστάδιος fui, niſi quod 26.anno ætatis febre tertianâ ſcorbutica decubuerim, & coryzâ frequentiſſimè moleſtatus fuerim, quam tamen, ſi diutius urgeret, poſt 3 vel 4 dies, hauſtu generoſioris vini diſcuſſi. Somnus item & placidus, &, ſi labores conceſſerint, longus, fovit corpus, quod facile ad ſudores fuit. Alvus quotidie reſpondit, urina quoque copioſior, ob largiorem potum, fluxit citrini & rubelli coloris, cui aliquando ſabulum commiſcebatur ſcorbuticum.

Mentis commotiones, (quibus in principio enormiter, in progreſſu languidè indulgeo,) præprimis ira & rancor, malo fomitem præbuerunt.

Humidum aëris pondus, & variationes turbidas, moleſtiſſimas obſervavi. Sudum verò & frigus intenſum, dolores iſtos nimium quantum demulſit. Si quando tamen ventriculus laboraret, ei ſuccurri eſſentiâ abſinth. c. in vino generoſo ſumpta, quandoque emetico eundem evacuavi. Renes & vaſa meſaraica, liquore tartari tartariſati deoppilavi. Et ſic ſatis commode vixi, usque ad anni 1699 Menſem Octobris, quô manè ante ſeptimam horam, cum ſurrecturus, forte fortunâ vacillante pede, in lectum pronus præcipitarer; Nam tùm diſtortâ paululùm cervice, ſubitò tantum cerebri motum expertus ſum, ac ſi, aperta ſuturâ ſagittali, cerebrum pyramidaliter inſurgeret, ſimul eodem momento, per longitudinem ad occiput devolveretur. Adeoque in proprio corpore invictum adverſus Highmori ſententiam, qui cerebro omnem motum adimit, mihi oblatum eſt argumentum. Et quamvis hinc cum Fernelio, Bauhino, Riolano, Mercato, Sennerto, Plempio, aliisque concludere nolim, quod cerebri ſubſtantia jugi conſtantique agitatione, cordis more moveatur; intimè tamen ſenſi in memet ipſo, quod ex ſe & ſuâ ſponte motum arteriarum ſequeretur, id quod in capitis vulneribus, in quibus cerebri ſubſtantia, ſuperioribus oſſibus ac meningibus cæſim ablatis, conſpicua evadit, etiam ad oculum patet. Conſideranti rem hanc exactius, occurrit, per lapſum, vaſa ſanguifera quodammodo fuiſſe compreſſa, cum autem ex calculo Malpigh. de cerebr. *p.* 118. ſi cum corpore univerſo fiat comparatio, dimidia, aut ſaltim tertia pars ſanguinis, ad caput feratur, atque hic refluxus per lapſum eſſet inhibitus, vehementior exarſit motus, qui etiam impedimenta removit. Hic motus, cum ad ſpinæ principium progrederetur, brachium ſiniſtrum tremere incipiebat, hinc quaſi fracti artûs languebant, funiculusque ſpinæ dorſi contractus, extenſionem ipſius & artuum negabat, ut ſedere ac incedere nequirem, (*ſicuti ille apud Gabelchoverum cent.* 2. *Curat.* 78, *qui ſubito corripiebatur tanto dolore lumborum, ut nec erectus ſtare, nec decumbere poſſet. Aliorum vero judicium eſto, an hinc cum Salmutho colligi poſſit, quod in ejusmodi caſu, materia aliqua vel in venam cavam, vel in arteriam magnam protruſa ſit, Cent.* 2. *obſerv.* 77. *p.*96. *& Clariſſ. Lindanus in ſelect. Med. Exercit.*6.*videri poſſet huic conſentire, cum & ipſe à tenſione arteriæ per lumbos deſcendentis originem doloris petat* §. 72. *p.* 178. *Certè jam multis temporibus recepta ſententia eſt, materiam à capite ad partes inferiores deferri per venas arteriasque, mediante ſanguinis circulatione, ſed & longe antiquioribus ſeculis obtinuit*

opinio,

opinio, humorem collectum, inter cranium & meningem, per ſpinalis medullæ foramen, inter membranas medullam involventes, oſſaque ſpinæ, & velamina nervorum derivari poſſe, tum ad alias partes, tùm ad lumbos, ita, ut ſubſtantiam medullæ & nervorum non ſubeat; alterutro modo lapſa ſit, ex ſuperioribus ad lumbarem regionem, materia neceſſe eſt. Non ignoro quidem, quondam etiam in acroateriis Medicis traditum fuiſſe, quod per ſuturas, inter cranium & pericranium, itidem materia quædam exoneretur, & ſub cute, in partes inferiores, cervicem, ſcapulas, maxillas, &c. propellatur, ac tandem alicubi in articulationibus obhæreſcat, ſed parum probabilitatis hoc dogma habet) ſequebatur horror & frigus intenſiſſimum, cum repetitis vomitibus, & dolore, circa os ſacrum, maximè gravativo, quem ſudor profuſiſſimus ad primam uſque pomeridianam comitabatur. Videbantur enumerata ſymptomata remittere, lumbago tamen urgebat continuò, corpusque erigi vetabat. Appetitus planè proſtratus erat, ſomnus tamen languentes artus recreabat. Cumque alternis diebus, ſymptomata hæc, & intendi & remitti obſervarem, febrilem motum ſubeſſe auguratus ſum. Hinc, ſumpto emetico, ventriculum à ſarcinâ liberavi, & cephalicis ſtomachicisque, intermixtis antiſcorbuticis, morbum debellaturus (non omiſſis extrinſecis nervinis) parum tamen profeci. Urinæ permanebant rufæ, claræ & inſigniter tinctæ, appetitus aderat nullus, pulſus erat frequens, & paululùm durus, caput tamen liberum & ſerenum erat. Hinc, cum cæteris, in largâ quantitate devoravi Electuarium Chinatum, ubi intra ſeptimanæ ſpatium, urinæ præcipitatæ magnam copiam lateritii magmatis fundebant, originis tartareæ teſtem, quamvis alias minimè inſolens ſit, lumborum afflictionem tolli urinâ tenui crudaque affatim emiſſâ, cujus rei exemplum extat in Tulpio *l.* 4. *obſerv. c.* 28. *p.* 338. *& ſeqq.* Remittebant tendinum tenſiones, lumbaginis dolor gravativus evaneſcebat, appetitus cum viribus redibat, & Deo laus! ſanitas priſtina ſequebatur, eoque felicior, quod nullus alius ſuccederet morbus, quemadmodum legere eſt *in Miſcellan.* Smetii *l. X.* lumbalem ejusmodi dolorem, accedente totius abdominis ſubitaneò tumore velut tympanitidis (vid. *p.* 543.) evanuiſſe. Quod verò maximè me moleſtabat ſymptoma, erat obſtructio pertinax alvi, quam pilulis laxativis ſolvere tenebar, cumque jam ſcybala exitum quærerent, ſphincterque ani ſe laxare vellet, in contrarium idem à dolore illo lumbari retrahebatur, tanto quidem furore, ut in aëra exilire cogerer. Hisce tormentis per dimidiam ſæpè horam excruciabar, donec inter mille dolores & ſudores, inflexo corpore, mox ad dextrum, mox ad ſiniſtrum latus, fæcibus exitum procurarem. Non verò eſt absque omni periculo intenſior ille niſus, in reddendis recrementis, nec ſanè Doctiſſ. Marſil. Ficinus, fruſtra apoplexiam vel epilepſiam hinc metuit, in opere de ſanitat. ſtudioſ. & niſi fallor, exempla probant, quod facilè ex tali conatu venæ & arteriæ in plexu choroide rumpi queant.

Huic de lumbagine hiſtoriæ jungere nobis liceat, peculiare *ἀποςίσεως καὶ ἔκκρισιν* genus, quod aliquoties in corpore ſuo expertus eſt D. Maximilianus Preus, itidem Collega noſter. Accipe autem lector ex calamo ejus hiſtoriam:

N Naturâ

Naturâ ita ferente, Cholerico-Melancholicus, ut vocant, proclivis ſubinde ſum, ad congeſtiones ſeu tumores criticos ſubaxillares, inſtar furunculorum, aut bubonum quandoque benigniorum, inflammatos & ſuppuratos tandem, idque occaſione utplurimùm Motûs & incaleſcentiæ ſanguinis ac ſpirituum notabilioris, ſeu ex ira hoc fiat, vel balneo, ſeu ex vini tantillo exceſſu, aut aëris mutatione vitioque epidemico, vel miasmate aliquo morboſo, inter tot Ægros, Noſocomii potiſſimum curæ inſpectionique meæ commiſſos, forte ſuſcepto, & poſtquam reliquos corporis Mæandros, una cum ſanguinis maſsâ liberè impuneque pervaſit in carne muſculosâ glandulisque ſubaxillaribus circa flexuram & ſummitatem intimiorem brachii ſitis (ex frictione lotricis, quantum recordor, violentiore aliquando cum panno aſperiore, ſub balnei uſu læſis, hincque magis fortè atonis, tortuoſis, compreſſis & anguſtioribus factis) hærente ac nidulante, ibique, prægreſſis aut junctis utplurimùm ſymptomatis febrilibus, pruritum initio intolerabilem, poſtque fricationem hinc vix evitandam, exigua mox tubercula duriuſcula, aliquo modo acuminata, profunde ſatis interdum ſita, ad ovi tamen columbini magnitudinem ſucceſſivè excreſcentia, modò unum, modò plura, excitante, cum dolore ardente, ruboreque & ſiccitate primum ingenti, usque dum per humectantia, tepida, emollientia & maturantia, tùm emplaſtra ſcil. diachyli, meliloti & ſpermat. ranarum, tùm maſſam è farinâ, melle & pauxillo cepæ albæ ſub cineribus aſſatæ, tùm cataplaſmata deſuper ex ſpeciebus emollientibus in lacte coctis, tandem molleſcant, rumpantur, & pus ſanguinemque interdum quoque ſpiſſum aliquandiu fundant, donec unguento digeſtivo communi cum tantillo balſami Peruviani, ceu mundicativo, mediante turunda immiſſo, emplaſtroque nigro Tileſii aut diapalma, iterum conſolidentur.

Qualia tubercula imprimis tum Frauſtadii olim, cum ad Phyſici munus ſuſcipiendum Vratislaviâ eô proficiſcerer locumque ſic mutarem, cum morboſa aliquo modo epidemicaque t. t. aeris ibidem qualitate, Martio Anni 1682, & Auguſto 1683, ſub utroque brachio; tùm Vratislaviæ iterum deinde Anni 1691 menſe eodem, & Anni 1699 epidemicâ conſtitutione Januario Majoque, ſub alâ tantùm dextra ſalubri eventu expertus ſum. Simile tamen quiddam Anno indè proximè præterito potiſſimum, 1698 ſcilicet, Junio Menſe ſingulari ex causâ occaſioneque pariter mihi contigit. Poſtquam nempe 14 Junii ſub veſperam ex balneo, tantillo vini & irâ nonnihil incalueram, nihil tamen morbidi inde ſentiens, ſed benè valens, 15to ejusdem circa prandii tempus, iturus ad convivium quoddam illuſtre, ad præveniendum vini noxam, accipio pulveris lapidis cancrorum ſcrup. ij. præter propter in aqua florum tiliæ, ex quo, antequam dimidius hinc effluxerat horæ quadrans, corripior ſenſu efferveſcentiæ & roſionis moleſtæ in ſtomacho cum nauſeâ, ſudore ſyncoptico, horripilationeque & æſtu febrili alternis, ita ut convivio intereſſe haud licuerit, ſed lectum petere, tincturæque bezoardicæ temperatioris guttas aliquas in vehiculo prædicto haurire neceſſum habuerim. Haud diu exhinc cùm decubuerim, egregius emanat ſudor, cum aucto inde ardore & pruritu inſigni

(qua-

(qualem & ſub initium hujus paroxyſmi jam aliquo modo ſenſeram) nec non exanthematibus eryſipelaceo-ſcarlatinis per univerſam corporis peripheriam, brevi tamen iterum exareſcentibus, & tumore exiguo, inſtar parvi bubonis aut furunculi potius, ſub axilla dextrâ, qui ad ceraſi magnitudinem ſucceſſivè auctus, maturatus, & exulceratus tandem fuit, per remedia ſuperius intimata, cum euphoria & omnimoda ſubitaque ſatis judicatione ac convaleſcentia, poſtquam pauca inſuper bezoardica fixa & balſamica myrrhata internè acceperam. Credo autem à balneo, irâ, paucoque vino, motum jam, naturali aliquo modo intenſiorem, ſanguini pridiè impreſſum, poſtero die, occaſione lapidum cancrorum, cum acido ventriculi manifeſtiore viſcidioreque intenſius efferveſcentium, ſicque ſtomachi nervos ac ſpiritus irritantium, magis auctum, hincque efferveſcentiam febrilem ſeparatoriam heterogeneitatum in ſanguine latentium, per peripheriam cutis & vaſa glandulasque ſubaxillares, excitatam, earumque ſecretione facta, brevi iterum ſedatam fuiſſe.

Ferax quoque erat autumnus febrium lentarum & hecticarum, quæ ſuccedebant partim *quartanis, malè curatis, & utplurimum conjunctum habentibus gravativum dextri hypochondrii dolorem, tuſſim ſiccam, ſubinde & aſthma, colorem corporis luridum aut lividum & flaveſcentem*, partim *hæmorrhagiis*, per aſtringentia interna & frigida externa, *cohibitis*, partim, *ulceribus renum & meſenterii*, porrò *& motibus corporis æſtuoſis*, poſt ingurgitatum frigidum potum, unde & coagulationes ſanguinis & ſcyrrhi viſcerum, præprimis hepatis, non adeò rarò originem trahere videntur. Peculiariter huc quoque chronica illa febris pertinet, quæ ſequitur ſcyrrhos & tubercula pulmonum; neque prætermittenda, quæ gonorrhæam copioſam excipiebat. Vidimus etiam, qui propter ulcera antiqua & pallida in locis externis ſenſibilioribus contabuere. Licet verò vel ex his judicare, an cauſam hecticæ Malpighius *ep. 1. de pulmon.* acu tetigerit, ſcribens: *Hecticam à nimia fermentatione ſanguinis oriri, quando nimirum ſanguis juſto acrior, partes, ob fermentum ſuum quaſi ſolvit, & fundit, ut foras partium per poros cutis innumerabiles evolent*; imò manifeſtiſſimè potius patet, focum ejusmodi febrium eſſe vel lentas nobiliorum viſcerum obſtructiones, vel eorum exulcerationes, arroſiones, vel ſuccorum corporis nimiam evacuationem, quam in rem juvabit legere, quæ habet phthiſiologiæ Cl. Morton. *l.* 1. *c.* 3. 4. 6. 7. *&* 9. (*q*) Ita vero cum hecticis comparatum eſt, ut ſenſim emacientur, & partes ſolidæ, i. e. fibroſæ, adipoſæ, carnoſæ pedetentim reſolvantur & diffluentur. Et hinc febri huic nomen ἀπὸ τῆς ἕξεως, ſeu ab habitu, quia in habitu corporis fixa hæret, atque partes ſolidæ ab ea tentantur & marceſcunt. Præterea ſemper plus juſto calent, ſitiunt, imprimis tamen acriore calore, poſt cibum ſumptum, aduruntur, facile quoque in ſudorem ſolvuntur, præprimis nocturno tempore, eumque fœtidum, ut vel hinc facilè ſit hecticam ab atrophia diſcernere. Appetitus ſolet eſſe proſtratus. Sæpenumero adeſt quoque tuſſis rauca, & præterea ſaliva viſcida & glutinoſa. In febri illa, quæ tubercula pulmonum conſequitur,

Febres lentæ & hecticæ.

N 2

(*q*) Conf. Caſtig. noſtræ Græbn. p. 71. 72.

ſequitur, præter calorem vehementiorem, incrementum tabis, ſeu conſumptionis carnis muſculoſæ notabile, ac flacceſcentem ariditatem tuſſis frequentis & importunæ, ſentitur in pectore pondus gravans, cui anhelitus ſeu difficilis frequens & moleſta reſpiratio adjungi ſolet, ut optimè notavit ante laudatus Morton. *l.* 2. *c.*9. *p.m.*69. quanquam noſtrum aſſenſum in deſcriptione tuberculorum vix ei, per omnia, præbere queamus, dùm vult tubercula illa eſſe tumores glanduloſos, à liquoris glutinoſitate vel pori ſeu ductus glanduloſi obſtructione ortum ſuum ducentes, dum vult ſtagnantem liquorem, in formam gypſeam, ſteatomatoſam vel melleam, à naturali partis calore ſenſim concoqui & propria tamen cyſtide ſemper contineri; cum tribus ſeſe potuiſſet expedire verbis, dicendo, tubercula illa eſſe expanſionem membranarum per materiam ſeroſo-pituitoſam, & glutinoſam. Multas alii Practici in therapeia hecticæ ſibi formant indicationes, nos verò eò collineavimus, ut, quod planè arduum eſt, cauſam, per reſolventia, mundificantia, & balſamica, tolleremus, & excedentem corporis calorem debitè temperaremus, exturbatis acribus recrementis per abſorbentia, lenia diaphoretica, & diuretica imprimis nitroſa, quæ tamen non uſu continuo, ſed tum potiſſimum, cum os ſiccum eſt, adhibenda, ac profectò illa multis paraſangis famoſum Poterii antihecticum poſt ſe relinquunt, tandemque dedimus operam, ut corpora vix oſſibus hærentia reſtauraremus emulſionibus ex amygdalis & pineis circa noctem, aliisque analepticis. Vitavimus tamen ineptas illas aquas, ror. majal., pulmon. vitul., ex ſanguine ſuillo, cochleis, ranis *&c.* quâ Cardanus multos ſe curaſſe jactat. *(r)* Electuarium de paſſulis mire deprædicat Riverius, ſed ſine causâ. Ex Electuario reſumptivo pauci vires recipiunt; Nec titivillitio emerimus ſyrupum de teſtudinibus, aliaque hujus furfuris incondita medicamenta. Conf. Ludovic. *Pharmac. p.* 46. *p.* 333. *p.* 547. Sudores nocturni non adeo noxii ſunt, ut vulgò creditur, nec ad eos inhibendos uſi ſumus tinctura vitriol. mart. ſaturnina, quæ ſequenti modo commode paratur:

℞. Vitriol. mart. crud. absque pulveriſatione Unc. j.
huic affunde aceti ſuper minium infuſi Unc. iij.

totidemque ſpiritus vini uncias, unde emergit intra paucos dies tinctura ſummè rubicunda. Hac, inquam, aliisque adſtringentibus in hac non facilè ſumus uſi, (imo ex eodem capite non per omnia ſatisfecit decoctum Zwelfer. antiphthiſicum *in Pharmacop. Reg. p.* 60. ab eo deſcriptum) ſed potius, quando ſudores illos animus erat refrænare, elegimus pulveres ex ſpec. de hyacinth., corall., nitro, qui & in diarrhœâ egregie expectationi ac votis ſatisfecerunt. Inter externa remedia, balnea crebra tepidiora, quibus blanda partium externarum relaxatio fit & congeſtio ad internas impeditur, non minimam locabant operam. Litus quoque & inunctiones dorſi cum oleis roſarum, nymphææ & pinguedinibus humana aliisque, cum unguentis, reſumptivo, roſato *&c.* non contemnendi uſus fuerunt. Ad venæ ſectionis mentionem, in gracilibus ejusmodi corporibus & circumſtantes & ægri trepidant,

(r) conf. Caſtig. Græbner. noſtræ p. 71.

pidant, imò & Medici ipſi; nihilominus nonnulli noſtrum eam in primo hecticæ gradu celebrarunt, probè ſcientes, quod in ejusmodi corporibus, non rarò major ſanguinis copia reperiatur, quàm in obeſis & turgidis, quod ante Nos in œconomia ſua rectè notavit Doctiſſ. Charleton.

Inclaruit quoque cura hecticæ per lac, in quam juſto ſeverius Ludovici animadvertit, & non veremur hic cum Celeb. Meibomio *in diſſert. de phthiſis curatione per lac ex* §. 27. aſſeverare; quod *collato morbo, cum ſuo remedio, lacte, facilè pateat, eſſe id in ea præſtantiſſimum omnibusque intentionibus ſatisfacere, accedente deinde Medicorum omnis ævi lactis uſum in hoc morbo laudantium experientia.* Conf. Ephem. Nat. Cur. *Ann. I. obſerv.* 19. Diemerbrock. *Obſ. Med.* 30. Act. Erud. Lipſ. *anno* 85. *p.* 84. in quâ alicujus Gallici Tractatus de lactis uſu compendium exhibetur. Imo ipſe Clariſſ. Ludovici *p.* 514. *in pharmac.* fatetur: *ſe reſtituiſſe ſub circumſpecta lactis adhibitione, juvenes è venere, vel vinorum ingurgitatione nimia marcentes & tuſſientes.* Quo ipſo cum Wepfero *in epiſtola ad Verzaſcham*, tacitè agnoſcat, neceſſe eſt, *divini aliquid in lacte latere.* Id tamen iterum extra dubitationis aleam poſitum eſt, quod, quando pulmones duri, ſcirrhoſi ac tuberculis referti ſunt, lac juvare non poſſit; cujus rei exemplum DD. Preuſſius & Helwich in viro cholericæ conſtitutionis, poſt pertinaciſſimam alvi obſtructionem à Medicaſtro & Veterinario quodam draſtico medicamento ſolutam in abſceſſum in regione thoracis incidenti ac poſt illud conſolidatum contabeſcente oblatum fuit. Nam poſtquam is variis remediis, & imprimis etiam decoctis lignorum, cum majori damno, quàm emolumento uſus eſſet, ac nihil aliud reſtaret, ad lac, tanquam aſylum confugit, cum audiviſſet ex Martiano, *antiquitus lac fuiſſe ſacram anchoram, & omnium remediorum caput*, & ut tanto liberius huic curæ vacare poſſet, auram Vratislavienſem cum rurali amœniori, & turbas urbis cum quiete Tuſculani alicujus mutavit, juxta præſcriptum D. Helwich, lacte victurus & ita robuſtiores vires acquiſiturus; at verò ſine ullo fructu illud bibit, propter malè affectos pulmones, quod ex gravi & anhela etiam in levioris corporis motu, eo quod dura pulmonis apoſtemata dilatationem impedirent, reſpiratione cognoſcere licebat, atque ita brevi poſt fato conceſſit.

Sporadice etiam in Octobri adhuc graſſabantur febres Petechiales, ſicuti puerum quendam, hoc Menſe, ea affectum, una cum catarrho ſuffocativo, partim bezoardicis, partim laxantibus per epicraſin, & cataplaſmatibus pectoralibus emollientibus ac reſolventibus D. Preuſſius reſtituit. Magnam menſium perturbationem in ſolutis æque ac conjugatis, imò & gravidis hoc tempore offendit D. Pauli. Et his quidem, cùm immoderate fluerent, efficaciter per V. S. occurrit. Viſæ etiam ſunt mulieres molam excreviſſe, & ſuperſunt adhuc nonnullæ, quæ fermè ſingulis annis molam quandam ſeu maſſam informem carneam ſine oſſibus excludunt, poſtquam inutile pondus cum magna moleſtia ſæpè diu geſtarunt. Optandum omnino, ut certiora eſſent molæ ſigna, quibus non ſolùm ab hydrope uterino, flatibus, Mola.

ſcirrho uteri, ſed & à fœtu vero diſcernere eam liceret. Jam verò utplurimùm, quæ molam geſtant, omnia ſigna prægnantis mulieris præ ſe ferunt, menſtrua retinentur, mammæ intumeſcunt, urget cibi faſtidium, nec infrequenter, ut illa apud Bauhinum, vomitibus primis menſibus divexantur, venter indies magis ac magis grandeſcit, ac os uteri clauditur, cui ſigno imprægnationis tantum tribuit Panarolus *Pentec.* 3. *obſ* 20. *p.* 78. ut ſigna reliqua omnia incerta, fallacia, & vana principio geſtationis dicat. Et quam fallax malorum indicium, à duritie tumoris, ab immobilitate ejus, quod in utero hæret, ac pondere & puncturis, quas Crato in abdomine ſemper, præſente mola, ſentiri ait, petatur, norunt Practici exercitati, & cum potiſſimùm inter hæc molæ ſigna ſit ἀκινησία, quis ignorat exempla molarum itidem ſeſe moventium, annotata tùm ab aliis, tùm à Salmutho? Et quid, ſi uterus ſpasmodicè concutiatur, cum mola premitur, quod aliquando fieri, ipſe tactus manifeſtat, annon facilè talis motus ſpasmodicus etiam ſagacibus fœminis imponet, ut utero ſe embryonem geſtare credant? Et cùm uterus una cum Tubis Fallopianis gaudeat ſuis fibris motricibus, ac præterea cum aliis viſceribus, ope nervorum ac membranarum, cohæreat, captù non eſt difficile, quam promptè & in conſenſum motus rapi, aut alias partes rapere queat, & certitudinem omnem molæ immobilitati ejus innixam, confundere valeat. Circumferuntur etiam alia ſigna molæ, quibus tamen iterùm tutò acquieſcere minimè licet. Verum eſt, quod molam geſtantes, aliquando difficulter trahant ſpiritum, quòd ex die in diem deterius habeant, in coitu, dolore, ſubinde etiam lipothymia infeſtentur, corpus marceſcat; at verò, qui ex contabeſcentia corporis illa, lipothymiis, averſatione coitùs, difficultate reſpirationis &c. ſtatim infert præſentiam molæ, næ! is graviſſimè decipitur. In caſu itaque tantoperè dubio, Medicum quàm maximè circumſpectum eſſe, æquum eſt. At in iis, quæ jam antea ſæpius ejusmodi rudia indigeſtaque corpora excluſère, quales ubique locorum ſatis frequentes ſunt, ſecurius proceditur. Nempè tutò dantur, quæ menſes ciunt, & ſecundinas fœtumque mortuum pellunt, rectè purgantia etiam fortiora ingeruntur, & medicamenta ex ſabina, myrrha, croco, caſtor. borrace &c. uſurpantur, omiſſis vanis illis, teſtibus, inquam, equorum, quos commendat Rolfincius, & fellibus animalium; & parùm ſanè abeſt, quin in cenſum hunc etiam hepar anguillæ Helmontio tantopere laudatum, referamus. Infuſis uterinis ſua etiam conſtat laus, ut & ſternutatoriis. Externè balnea & inſeſſus ex emollientibus & pellentibus adhibentur &c. Iis, quæ magis depuduere etiam peſſus, modò non nimis ſint acres, & vaginam excorient, admoventur. Nos ferè ita progreſſi ſumus: Cùm aliquid ſanguinis ex mulieribus ſtillaſſet, quod utplurimùm fit non ſine deliquiis & anxietatibus, portionem illam ſanguinis inſpeximus, & affusâ tepidâ examinavimus, ut tantò rectius cognoſceremus, an fibroſæ aut lacinioſæ partes excretæ eſſent; His ita cognitis, ulteriùs perpendimus, an aliqui conatus excernendi ſarcinam uteri ſenſibus ſeſe objicerent, & ſi vel inquietudo, vel aliæ circumſtantiæ de eo conatu nos redderent certiores. Primò omnium corroborantibus uſi ſumus, aqu. cinamom.,

mom., meliſſ. c., balſam., embryon., dominar. mynſ., tinct. corallor., confect. alkerm. incompl. &c. hisque non ſufficientibus, progreſſi ſumus ad pellentia, pulverem Auguſtan. borrac. venet., trochiſc. de Myrrh., ſpecif. cephal. D. M. quæ debitè remiſcuimus, ac majorem iis vim à volatilibus ſalibus & ol. deſtill. cinamom., caryophyll., ſabin. *&c.* fœnerati ſumus, ac in aqu. artemiſ. puleg., origan. montan. *&c.* ejusmodi pulveres exhibuimus. Externæ partes inunctæ ol. ſcorpion., lil. alb., amygd. d., cheiri &c. aquam etiam calidam ſellæ ſupponi juſſimus, ac ſi neque hæc operæ facerent pretium, præter ſternutatoria etiam aliquando infuſa ex uterinis & purgantibus propinavimus. Chirurgiæ auxilium rarius à noſtris imploratur, atque hinc apud nos ferè ignota ratio extrahendi coagulum iſtud tùm per pedem Gryphii à Paræo *l.* 23.*c.*35. quàm forcipem dentatum ab Hildano *Cent.*2. *obſ.* 52. commendatum. Et ſanè, ut optimè Primeroſius, *temerè chirurgiâ non eſt utendum, nam niſi mola ab utero & ligamentis laxata & divulſa fuerit, ac ad os uteri declinet, per inſtrumenta illa chirurgica facile noxa utero inferri, isque lacerari, ac diſtorqueri poteſt.* Edita mola, ut vulneratas tractavimus. Semper tamen in memori fuit pectore aurea illa Ballonii regula *ex lib.* 1. *Epidemior.* & *Ephemerid. p. m.* 57. *cum falſum germen excuſſum eſt, ne quieſcas, donec pro comperto habeas, num aliud reſtet.* Ibidemque providè monitum eſt, ne in hoc metu obſtetrices adſtringentibus utantur. Et licet uterus onere ſuo, per rejectionem ingentium grumorum, ſemel liberatus ſit, frequenter tamen, poſt menſes, novus labor, ad deonerandum uterum, redit. Non ſoli ſanè Platero oblatum exemplum Nobilis fæminæ, ſingulis anni quadrantibus, molam enitentis, ſed & hodie frequenter aliis Practicis, atque hinc meminimus, quæſitum ex nobis, quomodo mola præcaveri poſſit? Provide in hac re nos geſſimus & multa fecimus noſtra ex conſilio doctiſſimo Lentilii *lib.* 2. *Miſcellan. Med. Practic. Tripartit. p.* 530. neque tamen nobismet ipſis ſatisfecimus, quia veræ molarum origines nondum ita evolutæ ſunt, ut nulla ſuperſit de iis dubitandi occaſio. Magna cum probabilitate aſſeritur, quod generatio molæ eadem fermè, quæ polypi, quod *ex ſtagnante ſanguine ſeroſum diffluat, aut abeat cum parte magis fluida ipſius ſanguinis, fibroſum vero reſtitet cum mucoſo, novis acceſſionibus, novi accreſcant lobi, calor vero ſuperficiei inducat tunicas.* At totum hoc non exhaurit. Nos, cum in Republica literaria liberæ debeant eſſe voces, læſi, aut ſauciati uteri fructus, carneas illas excreſcentias, hoc eſt, molas, tam diu credemus, quoad rectiora fuerimus edocti ab aliis. Inter omnes enim hujus negotii circumſtantias, illa eſt cumprimis notabilis, quod fœcundæ ſint uteri molarum matres, quæ vel abortivêre, (ferè enim plus negotii abortus, quam maturus partus exhibet) vel laborioſo partu defunctæ ſunt, vel in ſævas obſtetricum imperitarum manus inciderunt. Virginum molæ ſunt aut nugacium figmenta, aut ſane maſſa ſanguinea in aqua utplurimum diſſolubilis, niſi fibris ſanguinis robuſtioribus conglutinentur, ac de ejus generis molis Horſtius, Lindanus, Hœſerus aliique ex Medicis, qui molas à virginibus edi poſſe concedunt, loqui potiſſimum videntur, quæ tamen & ipſæ

ipſæ ruptorum inflammati & exulcerati uteri, vaſorum quorundam, venerearumque phantaſiarum partus ſunt, adeò, ut in prophylaxi nihil agatur, niſi ad læſum uterum oculi convertantur.

Occaſione molarum, antequam ad Novembrim progrediamur, verbo monemus, quod in metu abortûs earum, quæ jam antea fœtum immaturum excluſerunt, præprimis cum conceptio mox poſt abortum facta eſt, non tam cogitandum ſit, quòd alias ordinariò Medici faciunt, quomodo impendens abortus inhiberi queat, ſed ſeveriori ac exacta trutina expendendum, an inhiberi debeat. Atque hinc à vehementioribus adſtringentibus ſeriò dehortamur, cum non deſint exempla, ubi per adſtringentia ejusmodi miſeræ ad molæ geſtationem perpetuam quaſi damnatæ ſunt.

In Novembri D. Preuſſius in puella quadam prolapſum inteſtini recti notabilem in Orphanotrophio curavit. Prominebat illud ad 5 digitos transverſos per duas ſeptimanas, tandemque ſponte tunica interior ſphacelata deceſſit, & reliquâ inteſtini ſubſtantia iterum in naturalem ſitum reducta eſt, egregiam opem præſtante linimento ex mucilag. ſemin. frigid., lythargyrio, oleoque amygd. d. parato, atque hoc pacto puella integræ ſanitati reſtituta eſt.

Hydrops Aſcites. Aliquot Aſcitici etiam noſtram flagitarunt opem, ac requirit gravitas morbi etiam alio tempore ſtragem edentis, ut ejus hiſtoriam aliquanto diligentius enarremus. Noſtri, antequam evidentiora hydropis ſigna præſto ſunt, gravitate quadam & anguſtia, circa præcordia, ac tenſione in hypochondriis afficiuntur. (s) Deinde difficultas reſpirationis in motu corporis & aſcenſu ſcalarum iis graviter moleſta eſt. Quando verò circa mediam noctem, chylus, finita concoctione, cum ſanguine miſcetur, non tantum dolore, cardialgiæ analogo, torquentur, ſed & tam ægrè ſpiritum trahunt, ut prope à ſuffocationis periculo abſint; Et cum hoc fit, in procinctu tumor eſt, & ſingulis quaſi diebus abdomen ſenſim intumeſcit ac diſtenditur, ac ante notabilem ventris tumorem, impulſo abdomine aut corpore, in alterutrum latus provoluto, murmur & humoris fluctuationem interdum percipiunt. Quibus tandem ſuccedit ſæpè ſtupendus abdominis tumor, & tùm omninò notæ, quibus Aſcites dignoſcitur, ſunt viſu, tactu & auditu facillimæ, ut loquitur Aretæus *lib. 2. de morb. diuturn. cap.* 1. (t) Tumor verò non unius generis eſt, interdum in uno tantum latere cernitur, interdum in utroque, & quidem ita, ut venter quaſi in duas partes diviſus videatur, aut quaſi duos ſacculos appenſos habeat, interdùm verò æqualiter diſtenditur ab hypochondriis ad pubem uſque coſtarumque fines & extremitates extrorſum pelluntur. Hic verò tumor, quando Aſcitici recti ſunt, verſus inferiora magis vergit, quando verò decumbunt in latere, aqua volvitur ad latus illud, in quo cubant, cùm verò ſupini dormiunt, ſummus ventris vertex collabitur. Præter hanc abdominis diſtenſionem, morbo protracto, etiam œdematoſus in dorſo tumor exſurgit. Non ſolus autem venter, ſed & pedes & ſcrotum intumeſcunt, licet aliquando à naturali conſtitutione non recedant.

Interdùm

(s) conf. Caſtigat. Noſtræ Græbner. p. 72. (t) ibid. p. 74.

Interdum verò intumeſcentia pedum præcedit, illorumque, ut accuratè Platerus, infimam ſedem eminentiorem, deinde eam, quæ in ambitu malleolorum exiſtit, primum replet, inde ſenſim ad genu uſque & ulterius extenditur, maximè in humiliori femorum ſede ampliuſque excreſcit interdiu ſedente, aut eunte, ægro, decreſcit verò nonnihil eo recumbente noctu, impreſſumque in hoc tumore aliquandiu remanet veſtigium, qui, ubi admodum diſtentus eſt, ſplendere & pellucidus non nihil eſſe videtur. Poſtmodum aqua in ſcrotum ex abdomine per proceſsûs peritonæi quoque delabitur, illud ſæpe ad magnitudinem ſtupendam diſtendit, imò vidimus totum colem tortuoſum & tranſlucidum, naturalem craſſitiem longè excedentem, aquâ ex vicinis inguinis partibus ſeſe inter cutem & carnem penis inſinuante. Superiores partes interea exareſcunt, ac veluti liqueſcunt, ut ſola cutis, tendines, membranæ & ligamenta vix oſſibus hæreant, niſi quod aliquando facies aliquo modo intumeſcat. Celeberr. Wedelius *in Exercit. Semiotico - Pathologic. p.* 138. *facies*, inquit, *ut in cachexiâ ſe habet, ictericum quid ſæpè præ ſe ferens.* Aretæus vultui pallorem ineſſe docet. Aëtius autem tribuit hydropicis colorem ex viridi albicantem. D. Graſſius & Helwich, hydropicam intenſe rubicundam tractarunt. Præterea adeſt in corpore laſſitudo & torpor, non rarò etiam dolor, ab initio quidem in imo ventre, & coxis, in morbi progreſſu vero circa laterum inanitates & ſpinæ muſculos, imò non rarò ad jugulum & mammas uſque ſe diffundit. Nonnullis pruritus eſt moleſtiſſimus, aliis ſcabies infeſta eſt, nonnulli eryſipelate infeſtantur. Aliis maculæ in cruribus & fere mortem denunciant, ut compertum eſt D. Graſſio & Pauli. Pedes tumidi plerumque frigent & albent. Ex iis aliquando transſudat aqua ſalſa cum intertrigine non ſine diſcrimine gangrænæ. Tales ſcaturigines aquæ etiam alibi in corpore cernuntur. Uberior verò quantitas ex umbilico dehiſcente effundi ſolet. Nec infrequenter hæmorrhagiâ aſcitici vexantur. Accedit ad cumulum malorum etiam continua & lenta febris, ſub veſperam potiſſimum, manifeſtius ſe prodens, quæ ſatis vehemens eſt, cùm hydrops morbos acutos ac viſcerum inflammationes ſequitur. Pulſus ordinario eſt parvus, mollis & ſubdurus, cum aliquâ tenſione. Præter hæc etiam alia ſymptomata hunc morbum ſtipant, nimirum ſitis intenſa, quam licet bibendo ſedent, ſtatim tamen denuo affligit, & ſi hic ſuis hydropici obſequantur deſideriis, tumor abdominis magis magiſque excreſcit. Nam verè Horatius cecinit, quod creſcat indulgens ſibi dirus hydrops. Licet verò multum bibatur, urina tamen plerumque per pauca mejitur, & ea modo tenuis eſt & aquoſa, modo craſſa, lixivioſa & rubicunda. Difficulter quoque ſudant Hydropici. Et licet Smetius ſudorem hydropicis ſupervenientem bonum eſſe dicat, fuit tamen, ubi potius cum Avicenna eum laborioſam diceres ægritudinem. Alvus aliquando ſeſe rectè habet, interdum verò ſegnior eſt, quod ex Hippocratis aliorumque doctrina læſi hepatis indicium exiſtit. Adeſt etiam nimium alvi pro uvium, & inter initia, quando ſine cruditate eſt, ſpem recuperandæ ſanitatis facit, ſub finem verò & cum viſcera læſa ſunt, mortem brevi ſecuturam præ-

ſagit. Scybala alvi magis ferè cineritia ſunt. Sub primum hydropis ingreſſum ſi vomitus ſuperveniat, quod aliquando fit, is utilis eſſe ſolet, ac memorabile hujus rei paradigma legere eſt in Marcelli Donati *Hiſtor. mirab. lib.* 4. *c.* 21. ſed grave periculum ex vomitibus, cum vires dejectæ ſunt, & tanto magis, ſi illi ſanguinei ſunt, quales vidit Ballonius, inſtat. Ex præcipuis ſymptomatibus inter tria illa à Sydenhamio allegata, eſt dyſpnœa, & ſanè verum eſt, quod ferè ſemper hydropem comitetur. D. Pauli & Helwich curæ ſuæ commiſſam habuerunt fœminam nobilem, quæ poſt puerperium incidit in aſcitem & ex eo defuncta eſt, abdomine in magnitudinem ſtupendam propter incredibilem aquæ quantitatem poſt mortem eductam, diſtento; hæc tamen nullum incommodum circa reſpirationem, etiam ultimis vitæ diebus paſſa fuit. Appetitus, quod penè exciderat, plerumque deficit, imò hydropici nonnulli ad ciborum mentionem nauſea tentantur, ſimul ac verò aliquid cibi modici ſaltem, & non flatulenti aſſumſerunt, inflantur & ructus ac diſtenſiones patiuntur, magnâque præcordiorum anxietate premuntur, cujus rei luculentum exemplum à Schenckio *l.* 3. *obſerv. Med.* recitatur. Ulterius aut tuſſis ſicca & rauca affligit, aut inane tuſſiendi deſiderium excruciat. Sociantur etiam vertigo, convulſiones, epilepſia, & in junioribus etiam major capitis magnitudo; ut de palpitatione cordis, podagrâ, ictero, non raro cum tumore aſcitico complicatis, nihil dicamus. Quidam ſomnolenti admodum ſunt, nonnulli vero vigiliis moleſtiſſimis enervantur. Plerumque experientiæ reſpondent Prognoſtica illa Hippocrat. *ex lib.* 2. *prædiction.* quæ Celſus *lib.* 2. *c.* 8. latine ita effert: *Aqua inter cutem minimè terribilis eſt, quæ nullo antecedente morbo cœpit, deinde quæ longo morbo ſupervenit. Utique ſi firma viſcera ſunt, ſi ſpiritus facilis, ſi nullus dolor, ſi ſine calore corpus eſt, æqualiterque in extremis partibus macrum eſt, ſi venter mollis, ſi nulla tuſſis, nulla ſitis, ſi lingua, ne per ſomnium quidem, inareſcit, ſi cibi cupiditas eſt, ſi venter medicamentis movetur, ſi per ſe excernit mollia & figurata, ſi extenuatur, ſi urina, & vini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutatur, ſi corpus ſine laſſitudine eſt, morbum facilè ſuſtinet. Siquidem in quo hæc omnia ſunt, is ex toto tutus eſt, in quo plura ex his inſunt, is in bonâ ſpe eſt.* Hactenus Ille. Aqua, quæ in abdomine diſſecto poſt mortem reperitur, non unius generis eſt, ſed ut cum Meibomio loquamur, aliquando obſervatur planè liquida, aqueo tantum colore, ſine ſapore; Interdum mucilaginoſi quid habet, & igni admota, in gelatinam abit. Sæpius autem ad flavum nonnihil inclinat, urinæ naturali ſimilis vel lixivio, non colore tantum ſed etiam ſapore, quandoque viridis conſpecta fuit, & ſpumavit quoque. Interdum verò materia adeſt, in ſtupenda quantitate melli liquidiori aut ſyrupo dilutiori ſimilis. Ubi quidem obſcurum minimè eſt, quod hæc aquoſa colluvies ſit vel è ſeri laudabilis ſeu humoris lymphatici, aut etiam ipſius chyli, vel ſeri excrementitii proſapiâ. Prioris cenſûs eſt illa mucilaginoſa & gelatinoſa, poſterioris autem generis lixivioſa iſta &c. Non tantùm autem gelatinoſa illa textura de ſcaturigine vel origine iſtius teſtatur, ſed hoc quàm maximè, quod corporis reliquæ partes contabeſcant,

ſcant, hæc enim contabeſcentia evidens præbet documentum, partes illas emarceſcentes ſubſtantiâ alibili privari, eamque alibi in cavitate quâdam deponi, & hoc modo tabeſcentibus ſubtrahi. Nec eſt dubitandum, quin hydrops ſubito ob enormem in diætâ commiſſum errorem cum extravaſatione chyli conjunctus ſit, nam hoc dulcedo & ſuavitas materiæ ſtagnantis extra controverſiam ponunt. Quòd verò & ſerum excrementitium, motu ejus turbato, hydropem producat, loquuntur exempla apud Plater. *l.* 3. *c.* 3. Holler. *l.* 1. *de morb. intern. c.* 39. Dodonæum *obſerv.* 34. In hydropico Harlemenſi poſt mortem diſſecto deprehenſus eſt ren ſiniſter totus in putrilaginem abiiſſe, dexter ureter calculo obſtructus, atque adeò urinam in abdomen ſeſe effudiſſe, teſte Clariſſ. Borrichio *Cent.* 4. *epiſt. Med. ep.* 17. *p.* 76. Quod inſenſibilis tranſpiratio quoque cohibita ad hydropem diſponat, evincit exemplum apud Blankardum *Cent.*1.*obſ.*19. Magis in hâc ſententiâ confirmabitur, qui perpenderit, nobiliorum in hydrope viſcerum atonias, obſtructiones, corrugationes, indurationes ſcirroſas, exulcerationes, fiſſuras aliaſque corruptelas, quibus motus lymphæ ad profuſionem hydropicam uſque impeditur; qui conſideraverit vaſorum laxitatem, rupturas *&c.* & ab altera parte excretoriorum, præprimis autem viarum urinariarum læſiones & vitia. Pleni ſunt Practicorum libri de morboſis viſcerum conſtitutionibus, ex quibus multa, ſingulari diligentia, congeſſit quondam Celeberr. Conring. *in diſp. de hydrope Aſcite à* §. 35. *uſque ad* 39. diligentiſſimus Theophil. Bonetus *in Sepulchreto l.* 3. *ſect.* 21. *à p.*1033. aliique pro lubitu conſulendi. Hæremus verò adhuc dubii, quaſnam ſatis frequentis apud nos hydropis cauſas procatarcticas nominare fas ſit. Aliquid confert aër craſſior, & crudioribus particulis gravis, dum poros occludit, liberam tranſpirationem impedit, & ſerum in corpore auget. Magis adhuc ad hydropem diſponunt cibi flatulenti & crudi, quibus non pauci delectantur. Fructus horræi malè audiunt apud Ægidium Euth. *in agoniſm. de hydrop. p.* 38. Allii eſum etiam noxium eſſe, credit Tulpius *lib.* 2. *obſ. c.* 35. Omnium verò maximè, niſi prorſus fallimur, abuſus generoſi vini (vid. Ariſtot. *l.* 3. *problem.* 5.) & cumprimis ſpiritus ex eo, ac frugibus parati, qui ſi aromatibus acuentur, aqua vitæ, cùm rectius aquæ mortis dicerentur, jejuno ventriculo, intemperanter hauſtæ, in Aſcitem præcipitant. Hæc fundi noſtri calamitas eſt, hinc illæ lachrymæ. Atque utriuſque ferè ſexûs delitiæ ſunt, & privatim apud mulieres, variâ arte certatim confici ſolent, ut cum Liſtero *Exercit. Med. de Hydrop. p.* 3. loquamur. Nimirum internas ventriculi fibras ſive villos, ſpiritus hi exedunt, ipſumque viſcus inflammant, unde chylus crudus & lentus conficitur. Hoc modo rem habere, oſtendit uſus ſpiritus vini Chirurgicus, quando ad luxuriantem in vulneribus carnem depaſcendam ab artificibus adhibetur. Sæpè ſanè attoniti ſtupuimus, quomodo in tantâ hi ſpiritus quantitate ingurgitentur, cùm illo tempore, quo ex libris Arabum apud Mutinenſes, modus eorum ex vino corrupto conficiendi, ad medicamenta ejus miniſterio paranda, innotuiſſet, vix ultra guttam biberetur. Non diu verò intra hos terminos hominum intemperantia ſeſe continuit, fo-

 mitem

mitem ſubminiſtrante avaritiâ. *Erat ſcilicet aliquando per totam Italiam copioſiſſimus vini proventus, ut Mutinenſium vinorum, quæ Venetis vendi ſolebant, cum debiliora cæteris eſſent, nec emptores invenirent, bona pars corrumperetur. Hinc Mutinenſes aquam vitæ ex iis deſtillabant, quibus vina, nondum corrupta, ſed quæ vendi non poterant, miſcuerant, atque ut majori copiâ conficerent, bis ſtillatam, non ſine lucro vendiderunt. Veneti, cum intelligerent, metallorum foſſores in Germaniâ potu tali indigere, qui vigorem & calorem corporis conſervaret, venalem illis potum mittentes, magnum inde quæſtum confecerunt. Mutinenſes poſteà majori copia, cum vino abundarent, aquam vitæ ſtillarunt, cum bonorum vinorum pretium ex eo creſcere viderent*, ut narrat Alexand. Taſſonus, *Penſieri diverſi,l.* 10.*c.*26. & ex eo Celeberr. Morhofius *in epiſt. ad Clar. Langelottum de Metall. tranſmutat. ſect.* 11. Dum vero paſſim in circulis & familiaribus colloquiis ingentes pateræ circumferuntur, quotuſquiſque eſt, qui cum Calliſthene reſpondeat: *Nolo bibere, ut Æſculapio indigeam?* Aquas paluſtres & ſtabiles Hippocrates de aer. aqu. & loc. itidem culpat. Nec minus etiam ſuum confert ſymbolum hoc, quod noſtri ſatis ſint incurioſi & negligentes circa excernenda & retinenda, atque non adeo raro fiat, ut excernenda è corpore diu ſatis retineantur, & retinenda in magna quantitate excernantur. D. Pauli & Helwich nuper habuerunt exemplum diſpoſitionis hæreditariæ ad Aſcitem in fœminâ, adeo nati paternorum malorum ſunt hæredes, atque ſic patrum in natos veniunt cum ſemine morbi! Præterea cum apud nos ſit tanta Medicaſtrorum multitudo, quanta Romæ muſcarum, cùm maximè calet, diſſimulare minimè poſſumus, nos in eâ eſſe opinione, quod per præpoſteram febrium, dyſenteriæ, diarrhææ, cœliacæ affectionis curam ab illis, qui, illotis manibus, ſacra Medicinæ tractant, non pauci in hydropem conjiciantur. Nam inde ſanè eſt, quod æquè frequenter apud nos & fœminæ & viri ſecus ac apud Anglos fit, teſte Sydenhamio in libro de hydrope, laborent, & nulla fere ætas ſit, quæ non huic malo obnoxia vivat. Illud tamen multiplici experientia confirmatum eſt, quod facilius in hunc affectum ruant, qui calidioris & ſiccioris ſunt conſtitutionis. Ipſe Medicorum Princeps Hippocrates in Coacis, non obſcure inſinuat, *biliòſis accidere hydropes*, id quod & Fernelius paſſim in conſiliis, & omnium diligentiſſime Guarinonius notavit.

In curatione primo ad continentem tumoris aſcitici cauſam, aquam in cavitate abdominis, p.n. contentam, reſpeximus, eamque evacuare ſumus conati, deinde in illo occupati fuimus, ut cauſam, ob quam aquea hæc colluvies in abdomine collecta eſt, & unde adhuc in cavum depluit, tolleremus. Et tantò diligentius enitendum eſt, ut aqua illa educatur, quia non tantum magnæ moleſtiæ ab illâ ægris inferuntur, vis medicamentorum infringitur, viſcerum tonus deſtruitur, ſed & quia jam corruptelam paſſa eſt, nec ulla apparet ratio, quâ iterum in vaſa reduci queat; accedit vero & hoc, quod ipſa natura nobis hâc in eductione præeat ſæpè in largam diarrhæam, umbilicum ruptum, veſiculas excitatas in pede, ſerum è corpore effundens, ac ægrum liberans. Quem

in

in finem in principio morbi, dum ægri adhuc eſſent ἰυσπλαγχνοι, paracentheſin aliquandò rarius tamen inſtituimus. Cenſemus autem abdomen eſſe aperiendum acu ſubtili, tereti, cannulam exilem ſubintranti, vel ſolâ cannula ex argento aut chalybe ad latera perforatâ, & acumen ex chalybe cannulæ ferruminatum habente, quibus pungitur abdomen & aqua educitur, quod inventum Thouvenotio debetur. Ad illam enim viſceribus læſis & viribus morbi diuturnitate attritis, inteſtiniſque corruptis, ſeſe accingere, propemodum eſt gladium jugolo admovere, nam & gangræna in parte eâ, in qua ſectio facta eſt, conſequi ſolet, notante Ballonio 2. *epidemic. p.* 203. & Thom. Fieno *Chirurg. tract.6.cap.*2. & licet hæc non ſequatur, paulò poſt tamen fere vitâ excedunt. Non neſcii ſumus, quod ſcarificationes, veſicatoria, ſetacea, ſcroti perforatio & uſtio, aliquando uſum præſtent, & ſcarificationem Collegæ noſtro D. Acolutho feliciter ceſſiſſe in molitore, probè recordamur; tutius tamen fere, ne gangræna aut ſphacelus excitetur, hæc omnia omittuntur. In morbo confirmato ob reſpirationis difficultatem, nulli etiam fuerimus Auctores, ut emetica, cum Sydenhamio Aſciticis ad educendam ſeroſam colluviem, promiſcuè propinet, quàm difficillimè enim vomunt, quia forte muſculi abdominis nimis tenſi, cooperari labori debite non poſſunt. Aliquando tamen vomitionibus magna aquæ quantitas effuſa eſt, & ægri convaluêre, ut ille apud Foreſt. *lib.*19.*obſ.*32. ac Liſterus à Magiſterio veneris, ſucco ebuli, & elaterio, vomitum notavit cum euphoria in ægris 6.7.8.9.10.13. 14. Tentari rectiùs ergò poterit eductio ſtagnantis aquæ per diuretica, reſolventia, aperientia, diaphoretica & diſcutientia. Equidem tenue ſatis eſt auxilium, quod poſteriora, tùm interna e. g. decoctum lignorum, tùm externa, ut balneum Laconicum, præſtant: Et facilè fieri poteſt, ut calidiora ejuſmodi medicamenta, majores viſcerum obſtructiones inducant, quod incommodum etiam Platero cognitum fuit. Interim, quia ipſos poros quodammodo aperiunt, locum aliquando invenerunt, præprimis minus calida, & ſine regimine data, niſi quis malit frictionibus eadem intentione uti. Experientia docuit, quod ex uſu diureticorum interdum abdomen detumuerit; ſic mulierem hydropicam per urinæ fluxum ſanari vidit Rondeletius *c.* 36. *Method. curand. morb. lib.* 2. Ex pulvere bufonum, ab uxore ſibi dato, maritus, magnam aquæ copiam per vias urinarias exoneravit, & liberatus eſt, teſte Sollenandr. *ſect.*5.*conſ.*15.§. 19. & Wiero *l.* 3. *de præſtigiis dæmon. c.* 35. Nos itaque ſine anxio examine, quomodo ex abdominis cavitate per veſicam exterminari poſſit, diuretica reliquis medicamentis interpolavimus. Ex his elegimus potiſſimùm lixivia ex ſalibus alkaliſatis vegetabilium, ac in hoc imitati Mynſicht & Welſchium ſumus. Tartari crudi efficaciam laudat D. *Oehmb.* Succus petroſelini itidem prodeſt. In ſalviâ agreſti, ſeu montana ſpecificam illam vim à Mayerne laudatam deprehendere minimè potuimus, eam tamen nihilominus cum aliis, linariâ, daucô, geniſtâ, bacc. juniper. cynosbat. *&c.* vino infudimus. Nitroſa omnium fermè ſunt optima, quod ſimul etiam ſitim ſedent; maximè in illâ hydropis ſpecie, quæ febrim conjunctam habet; nam tum calidiora illa grave

 affe-

afferunt damnum. Eſt etiam, ubi tuto millepedes, lumbricos terreſtres, & ipſas cantharides ſub debitâ circumſpectione, adhibeas. Ingenue confitetur Bartholinus *cent.*4. *epiſt.* 14. quod variis ſalibus, lixiviis, decoctis, aquis, pulveribus, hydropicorum aquas per vias urinæ aliquoties tentaverit educere, ſed non niſi ſemel in juvenculâ ſucceſſerit.

Summa præcipuè ſpes eſt in hydragogis, & certum eſt, quòd raro admodum ſine his hydropici reſtituantur. Inter initia lenibus, crebrius repetitis, quibus mercurium d., non ſine causâ, à Mayerne laudatum, admiſcuimus, agimus, deinde ad fortiora deſcendimus. Nobis ex his in uſu ſunt reſina gialap., G. Gotte ſ. de Peru ad gr. IIX. c. ol. deſtill. caryophyll. & mucilag. tragac. in form. pilul. D. Graſſius & Helwich ad 14. gr. hydropicæ dederunt ſine ullo ferè effectu. Nec elaterium tantum præſtat apud nos, quantum ei Liſterus ac alii tribuunt, perfrequenter illud adhibuimus nullo ferè cum fructu. Aliquantò eſt efficacius Euphorbium c. cortice frangulæ, extractis balſamicis in doſi moderatiſſima exhibitum. Iridis ſuccus, quo vulgus noſtrum utitur, fauces adurit. Luna hydragoga, in cujus laudem & Angelus Sala, & Illuſtris Boyle *de utilit. Philoſoph. experiment.* & Williſius, multa ſcribunt, non implet ſemper ſpem tantis elogiis de ſe concitatam. At vero minimè hæc draſtica conveniunt malè conſtitutis internis viſceribus, nam, cum præſentiſſimo damno exhibentur iis, qui vel phthiſi laborant, vel aliâ viſcerum labe, aut morbo propemodùm conſumpti ſunt. Hominibus tenuioris texturæ ac fœminis etiam, utplurimùm nocent. Et ſanè, ſi candidè verum fateri volumus, non poſſumus non ſubſcribere fere ex toto Clar. Volckammero Noſtro, qui *Decad. I. ann. 9. in Schol. p. 65.* hâc cenſurâ hydragoga perſtringit, quod ſint *tantæ violentiæ, quæ ſanum è ſtatu ſuo, in morbum, vel ipſam mortem deturbare valeant, & venenis potius quàm ſalutaribus pharmacis annumeranda ſint.* Eò fere magis miramur, quod draſtica ejuſmodi ſub nomine arcanorum, ab hominibus extra pomœria noſtræ artis conſtitutis, impunè & arroganter, ſub ſpe certiſſimi ac infallibilis ſucceſsûs, miſeris obtrudantur. Rariora robuſtioris naturæ exempla, quibus è voto ſucceſſit talis temeritas, confirmatos reddit hos empyricos & agyrtas, qui ægrotantium animas mercari didicerunt, ut optimè iterùm Volckammerus Noſter *loc. cit.* In eo vero tonſoriam ſtupiditatem, & anicularum fatuitatem ſuperant ſuffeni illi blaterones, quod curam omnem hydropis, ſolâ evacuatione, per ejuſmodi draſtica abſolvi contendant. O pecora æternùm à noſtris ſacris arcenda! an his vaſorum lacteorum lymphaticorumque rupturam conſolidabitis? an viſcerum obſtructiones, ſcirrhos, putrilaginem, purgantibus emendabitis? Unde fando audiviſtis, quòd catharticis ſeri extravaſationes avertantur, & lympha extra vaſa ſtagnans ad canales ſuos reducatur? An ergo viſcera aquæ immerſa, & ad ſoliditatem coriaceam ſemicocta, vel pure & tabo diffluentia, nihil niſi purgantia vehementiora, ut in ſtatum naturalem reducantur, requirunt? Tantus eſt horum hominum & ſtupor, & quæ hujus germana eſt, arrogantia, ac bruta temeritas, ut non monitis ſalubribus, quæ alto contemnunt ſupercilio, ad frugem

gem reduci poſſint, ſed mulctis, carceribus, à perdendis hominibus mature avocari mereantur. Infamia patrant latrocinia, quoties hi ſuis vehementiſſimis purgantibus, mulieres ex menſium ſuppreſſione, hydropicas, quas deobſtruentibus à ſarcina hâc liberare nobis mos eſt, tractant, quoties ab alio morbo, vix leviter, reſpirantes, ſuis ſecretis (nugis nugaciſſimis) torquent, cum iis cordati Medici digeſtivis & aperientibus ſubvenire poſſent.

Nos ergo ſcientes, quod ſublatâ etiam aquâ, non tamen Aſcites ſtatim curatus ſit, nam flebili experientia ſcimus, quod intra nycthemeron aut paucos dies, perpetuâ ſcaturigine ad cavitatem abdominis ſerum confluat, quod laborioſè intra multos inde evacuatum, hinc ad cauſam, ob quam ſerum collectum fuit, & propterea ſtomacho, cujus tonus omnino conſervandus, diebus à purgatione vacuis, ſuccurrimus; reliquis etiam viſceribus mederi conati ſumus aperientibus & appropriatis, ac vel inflammationi, vel ſcirrho viſcerum debitis remediis. Imò non raro ab alterantibus cachecticis ſubinde & martialibus curam auſpicati ſumus. Mercurialia his quoque ſociavimus, nec enim vanum eſt, quod alicubi tradit D. Michaël, quendam hydropicum mercurio d. & bezoard. martiali ſanatum eſſe. Interpoſuimus antiſcorbutica & antihypochondriaca, quæ ſubtili acrimoniâ viſcera extergunt, ac in uſu etiam nobis fuit Wedelii miſtura antihydropica. Tandem fecimus acceſſum ad purgantia, modo leniora, modò paulò fortiora. Diureticis uſi ſumus, cum urinæ eſſent aquoſiores, nam tùm prorsùs ſalia lixivioſa eximii usûs ſunt. Interpolavimus roborantia, & alia attenuantia, ac viſcoſitatem reſolventia, ex rad. ari, helen., bardan., petaſitid., irid. flor. herb. capill. vener., abſinth., cent. min., ac carminativ., diaphoretica ex rob. ebuli, ſambuc. ac bez. martial. itidem aliquando data. Externa & topica non neglecta fuêre. Nec tamen magnus eſt hydropicorum numerus, qui ſollicita noſtra curâ fuerunt à nobis liberati, & ſingulari Dei benignitati potius in his quoque, qui evasêre, auxilium & ſublevationem tribuimus, quam medicamentorum viribus, cum Valeriolâ *l.* 1. *obſ.* 2. narrânte, quomodo aſcitica uxor, congruis à ſe præſidiis, reſtituta. Quod nec Aretæum fugit *lib.* 2. *de cauſ. & ſign. diuturn. morbor.*, ita ſcribentem: *Ab hydrope perpauci liberantur, idque felicitate quâdam & DEorum potiùs, quàm artis auxilio*, manebitque in ævum omne inconcuſſum illud Hippocrat. *de intern. affect. t.* 27. *Morbus gravis eſt hydrops & pauci hunc effugiunt.* Et hoc Græci omnes fatentur, qui ipſorum candor non debuiſſet à Cardano *ad prognoſtic.* 1. *lib.* 2. *Hippocrat.* ſuggillari.

Sed quid de V. S. in hydrope ſentiendum? Eam prorſus rejicit Ægidius Euth. *in agon. de hydrope*, ſed frivolis prorſus ex rationibus, dum *p.* 116. ita argumentatur: *V. S. rejicio ἀφόβως, quoniam homo I. ad Corinth.* 3. *v.* 16. 17. *templum Dei eſt, ſpiritusque Dei habitat in eo: ſi quis autem templum Dei violaverit, diſperget illum Deus &c.* Eam contra neceſſariam exiſtimat Proſper Martianus *in Comment. de rat. vict. acutor. p.* 327. *Si ſpirandi adſit difficultas, tempus æſtivum ſit, ætas ægrotantis vigeat, & virium robur.* Et ut dubium, quod facile alicui circa difficultatem reſpirationis occurrere poterat, diluat,

diluat, ita pergit: *Spirandi difficultas in hydrope duplici de cauſâ contingere poteſt, vel propter copiam aquæ, ventrem inferiorem replentis, quæ diaphragma comprimendo, ejus liberum motum impediat, vel ob tumorem hypochondriorum eôdem modo ſeptum transverſum comprimentem. In primo caſu, nullo modo convenit V. S.; in altero autem ex mente ejus locum habet.* Doctiſſ. Sponius *in aphoriſmis novis p. m.* 367. docet, *quod in praxi occurrat ſpecies hydropis, quæ largo potu, ſero lactis, ſanguinis miſſione feliciter tollatur, contra vero ſolitis alias artibus exacerbetur.* Provocat & ad experientiam propriam, dum porrò ita loquitur: *Vidimus hydropem viginti curatum V. S., qui ab exhibitis hydragogis & diureticis cujusvis generis, magis ac magis intumuerat.* In numero horum, qui V. S. in hydrope commendant, eſt etiam Leonardus Botallus *in lib. de Curat. per ſangu. miſſion. cap.* 15. Nam ex ejus ſententia, primus ac præcipuus ſcopus, imminentis hydropis vitandi aut inchoantis, ſeu jam concepti curandi eſt penes ea auxilia, quæ inutilem ſanguinis multitudinem imminuunt; conf. *p.* 214. *& ſeqq. in operib.* & ante hos omnes in hac opinione fuit Hippocrates & Galenus, hujus hæc ſunt *in cap.* 5. adverſus Eraſiſtrat. *d. V. S. c.* 5. *ſæpè ſpasmum, hydropemque ſanguinis evacuatione ſum medicatus.* Aſt verò in noſtris locis, ubi hydrops ferè ſemper eſt ſoboles depauperati ſanguinis, diminuti caloris, corruptelæ viſcerum, ac ruptionis vaſorum lymphaticorum, V. S. cum ſummo periculo ægrotantium celebratur, ac apud illas fœminas, quæ ex ſuppreſſione menſium, aut viros, qui impedito fluxu hæmorrhoidum in aſcitem labuntur, non niſi inter initia cum ſucceſſu vena pertunditur.

Eodem menſe variolæ infantibus erant infeſtæ. Eas comitabantur aphthæ ac tuſſis pertinaciſſima. Adultos febres continuæ cum levi rigore, æſtu mitiori, dolore capitis & pleuræ, lumborum & artuum infeſtabant, ſub finem verò notante D. Graſſio in remittentes mutabantur, ac diarrhæis quaſi criticis, non tamen ſine omnibus torminibus, finiebantur. Fœminis ſolitò frequentius hæmorrhagiæ uteri erant moleſtæ. Longè autem communiſſima erant apoſtemata ac ulcera. Ac ſæpè ſanè quaſi manu palpavimus, quod in activioribus natura materiam p. n. è maſſa ſanguinea ad ignobiliores partes protruſerit, & excitato ibidem tumore, quem ἀπόςασιν Hippocrates paſſim vocat, id quod viſceribus noxam certò allaturum fuerat, cum corroſione partis, quam collectio ejusmodi occupat, è corpore proſcripſerit. Non tantùm autem hoc tempore calloſa, varicoſa, & ſinuoſa, ac cum carie oſſium conjuncta, aut quæ circa articulos erant, aut partes glanduloſas, membranoſas obſidebant, ulcera, Chirurgis crucem figebant, ſed & alia benigniora in iis etiam corporibus, quæ cacochymicis humoribus non adeo turgebant, aut ex cachexia languebant, difficulter curabantur. Nam & ſymptomata, ſingulis autumnis, plura eaque graviora, curam alio tempore facilem, plerumque reddunt difficiliorem.

At verò ordo requirit, ut tandem etiam ad Decembrem feſtinemus. In eo à nobis ſpectati in hypochondriacis ac minime raro in mulieribus hyſteri-

cis,

cis, tumores circa latus ſiniſtrum. Non paucos miſeros vidimus, in quibus ejusmodi tumores molles & fungoſi, ferè univerſam ſiniſtri abdominis partem obſidentes deprehendebantur. Fere autem ſub coſtis nothis incipiunt, & quando ſupini jacent ægri, lineam albam aut tranſcendunt, aut proximè attingunt, & vacuum ſpatium inter coſtas & ſpinam illi implent. Hic, ut errandi occaſionem vitaremus, ſoli viſui arbitrium non commiſimus, is enim imponit, ac inſpicientes in eam inducit ſententiam, quod peritonæum inter & integumenta tumoris ſedes ſit, ſed manum poſt inteſtina clyſteribus elota, jejuno ventriculo, admovimus. Tactu interprete non obſcure conſtabit, quod tumefactus lien ſupra meſenterium, inteſtina, ventriculi partem, ac in mulieribus ſupra uterum emineat, ut in illa puellâ apud Fortem *Cent.* 3. *c.* 47. Initio ferè adſunt citra notabilem actionum læſionem ac moleſtiam, & loco moveri poſſe videntur; deinde gravativo & obtuſo dolore ſunt moleſti, ac ſomnum in latere dextro prohibent, poſtea uberrima ſudoris profuſio ſub ſomno illos comitatur. Senſim hæc ingraveſcunt ſymptomata, & his jungitur crebra narium hæmorrhagia, in aliis etiam oris fœtor, in quibusdam ſuperveniunt pedum ulcera. Non citò verò evaneſcunt hi tumores, ſed ſatis diu durant, & nec clyſteribus carminativis, aliisque facilè diſſipantur. Urina modo eſt ſubtenuis, modò craſſa & ſubruffa. Ex hæmorrhoidum internarum fluxu detumeſcunt, & quidem ſalubriter, vomitibus cruentis etiam minuuntur, at verò utplurimùm illos funeſtus excipit eventus. Inter rariſſima ſanè exempla Thomæ Bartholini Frater referendus, cui non ſemel per vomitum largiſſimum cruenti ſeri lien magnus ſubſedit, teſte Thomâ *Cent.* 4. *epiſt. p. m.* 54. Alii largis evacuationibus ejusdem ſeri, & per alvum & urinam ſuccedentibus, convaleſcunt, quod de uxore ſuâ l. c. refert Bartholinus. Priſtinam incolumitatem, teſte Valetio, religioſus, lienis tumore preſſus, recuperavit, urinis nigricantibus, atramento ſimillimis, per 5 vel 6 dies erumpentibus. Icterus & quartana ſunt ἐκ τῶν ἐπιγινομένων. Ex his patet, quodnam ejusmodi tumorum ſubjectum ſit, lienne an inteſtina? Nimirum quia inteſtina tenuia & craſſa, ac ex his colon præcipuè, eâ parte, quâ ex ampliori cavitate arctiùs nonnihil conſtringitur, ſimulque angulari figurâ ad renem ſiniſtrum deflectit, in hypochondrio ſiniſtro deliteſcunt; in eam aliqui lapſi ſunt opinionem, quod ſcybala in colo, itemque mucilagines acidæ ſtagnantes, aut flatus coërciti hos tumores forment, cujus ſententiæ eſt Clariſſ. Ettmüllerus in diſp. *de dolore hypochondr.*, at verò omnes tumoris circumſtantiæ facilè perſuadent, quod in liene ejus ſedes ſit. Nam qui viſcidiorem ſanguinem eſſe, & craſſiorem ejusmodi hominum, qui tumoribus hisce corripiuntur, perpendit, qui oculos convertit ad ipſum lienem, ac ingentem cellularum, ſinuum, quin & venoſi ductûs amplitudinem, quæ arteriarum molem & capacitatem longè ſuperat, attentè conſiderat; qui exactè trutinat, quomodo ſanguis ab anguſtis arteriarum tubulis in cavitates illas impetu adactus in iis neceſſario aliquas moras agat; qui tandem non fugitive ſeriem fibrarum in tunicis lienis luſtrat, ac motum conſtrictorium & relaxatorium

Tumores Lienis.

 iſtius

iſtius viſceris cognitum habet; is certè ſine ullo negotio intelligit, quomodo latex ſanguineus lentus & ſpiſſeſcens cavernulas infarcire, illas diſtendere ac diſtorquere, nimiâ morâ fibras relaxare, affluenti novo locum præbere, ac ejus generis tumores formare poſſit. Immerge, ſi placet, aquæ lienem, ac videbis, quomodo ſecundum omnes dimenſiones, inſtar ſpongiæ, aquâ imbutæ, dilatetur, nec ampliùs erunt incredibiles illæ anatomicæ hiſtoriæ, quæ narrant, lienem conſuetam magnitudinem aliquando exceſſiſſe, ut decem & ſeptem librarum pondus æquaret. Patrocinantur huic ſententiæ etiam juvantia, quæ ſunt antiſcorbutica pleraque & reſolventia, e. g. rad. bryon., pimpinell., bardan., vincetoxic., dyptamn. alb., fibr. helleb. nigr., petaſitid., herb. agerat., cherefol., ſcolopendr., epithym., bugloſſ. eaque omnia, quæ vulgò ſplenetica audiunt. Theè antiſcorbuticum & ſpleneticum ac melancholicum à Borrich *de uſu plantar. indigenar. in Medic. p.*82. & 83. ordinata, egregium præſtant effectum, ſi ſatis diu in uſu perſtiteris. Quod etiam dicendum de gummi reſinis, ammoniaco, galbano, myrrha aliisque. His ſi ſuccenturientur, quæ diſtenſionem & flacciditatem fibrarum reſpiciunt, ex quô cenſu primaria ſunt ipſa martialia, & ſalia vol. urinoſa, tantò optatior eventus erit ſperandus. Inter externa, emplaſtrum de cicuta, magni facit Bartholinus, ejusque uſum continuatum ſuadet. Nos, inquit, quoque *in emplaſtro ſplenetico diſpenſator. Haffnienſ.* reliquis cicutam, nicotianam & ebulum adjecimus. Meretur quoque laudem ceratum d. g. ✱co Foreſt.

Hepatis tumores. Hepatis quoque tumores frequentiores ſunt, quàm vulgò à Practicis creditur, quod certè mirandum non eſt. Quam facilè enim obſtructionibus obnoxium fiat hepar, eſt vel ex eo colligere, quod ſanguis omnis, à tribus magnis arteriis, cœliacâ, meſentericâ ſuperiori & inferiori ad ventriculum, inteſtina, lienem, pancreas, & meſenterium protruſus, mediante venâ portæ, reducatur in hepar, & per iſtud transcoletur in venam cavam. Heic verò cogitandum, quomodo vel minimo negotio 1. quidem ipſa Hepatis ſubſtantia, frigore, rebus adſtringentibus, à compreſſione, contuſione, ligaturis *&c.* ita coarctari poſſit, ut ſanguis è finibus capillarium venæ portæ in ultimâ venæ cavæ capillamenta per ipſius hepatis acinos & glanduloſos poros filtrari nequeat. 2. Ipſe ſanguis tartareus, viſcidus ac pituitoſus, hoc glutine parietibus quibusdam adhæreſcere & ſtagnare poſſit. Ut jam non commemoremus, quomodo plenitudo hujus infarctûs cauſa eſſe queat. Cujus rei exemplum nuper in aliquo cœlibe victu aromatico & diætâ vinoſâ in magnatum conviviis, ſingulis fermè diebus uſo, omiſſis corporis exercitiis & omnibus ſanguinis depletionibus D. P. & H. viderunt, ac ortum ex hoc tumorem prægrandem manibus palparunt. Nec excidere nobis debet, quòd & bilioſi humoris culpâ, ſi is minus expeditè in pori biliarii oſcula pertranſeat, ejusmodi obſtructio hepâtis oriri poſſit. Quo in caſu color æruginoſus & quaſi ictericus faciem deformat. Enimverò obſtructiones hæ aliæque ſimiles non poſſunt non parere tumores hepatis. Interdum totum hepatis parenchyma, ut cum veteribus loquamur, ſpongiæ inſtar æqualiter

intumeſcit

intumeſcit, & hoc tumore affectum hepar in immenſam molem excreſcit, ferè autem ſemper conjunctum habet (præter reſpirationis difficultatem, ac oris ſiccitatem, coloris mutationem *&c.*) tumorem pedum, præprimis dextri, œdematoſum, nec ambigendum, quin inflatio illa hepatis ſit cauſa tumoris pedum. Nam, cum nuper ejusmodi tumor in paupere quodam, à balneatore proprio auſu, apertus eſſet, magnaque contentæ in eo materiæ putrilaginoſæ copia evacuata foret, tumor pedis dextri notabiliter remiſit, ſine ægri gaudio diuturno, quippe qui poſt breve tempus exſpiravit. Id quod ſemper fit, cùm tumores hi in abſceſſum deſinunt. Ex re & vero Raym. Joh. Fortis *cent.* 3. *conſ.* 58. agens de jecoris obſtructione & tumore, *affectus*, inquit, *gravis, nec ſanationis facilis, nec magnam ex ordinariâ methodo in ægros utilitatem redundaſſe novimus.* Succi depurati cichorei, eupatorii, capill. vener., agrimoniæ, cuſcutæ, ſonchi, abſinthii, aliquid præſtant, nec prorſus contemptui habenda decocta ex hepaticis parata, in meliorem etiam ſpem animos ægrorum & medentium erigunt martialia, at verò curam omnem non abſolvunt, quod nec expectandum à marrubio albo, quod mirifice extollit Foreſtus. Inter vana autem referendum hepar lupi, quod tanquam ſpecificum tonicum ad hepatis affectus commendari ſuevit.

Multis apud nos, præprimis viris hypochondriacis & debilitate ſtomachi laborantibus, ac fœminis menſium inordinatione fatigatis ac flatuoſis, illis in decreſcente ætate, poſt hauſtum vini largiorem, exceſſum in venereis, his autem poſt terrorem, cibos flatulentos, iram, refrigerationem, cor veluti concuſſum intremit & palpitat. In palpitatione hâc mucro cordis, tempore conſtrictionis (nam fallitur Valeſc. de Taranta, *in philon. p. m.* 339. ſignum hujus morbi ponens motum cordis dilatativum) attollitur verſus coſtas, easque ferit, & tantoperè quidem, ut minimè rarò ſonus concuſſionis iſtius ab adſtantibus percipi queat. Arteriæ quoque toto corpore pulſant, maximeque diſtenduntur, ac ex illis eæ potiſſimum, quæ ſupra jugulum ſunt. Si malum mitius ſit, vires non adeo proſternuntur, abeſt etiam animi deliquium, in graviori verò hæc cum aurium tinnitu conjunguntur. Recurrit ſæpè affectus ille & per paroxyſmos impetit. Non autem neceſſario omnes hi, ante ſenectutem, morte præveniuntur, imò toto die occurrunt, qui terminum 50 annorum a Galeno poſitum, excedunt, aut vel 60 vel 70 annum attingunt. Aliquando præcipiti ſyncope extinguuntur, nam palpitatio in eam frequenter mutatur. Sæpè πάλμὸν præcurrit ſenſus auræ cujusdam ex hypochondriis vel ventriculo ad cor aſcendentis, ructus, borborygmi, & alia flatuum indicia, ex quibus Horſtius *decad.* 5. *problem.* 3. infert, plerumque flatus in hoc malo reperiri; quod ſicuti negandum minimè eſt, ita etiam concedendum, quòd hujus mali cauſæ multæ aliæ eſſe poſſint. Nuper ſubitaneâ morte extinctus, hoc malo per biennium laborans, in cujus corpore poſt mortem ſecto, palpitationis cauſa nulla potuit reperiri, quam inuſitata cordis magnitudo. (x) Polypi quoque hujus depravati motus cordis authores

Palpitatio cordis.

(x) conf. Caſtig. noſtræ Græbner. p. 75.

authores eſſe ſolent, quamvis non ſemper, præſenti fibroſa quaſi textura neceſſario adſit palpitatio, ut memorabile oſtendit exemplum, quod habet D. Graſſius in *Ephem. Noſtr. Dec. III. an.* 5. *&* 6. *obſ.* 181. *p.* 423. Magnâ etiam veriſimilitudine gaudet Williſii ſententia, quæ vult, palpitationis cordis cauſam proximam ſubinde eſſe obſtructionem & infarctum vaſorum arterioſorum, arteriæ, inquam, pulmonalis & aortæ, quæ à ſegnitie & craſſitie ſanguinis *&c.* dependeat. Imò univerſaliter, quoties heterogeneum in corpore hæret, dum principium movens ad illud expellendum inſurgit, raro, qui tamen ſæpe irriti ſunt, conatus expellendi & proſcribendi alienum iſtud è corpore ſine palpitatione cordis animadvertitur, quod non ſolum in variis excreſcentiis abundantiori copia aquæ in pericardio, ſed & in motu calculi & lumbricorum, molarum *&c.* ad oculum patet. In paroxyſmo proſunt abſorbentia, e. g. pulvis abſorb. Wedel. ſpec. de hyacinth., cord. temperat., pulvis analept. Mindereri cum ♁. d. & cinnabari debitè mixta. Præſentiore ope ſe commendant volatilia tùm oleoſa, tùm ſpirituoſa, ac in ſanguineis & calidioribus etiam acida, e. g. ſpir. vitriol. volat., perlæ in aceto ſolutæ *&c.* Analepticis verò potiſſimum inſiſtendum. Externè camphorata, crocata *&c.* dorſo & pectori applicata officium faciunt. V. S. in plethoricis robuſtis vino ac diætâ aromatica abuſis, diutiùs durante paroxyſmo, locum habet. Augenius credit, quòd applicatione hirudinum ad venas hemorrhoidales magna ægris utilitas præſtetur. Si vires deſint, ex conſilio Hercul. Saxoniæ ad cucurbitulas veniendum. Extra paroxyſmum, carminativa, antihyſterica, ſplenetica, nephritica, anthelmintica, emmenagoga *&c.* juxta præſcriptum & leges artis danda ſunt, atque his remediis diutius immorari oportet, ut rectè ſuadet Epiphan. Ferdinand. *hiſtor.* 22. & in diætâ, oleracea, lacticinia, decubitus ſupinus *&c.* vitari debent. Reperias autem non paucas mulieres, quibus palpitationes, poſt cibum ſumptum, in toto corpore ſentiuntur, cujus generis una multarum prolium mater, jam vidua, curis aliisque malis confecta, D. Pauli & Helwich hodieque ſub manibus eſt. Ab Hippocrate vocantur ægri tales παλμώδεες δι' ὅλου, de quibus alibi ex profeſſo.

Febris catarrhalis. Phlegmatici & phlegmatico-melancholici inter 20 & 30 ætatis annum catarrho correpti, quotiescunque prioribus 5 diebus ex bronchiis rejectio non ritè procedebat, in febrim incidebant catarrhalem, ſeu continuam periodicam quotidianam veterum, quam Fernelius, ſub titulo *lentæ febris* deſcribere videtur. Typus ejus ſequens erat: Poſt quartam pomeridianam, horrore & frigore levi tentantur fermè per horam unam, ſuccedit calor non quidem vehemens & intenſus, ſed tantum acris, & aliquo modo mordax, & fermè per noctem durat. Lingua non eſt aſpera, ſed albo & lento humore imbuta, non urget magnoperè ſitis. Pulſus eſt frequens, non adeò magnus. Urinæ excernuntur ſatis tinctæ, ac colorem Aurantiorum æmulantur, & hoc peculiare habent, quod poſt brevem moram parietibus vitri inducant cutem ex albo rubentem. Laſſitudo artuum gravis eſt. Torquet & anorexia ac agrypnia cum cephalalgiâ gravativâ, aurium ſuſurro, ut & tuſſi, quæ tamen nec patientes, nec Medicum terrere debent.

Ali-

Aliquid monſtri alunt pleuritides & deliria, periculum autem maximum denunciant anginæ & aphthæ, ſi quando, quod fieri ſolet, cum febri hâc complicantur. Inter initia ſudor rarior, frequentiores ſunt dejectiones alvi, quæ ſub initium febris impetum minuunt, ſub ſtatum verò, ſi non directe proſunt, periculo tamen vacant, nec tamen laxantia multùm proſunt. Exantlato paroxyſmo, bene ſunt ægri diſpoſiti, niſi quod langueant. Atque hæc fabula ferè per 14 dies agitur. (*y*) Metuere majus malum Medicus debet, ſi febris illa ſingulis diebus non redeat. Doctiſſ. Ettmüllerus *p.* 240. *in febri catarrhali epidemicâ Lipſienſi* teſtis eſt, 1. utiliſſimam fuiſſe mixturam ex aqu. ſambuc., cardui bened., ſpir. c. c., ſal. vol. ſuccin., & ſyrup. fl. papav. rhæad., & hanc unâ alterave vice repetitam profligaſſe febrim catarrhalem epidemicam. 2. Profuiſſe & pulverem ex ſuccin. ppt., ſpecific. cephalico, bezoard. ſolar. & duobus granis laudani opiati. Noſtræ expectationi, votisque ægrorum magis ſatisfecere medicamenta, quæ pollent facultate reſolvendi mucum & ſalia diuretica commodo tempore exhibita. Experientia etiam nos docuit, quod tumentibus circa 12 & 14 diem, tonſillis, per alexipharmaca æſtus intendatur, ac pulveribus nitroſis & cinnabarinis cura felicius expediatur. Quamvis verò ad ſudores ægros non compulerimus, non tamen ex re viſum, eosdem impedire. Non fuimus adeò rigoroſi in diætâ, ut hauſtulum vini poſt paroxyſmum negaremus.

Cæterùm aliæ febres e. g. continuæ periodicæ, ex parte malignæ, per obauditionem & parotides, & tumores glandularum colli, circa laryngem, exulceratos judicabantur, notante D. Preuſſio.

Nephriticas paſſiones, ſtrangurias, dyſurias & urinæ ſuppreſſiones D. Graſſius cum aliis Collegis tractavit. Dùm verò hic nephriticas paſſiones nominavimus, non loquimur cum vulgo, quod, teſte Galeno, cùm quis urinam cum difficultate reddit, vel etiam omninò reddere non poteſt, quando lumbos dolet, & mejit arenoſa, nephriticum dicit, (*z*) nec cum Doctiſſ. Caſpar. Hoffmanno 3. *inſtitut. cap.* 23. per nephritidem renum imbecillitatem intelligimus, ſed inflammationem renum, quam non ſolum dolor & ardor ſatis vehemens comitatur, ſed & juxta Authorem definitionum medicarum dyſuria, fibroſæ excretiones arenoſæ cum ſanguine aliquo. Quod ultimum tamen, neſcio, annon magis exulcerationem quandam renum aut veſicæ indigitet, juxta *aphoriſm.* 75. *ſect.* 4. *Si quis ſanguinem aut pus mingat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.* Vidimus quidem interdum ſanguinem & pus urinæ ita mixta, ut nec ſanguis, nec pus, progreſſu temporis à ſe invicem ſepararentur, ſed tantùm urina, aut purulenta aut ſanguinolenta appareret, & rurſus in aliis mictu cruento laborantibus, animadvertimus, quòd licet ſanguis aut pus, cùm urinâ ſimul exeat, non longè à mictione in parte inferiori matulæ ſanguis purus, aut etiam merum pus conſpiciatur, in ſuperiori autem parte urina proprio colore cernatur; nihilominus utrum-

Paſſiones Nephriticæ.

(*y*) conf. Caſtig. Græbner. noſtræ p. 76. (*z*) ibid. p. 77.

utrumque hoc urinæ genus, ſolutionem continui, aut in renibus, aut veſicâ notat indubiè. Quicquid ſit, in progreſſu mali omnino nephritici ſanguinem mingunt. Fibroſæ autem illæ excretiones ſunt parvæ carunculæ velut pili, ſeu corpuſcula quæcunque, quæ carnis propriè dictæ aut membranarum portiunculas æmulantur, aut rectiùs fibræ ſanguinis tenuiſſimæ, quæ longitudine ſuâ pilos repræſentant. Illi autem, qui nephritide tùm temporis vexabantur, ferè erant ſanguinei, & ut antea hæmorrhagiis aſſueti, ita ad hæmorrhoidales excretiones molimina ſentiebant. Inflammationem vero hanc renum & mictum ſanguinis ordinario lithogeneſis ſequitur. Dùm verò Anatomicæ inſpectiones oſtendunt, quod calculoſorum renes ulceribus diffluant, hinc inde cuniculis excaventur, valdè probabile fit, quod rupto vaſe aliquo ſanguifero ac fluente urina acri, ulcuſculum excitetur, ac ſaniei ſpiſſior portio ſenſim in coagulum concreſcat, quod pedetentim, vel ſponte abruptum, vel ſpasmo renis tonico detruſum calculum exhibeat. Tantò autem magis hæc ſunt veriſimilia, quòd in renibus exulceratis talis tophacea & calculoſa materia ſæpè reperiatur, & poſt aliquot calculorum partus mucidum ac glutinoſum magma, quod ab exulceratis renibus originem habet, cum urina emittatur. Tormenta illa calculoſorum ſatis nota, quæ tamen ludus & jocus quaſi ſunt, ſi abſit urinæ ſuppreſſio, at hæc præſens, diros illos cruciatus vehementer adauget. Contingere autem videtur hæc urinæ ſuppreſſio.

1. Quando glutinoſa & tophacea illa materia in utriusque renis pelvi hærens, ita obſtruit orificium ureteris, ut delabi in illum nulla urina poſſit, & tùm adeſt dolor fixus & gravans circa regionem renum, difficilis ſpinæ flexio, dolor cum vomitu.

2. Decumbente calculo in ureteres, ac glutinoſa ejuſmodi materiâ iis inhærente, urina iterum ad veſicam deſcendere nequit, ac tùm acuto dolore, inquietudine, anxietate, delirio *&c.* non rarò infeſtantur. Stupent etiam crura propter muſculi pſoas compreſſionem.

3. Calculo veſicæ orificio ſeſe inſinuante, ac tùm adeſt in pectine tenſio, gravitas, tumor & dolor, .

Non ignoramus, quod etiam aliunde, nempe à vermibus, grumis ſanguinis, diuturnâ urinæ retentione, ac nimiâ hinc factâ veſicæ diſtenſione, excreſcentiis variis, tumoribus, paralyſi *&c.* urinæ ſuppreſſiones inducantur, ſed hæc à præſenti negotio aliena ſunt. Niſi quòd

4. Verbo monendum ſit, fieri, ut calculo in urethrâ hærente, urina ſupprimatur, in quibus duobus ultimis caſibus catheter officium optime facit. Non dubitandum tamen eſt, quin ſæpiſſimè ſpasmodicæ viarum urinariarum contractiones, fluxui urinæ remoram injiciant. In diris illis calculi cruciatibus libertatem alvi clyſteribus, ex conſuetis vegetabilibus, præprimis autem herbâ veronicâ paratis, procuravimus. Iis, qui enemata averſantur D. H. etiam minorativum, ſecutus Septalium, aliquoties non ſine optimo ſucceſſu dedit. Spasmodicis doloribus occurrimus temperantibus, & ardorem urinæ tùm mucilaginoſis emulſivis, tùm abſorbentibus & nitroſis, lenivimus. In multo

apud

apud nos eſt uſu decoctum Foreſti, de quo Celeberr. Collega Noſter Pechlinus *in Obſerv. Phyſico-Medic. l.* 1. *p.* 37. ſcribit, quòd omnibus numeris abſolutum ſit, quòd nihil convenientius huic morbo excogitari poſſit, ſibi in plurimis uſus ejus feliciſſime ceſſerit, & ut juniores Practici, qui vanè arcanis inhiant, quantum huic tribuere debeant, ritè perſpiciant, non poſſumus, quin verba doctiſſimi Viri, quibus docet, quod omnibus indicationibus ex æquo ſatisfaciat, hûc tranſcribamus, ſunt verò hæc ſequentia: *Reperies ibi primò aquam, cæteræ virtutis vehiculum, quæ etiam mucoſum pelvis involucrum diluvio ſolvat, materiamque præbeat ſeri. Reperies mucilaginoſa malvæ, altheæque dulce caricarum, ſebeſten, & glyzyrrhyzæ delinimentum, hordeum, denique & ciceres, quæ cum nitroſa conſtent & abſtergente facultate, ſecretionem ſeri adjuvant. Quibus ſi deinde juſcula adjungas vitulina, acido citri, oleo amygd. d., mannâ tabulatâ & ſyrupo de althæâ Fernel., parte etiam vini Moſellani delibuta, jam haberi puto, quod omnibus Chymicorum arcanis, ipſi imprimis Aroph & Samech Paracelſi faſtum facere poſſit.* Hæc ille. Pulverem famigeratiſſimi Noſtri quondam Præſidis Volckammeri quidam noſtrûm cum ſucceſſu dederunt, ob inſignem, demulcendi ſpaſmos, virtutem. In graviori malo etiam anodyna, ſed non niſi alvo liberâ dedimus, & quidem in doſi refractâ. Spiritus nephritici ardentes, balſama, ſulphura, therebinthinata, parcius à nobis adhibentur. Calculus formatus duo alia videtur indicare

1. quidem comminutionem,

2. comminuti aut integri etiam promotionem & excluſionem ex corpore. Magna eſt de lithontripticis declamatio in ſcholis, at verò magnæ illæ pollicitationes ferè in fumum abeunt, cùm ad praxin venitur. Specificum illud Bernitzii, lap. 69, ſem. dauci, ſanguis hirci, pulv. milleped., ſpirit. perſicariæ eſſentificat., cantharidum, poſt curioſam experientiam, diu elogiis illis exciderunt, nec cochlearum aceto deſtillato tritarum & maceratarum ſpiritus, diu famam ſuſtinuit. Idem dicendum de lapide Judaico, lyncis, gryllis, veſica leporis *&c.* & quis dabit vel unicum, quod non expectantium vota frequentiſſimè eluſerit. Cardanus *in lib. de variet. rer.* refert, ſuâ ætate virum per Longobardos oberraſſe, qui paucis diebus, quodam poculo paſſim ſecurè, certò citoque ſanaret, quotquot calculum in veſisâ (quod magis mirandum) habebant, aitque Cardanus, ſe non dubitare, hunc virum in inferis eſſe, quod moriens artem ſuam mortalibus inviderit. And. Libavius *in Syntagm. arcan. chymic. lib.* 2. *c.* 29. *Sunt*, inquit, *Autores, qui lapidem veſicæ in mucum, reſolvi poſſe ſcribant, idque teſtentur ſe feliciter procuraſſe non vanâ perſuaſione, ſed opere ipſo, id quod non legimus audivimusque tantum ab aliis narratum, ſed & nos Dei benignitate aſſecuti ſumus.* Hæc ille. O! quàm vellemus miſerti eſſent eorum, quos ſine ſenſu intimi doloris intueri nemo poteſt. At non majorem his aliisque tribuimus fidem, quàm lithontriptico D. Brocardi, de quo in Zodiaco Gallico plura legi poterunt. Aut tonſorio illi, ſc. ſanguini vulpis calido veſicæ injecto, *in Itinerario* Dn. Monconyſii *p.* 20.

Hoc

Hoc tamen verum, quod ex uſu virgæ aureæ Geſneri, (quam Arnoldus Villanovanus, Joh. Prævotius aliique laudant, & in uſu multiplici eſt D. Jæniſchio,) & hederæ terreſtris levamen percipiant, & in majori quantitate ſedimentum limoſum in urinâ conſpiciatur. Eâdem facultate gaudet liquor nephriticus D. Graſſii. Quantum ad alterum, nulli fuerimus Auctores, ut pellentia ægris, e. g. petroſelin. fraga, bacc. alkekeng. juniper., balſam. ſulph. terebinthin. ol. deſtill. ſuccin. *&c.* in paroxyſmo dentur. Nam cùm pelli calculus ſine ſpasmodicâ conſtrictione renis & ureterum nequeat, hæc autem ſpasmodica conſtrictio dolores acutiſſimos ac inflammatorios augeat, omninò tutiùs iisdem abſtinemus. Inter remedia prophylactica, quæ prolixè recenſet Gualter. Charleton *in Diatrib. de cauſ. ſign.*, *& ſanatione lithiaſeos ſect.* 2. *c.* 3. *à pag.* 147. ubi non pauca tanquam antigorgonica credulè nimis extollit, nullum eſt, quod miſſionibus ſanguinis vernalibus & autumnalibus, aut conſervato vel revocato fluxu hæmorrhoidum, jure merito, præferri poſſit aut debeat.

Podagra. Nec minus podagrici dolores illo tempore ſatis erant communes. Ejus hiſtoriam Georg. Bagliv. *de praxi Medicâ ad priſcam obſerv. ration.*, *revocanda l.* 2. *cap.* 6. *p.* 183. doctè tradit, aphoriſmis quibusdam comprehenſam, hanc ab ipſo mutuabimur, & noſtris obſervationibus augebimus. *Podagra*, inquit, *doloroſus articulorum morbus, illos præ cæteris invadit ſenes, qui, poſtquàm meliores vitæ annos mollius, ac delicatius transegerunt, otio, crapulis, veneri, vino aliisque ſpirituoſis liquoribus, uberius indulſerint, ingraveſcente jam ætate ab exercitiis deſueſcunt, & vitam omninò otioſam degunt.* Hæc ille. Certum eſt, podagram eſſe doloroſum morbum, ſed, cùm varia dolorum genera ſint, minimè fuerat tacendum, dolores podagricos eſſe ſpasmodicos, qui non quidem totum tendinem, aut membranaceas vel ligamentoſas partes totas, ſed fibras quasdam, modò has, modò illas, occupant, cum ſenſu tractionis, vellicationis, vibrationis, pulſationis, *&c.* Neque negari poteſt, quòd pelliculæ, oſſa articulorum pedis propriè dicti cum tibiâ *&c.* cingentes, tortorem hunc frequenter patiantur, & verò ipſa experientia toties totiesque docuit nos, quòd minimè raro velamentum oſſium tibiæ, fibulæ etiam in intermediis partibus extra articulationem, furibundum percipiant cruciatum, qui æque meretur nomen podagræ, ac alter ille, in articulationibus, membranulam delicatiſſimi ſenſûs afficiens. Cauſam verò receptæ communiter ſententiæ, quod in ſolis articulationibus, ſedes hujus mali quærenda ſit, putamus eſſe obviam in podagricis doloribus, motûs difficultatem, quam non niſi ab affectâ membranulâ, articulos accingente, male deduxerunt. Nam, quod alii dicunt, articulos ideò affectui huic magis expoſitos, quia propter motum continuum humores, quos Tartareos ipſis vocare lubet, per loca conſueta exitum non invenientes, in cavitatem ſuam, aut ex debilitate nativâ, aut acquiſita recipiant, id non ſatisfaciet conſideranti, partes per motum non reddi aptas ad recipiendum, ſed potiùs expellendum humores, unde vel vulgò notum, collectos aut ſtagnantes in partibus

bus per quietem humores, per motum ſolere diſcuti. Deinde miramur Baglivium, præcipuæ circumſtantiæ in deſcriptione ſenum (quamvis apud nos ferè ordinario homines ætatis conſiſtentis podagricos inſultus patiantur) eſſe oblitum, nempe illos fuiſſe in juventute hæmorrhagiis obnoxios, aut evacuationibus artificialibus ſanguinis aſſuetos, & illas ſuppreſſas, has autem neglectas ab iis eſſe. Quod verò res ita ſeſe habeat, ſatis experientia quotidiana confirmat. Præfatus aliqua de juvenibus, interdum in podagram labentibus, revertitur ad ſenes, ac notat, *quòd habeant crana grandiuſcula, habitum corporis utplurimùm pleniorem, humidum & laxum, ſalacem & robuſtam corporis conſtitutionem.* Nobis utique etiam attenta obſervatio fecit manifeſtum, quod podagrici ſint habitus carnoſi, venis exiguis præditi & inter initia floridiori colore ſpectabiles; ſed quòd humidi & laxi temperamenti, i. e. uno verbo, phlegmatici ſint, nobis non æque conſtat. *Circa æquinoctia & ſolſtitia generalem paroxyſmum ordinario renovat. Errata in victu, animi pathemata & cauſæ vehementes latentem paroxyſmum excitant, qui, ſicuti derepentè fit, & absque præviis ſignis, illum manifeſtantibus, ita brevi deſinit, & præſertim cauſis prædictis omnino ſublatis.* Verbo, quæcunque commotionem in maſſa ſanguineâ excitant, eadem ad paroxyſmos podagricos renovandos ſunt aptiſſima. *Aliquot ante paroxyſmum generalem, ſeptimanis aut diebus, ſenſim corripitur æger apepſiâ, ventriculi cruditate, gravitate corporis, & intumeſcentia ejusdem quaſi ventosâ, quæ omnia quotidiè ſenſimque augentur, donec tandem erumpat paroxyſmus.* Imo longè ante paroxyſmum ſentiuntur tenſivi dolores inter ſcapulas, circa nucham & ſpinam dorſi, circa lumbos, os ſacrum, coxas, donec ſenſim tandem in partibus inferioribus ſedem figant. Paroxyſmus autem ita procedere ſolet: Paucis diebus, ante illius inſultum, torpor quidam & veluti flatuum deſcenſus, per femorum carnes cum affectione quaſi ſpasmodicâ præcedunt. Imò nonnunquam etiam pectoris anguſtia, & aſthma humidum. Pridiè paroxyſmum appetitus voracior eſt, ſed præternaturaliter, licet ſanus lecto ſe commiſerit patiens, circa mediam tamen noctem excitatur à dolore, pollicem pedis utplurimùm, quandoque vero calcaneum, ſuram, aut talum occupante, paulò poſt rigor, horror, & aliqualis veluti febricitatio, ſuperveniunt, quæ omnia ſenſim remittunt, dolor vero gradatim creſcit, donec ad ſummam vehementiam, circa ſolis exortum pervenerit, & oſſicula tarſi ac metatarſi variè occupaverit, cum ſenſu veluti canis rodentis, aliquando preſſuræ, & coarctationis, quandoque verò veluti dilacerationis ligamentorum. Dolor ille, quem patiens primo expergefactus ſentit, refert eum, qui talium oſſium luxationem ſequitur, cum ſenſu quaſi aquæ frigidæ, dolenti loco affuſæ. Hæc Baglivius ex Sydenhamii *Tract. de podagr. p. m.* 547. *& ſeq.* qui, cùm ſit in omnium manibus, pro lubitu conſuli poterit, utpote qui graphicè, tanquam exercitatus, in podagricorum caſtris, miles, ejus phænomena deſcribit. Circa ſecundam & tertiam matutinam podagrici obdormiunt, at verò ſomnus frequentibus pavoribus eſt irrequietus. Cum dolore conjungitur motus voluntarii læſio. Nam ſæpè inſtar

trunci ſunt immobiles. Comitatur podagram etiam rubor & tumor, quamvis aliquando reperias podagricos, in quibus nullum tumoris veſtigium cernitur, & hi atrocioribus dolorum facibus uruntur. Sitis, præcordiorum anxietas, jectigatio, ciborum nauſea, flatulentiæ, dolores lumbares, ſunt quaſi ordinaria podagricorum ſymptomata. His aliisque malis ſæpè per aliquot ſeptimanas miſeri torquentur. Quando autem dolores decreſcunt, in oculos incipit incurrere ſpasmodica muſculorum compreſſio & ſtrictura, ac ſicuti antea de dolore, ita modo de tenſione, ſtupore & rigore conqueruntur. Urina podagricorum, prioribus ſeptimanis, rubicundior eſt, & ſedimentum rubrum ac veluti arenoſum deponit. Tumor, qui circa finem erumpit, ac tardius diſcutitur, ſpem facit, fore, ut ægri per longius intervallum, à cruciatibus podagricis vivant immunes. Neque tamen hinc ſtatim erit inferendum, *criticè materiam tumoris, per glandulas mucilaginoſas muſculorum copiosè fuiſſe ſeparatam & inter interſtitia delatam, & non poſſe non diſtendere & elevare partes illas, quibus incumbit*, quæ ſententia eſt Clar. Haveri *in Oſteolog. nov. p.* 278. Nam longè probabilior hujus tumoris cauſa alibi à nobis allegabitur. Neque nobis placent, quæ de tumore in arthritide diſſerit Wilhelm. ten Rhyne *in diſſert. de arthritide à p.* 59. A quibus non abeunt ea, quæ occurrunt in libello, qui inſcribitur: *Das genau unterſuchte und auſergrundene* Podagra. Reliqua, & præſertim irregularis podagræ, ſymptomata proſequi, jam non vacat, illud tamen ſicco pede præterire non placet, quòd obſervante D. H., in pedibus podagricorum propter ſpasmodicam cutis ſtricturam, vel prorsùs non ſentiatur ſudor, vel cutis flaccida quidem madeat, muſculi verò ſubſtrati nihilominus ſpasmo ſunt conſtricti.

Dùm ad curam convertimur, propemodum cum Podagrico apud Lucianum *in Trago-podagr. p. m.* 807. *Tom.* 2. exclamamus; *Incomprehenſum ô! mentibus mortalium malum irritis Te, ut mitigamus fotibus omnes.* Sanè veriſſima ſunt, quæ ipſa de ſe podagra jactat *in eodem dialogo p.* 813. *quòd ſit inſuperabilis Regina morborum, quam nec ipſe Bæon, omnium cæleſtium Medicus, Deorum vincere pharmacis poteſt, nec Phœbi doctus filius Æſculapius. Equidem ex quo mortalium fuit genus, omnes ejus vires retundere geſtiunt, omnemque turbant pharmacorum induſtriam, ſed vere podagra illos omnes jubet plorare, atque ſic tentantibus ſe occurrere iracundior ſolet, ſed in ſe excogitantibus nihil mitem ac benignam præſtat ſe*; Nam in tanta, neſcio quæ arcana jactantium turba nunquam deſunt, qui iterum cum podagra apud Lucianum abſoluto dolorum exercitio, baculi opem implorant:

O! qui labori, bacule, fers opem meo
Sortite partem tertii pedis, gradum
Fulci, trementem dirige, & nobis iter
Leviaque, ut innitar ſolo, veſtigia.

In

In paroxyſmo exhibuimus horis matutinis lenia diapnoica, eaque cum nervinis debitè miſcuimus. Continuo ſudorem non urſimus, eò, quòd nimis exhauriatur ſerum, & in juniperibus facilè viſcerum nobiliorum inflammationes, ex abuſu ſudoriferorum, conſequantur. Pomeridiano tempore, aperientibus inſtitimus, ac ſub noctem pulveres nitroſos ac cinnabarinos exhibuimus, ſubinde etiam gratis emulſionibus atque temperantibus aliis uſi. Sæpè fit in hâc morum labe, ut podagrici Venereis miaſmatibus ſimul ſint inquinati, & tùm antiarthriticis, ſanguinem purificantia etiam mercurialia, rectè admiſcentur. Si verò diatheſi ſcorbuticâ laborent, aut ex cachexiâ tabeſcant, quod itidem ſubinde contingit, antiſcorbutica & anticachectica rectè iis præſcribuntur; Tartarea pro ſcopo diuretico, non prorſus ſunt inefficacia. Et apud nos quidem arcanum tartari D. Sennert., toto die adhibetur. Anodyna, non more Sydenhamiano, quem eâ de causâ ſugillat Liſterus, ſed poſt V.S. corpuſque repurgatum, alvo non obſtructâ, nec omiſſis humectantibus, in doſi non magnâ, cum aliis, ſub noctem, imperavimus. Pilulæ Wildeg. à noſtris hic etiam, citra Medici præſcriptum, uſurpantur. Opiata niſi his cautelis adhibeantur, facilè tumores œdematoſos, nodos ac tophos, vertiginem, paralyſin *&c.* inducunt.

Rarius Podagricis noſtris Emetica, niſi forte ab inconvenienti diætâ paroxyſmum irritarunt, præſcribuntur. Scimus magnis ſumptibus ad nos advectum arcanum Heinſii, ſed ſopitos hoc ipſo dolores, poſt breve tempus, cum majori acerbitate recruduiſſe. Arcanum Cnophelii, ſive, niſi nos omnia fallunt, phlegma vitrioli, pridem omni laude caruit; quamvis ſubacida ſanguineis non fruſtrà dentur.

Periclitati ſumus etiam varia externa. Ab externo balſam. ſulphur. ſuccinat. uſu, non vidimus illa, quæ refert Sylvius *l.* 1. *prax. c.* 30. Neque apud nos emplaſtro illo, quod in Actis Hafnienſibus *Volumin.* 3. *obſ.* 9. *p.*14. *& ſeqq.* deſcribitur, ita ægros noſtros reſtituere potuimus, ut altero ſtatim die choreas ducere poſſent, imò dolorum incrementa ab ejus uſu obſervavimus. Sub quibuscunque nominibus proſtent topica illa venalia, apud nos fidem decoxerunt, neque nos movent ſplendida illa epitheta, dum divina, miraculoſa *&c.* à vanis gerronibus illis vocantur. Omnia pinguia & oleoſa meritò nobis ſemper fuère ſuſpecta. Ex his aliiſque ut & conglutinantibus applicatis, facilè nodi in ſanguineo-cholericis excitantur. Quod etiam dicendum de uſu emplaſtr. de ſpermate ranarum, quo egeni promiſcuè utuntur. Ex uſu repellentium non tantum tormina, cardialgiam, ſed & vomitus obſervavimus. Inter omnia emplaſtra hic palmam reportat illud, quod deſcribit Barbette *l.* 1. *c.* 4. *p. m.* 42. illud ſine dubio à Digbæo mutuatus. Camphorata verò ritè adhibita omnibus præferri merentur. Et hæc de morbis, qui in Decembri ſunt graſſati, dicta ſunto.

Nihil amplius reſtat, quàm, ut aliquid de temperamento Vratislavienſium, aut Sileſiorum in genere, addamus, & modum vivendi in Sileſiâ receptum, breviter perſtringamus.

Sileſiorum temperamentum inter ſanguineum & melancholicum ambigere, ſcripſit Curæus. (*a*) Nam id exploratum eſt, non adeò frequentes eſſe, qui ſint exquiſitè ſanguinei vel melancholici, multò minus in majori copiâ deprehendas, quos verè liceat appellare cholericos & phlegmaticos. Planè verò nullos eſſe Sileſios in cenſu vel ſanguineorum vel cholericorum, vel phlegmaticorum vel melancholicorum, nec nos profitemur, nec affirmat Curæus. Ne verò temerarium alicui videatur vel noſtrum vel Curæi aſſertum, accuratiora temperamentorum criteria hic paucis commemorare fas ſit. Petuntur illa, partim ab ipſo ſanguine, partim vaſorum, per quæ ſanguis ad partes corporis muſculoſas derivatur, capacitate, partim amplitudine interſtitiorum inter fibras, (nam etſi fibrillæ immediatè ſint junctæ, non tamen continuæ ſed contiguæ ſunt, ut pulchrè annotavit Ingenioſiſſimus Philoſophus & Medicus Nicolaus Steno *in Specimine Myologiæ p. m.* 12. *&* 13. & ſic ſatis apta hæc connexio earum ad transmiſſionem humoris ejusdemque concuſſionem; quæ opinio illa à Clar. Blancardo propalatâ in tract. de Circulat. ſangu. per tubulos, cujus fundamentum eſt, fibras eſſe tubulos cavos, quales ſunt fiſtulæ arundineæ, multò nobis eſt veriſimilior) ac denique ex aſpectu externi habitus corporis. Scil. ſanguineus appellatur 1. cui ſanguis moderatè fluidus, 2. pori laxi ac partes diſtentæ, 3. vaſa ſanguifera teneriora & anguſtiora, ut Cl. Mœbium hic humani aliquid paſſum eſſe videas, qui *in epitome Inſtitution. p. m.* 284. latas venas inter ſigna temperamenti ſanguinei refert, 4. Corporis habitus turgidulus.

In Cholericis verò cernimus ſanguinem 1. itidem floridum, 2. vaſa capaciora, 3. poros ſtrictiores, 4. cum corpore gracili & macilento. Mœbius iis faciem cum virore pallidam tribuit, quamvis color non ingratus eos ſæpè commendet. Cum quibus quantum ad vaſa & poros melancholici conveniunt; niſi quod hi ſpiſſioribus ac cholerici gaudeant fibris, & pori eorum ſint arctiores adhuc, ſed ſanguis ipſorum ſpiſſior & craſſior eſt, & corpus macilentum, ſtrigoſum & aridum, facies pallida & ſubfuſca.

Phlegmaticorum verò 1. ſanguis vappidus & mucidus eſt, lentorem & viſciditatem obtinet, 2. vaſa exilia exiſtunt, & 3. anguſti pori, turgentibus fibris, quæ videntur in his eſſe cylindruli ſimiles virgultis arborum plenis ſubſtantiâ ſeu medullâ quadam, aut funi madefacto, quibus rebus fibras, poſt elixationem, in genere comparat Celeb. Joh. Alphonſ. Borellus, 4. Corpus album, molle, glabrum.

Ipſa verò experientia loquitur, Sileſios rectè numerari inter ſanguineo-melancholicos, hoc temperamento, ut in juventute ad illos, in ſenectute verò ad hos propiùs accedant, non negato, quod aliqui, qui cum his in comparationem venire non poſſunt, alterius ſint temperamenti, ſed verò juxta Prudentii illud:

in paucis jam deficiente caterva
Nec perſona ſita eſt Patriæ, nec curia conſtat.

Jucun-

(*a*) conf. Caſtig. Græbner. noſtræ p. 77. 78. 79.

Jucundum non raró præbuit ſpectaculum ſanguis Noſtrorum vená eductus, (*b*) aquâ calidâ, more Malpighiano, aliquoties lotus, oculis microſcopio armatis, offerens deturbatis rubicundis partibus, texturam vehementer fibroſam, & rete ex nerveis, viſcoſis, craſſis, (quales in cholericorum & phlegmaticorum ſanguine fruſtrà quæſiveris) fibris pulchre contextam.

Confirmant vero etiam hanc de temperamentis ſententiam, mores Sileſiorum, quos alicubi Clar. Henelius veraci calamo deſcribit.

Cùm verò ita comparatum ſit de temperamento Sileſiorum, jam liquet, ad quos præcipuè morbos inclinent, nimirum ad plethoram, & eos, qui plethoram preſſo ſequi pede ſolent, ſc. 1. dolores varii generis, gravativos, inquam, æſtuantes, lancinantes, preſſorios, 2. hæmorrhagiam, circa diverſa, pro ætatum diverſitate, loca, 3. ulcerationes, 4. ſpasmos, 5. ſtaſes, 6. convulſiones, 7. pathemata hypochondriaca, inflationes, indurationes lienis, hepatis, atrophias *&c.* his enim morbis premi, qui ejus, quod diximus, ſunt temperamenti, experientia docet. (*c*).

Ulterius diſpiciendum erat, qualem in Sileſia trahamus aërem, nam is non ſolùm ad vitam & ſanitatem conſervandam, ſed & ad morbos invehendos, plurimùm facit: Hinc adeò commendata Medicis notitia conſtitutionis aëris ab ipſo Hippocrate, *in libris Epidemicis, Prognoſticis, libro de aere, aqua & locis*, ut Proſpero Marciano Senex Noſter nimium tribuiſſe viſus ſit aëri, quandoquidem ei primariò intelligentiam adſcribat *in libr. de morbo ſacro*, antiquo errore, quo aër divinitatis particeps credebatur. Sed hoc penſum abſolvimus in antecedentibus, ſi tamen in genere aliquid de eo dicendum, talis communiter eſſe ſolet. Satis maturè, in ipſo Novembri, plus minus regnat apud nos frigus, aſperiùs verò ſævit in Decembri, Januario & Februario; quibus jacet aggeribus niveis informis & alto terra gelu latè. Nec tamen eo, quod ſentiunt in Moſcoviâ, in quâ, narrante Oleario, in itinerario Perſico, terra in medio foro, ingentem in hiatum intenſiſſimo frigore diſtracta. Mitior aliquantum aura eſt in Martio & Aprili, Majo autem omnia rident & eſt formoſiſſimus annus. Junio, Julio, Auguſto æſtus nos infeſtat, non tamen continuus, & utplurimum ſatis tolerabilis, reliquis vero menſibus, humorum & frigoris varia ſentimus incrementa, cum non raró aër ſingulis momentis variet, quâ de re, non ineleganter, diſputat Ferrandus Imperatus *lib.* 8. *Hiſtor. Nat. c.* 6. *&* 7.

Aëris conſtitutionem perſtrinximus, (*d*) meritò itaque Ventorum, qui ex Plinii ſententiâ, aëris motus ſunt, mentionem facimus, præcipuè cum hi aërem variè mutent. Eſt verò Sileſia, ut benè Doctiſſimus Schwenckfeld *in Geographicâ Sileſiæ delineatione* præmiſſa catalogo ſtirpium & foſſilium, expoſita ventis præcipuè aquilonaribus & occidentalibus. Nam ad Auſtrum cingitur montibus Bohemis, ab ortu jugis Carpathi. Aquilones verò liberè ex Poloniâ in

(*b*) conf. Caſtigation. noſtræ Græbnerian. p. 82.
(*c*) *Ibid.* p. 83.
(*d*) *Ibid.* p. 84.

in eam incurrunt, & ex Marchiâ & Luſatiâ occidentales; ac hi quidem plerumque moderatè frigidi & humidi, ac pro diverſis anni partibus, vel pluviarum vel nivis feraces; Septentrionales verò ſicci & frigidi, ut meritò etiam aquilo, quod apud Naſonem *l. 6. metamorph.* de ſe dicit, in Sileſia etiam prædicet, triſtia nubila pello; Secus quam iis, qui meridiem & orientem habitant, quibus pluvius eſt, teſte Theophraſto *l. de ventis.* Auſter, ſiquando Sileſiis flat, calidus & humidus eſt, & cùm corpora noſtra gravet, majorisque reddat ponderis, ut olim Ariſtoteles, Hippocrates & Galenus docuère, non immeritò etiam nos Horatium imitati, eum dixerimus plumbeum. Qui ab oriente Sileſiam perflant, ſerenitatis nuncii ſunt. Et licèt magna inconſtantia volvantur venti, non tamen vana etiam apud nos deprehendimus, quæ de ventis periodicis ac ſtatis Varenius, de motu eorum annuo Iſaacus Voſſius *in lib. de motu marium & ventorum c.* 23. ac Dn. Mariotte de Circulatione eorum, differunt; nam compertum habemus, (*e*) quod occidentalem ſequatur ſeptentrionalis, hunc excipiat orientalis aliquanto obſcurius, ita ut poſt auſtrum vices redeant ad occidentalem, quamvis etiam aliquando inter ſe confligant, & ut Poëta ait: *Una Eurusque Nothusque ruant creberque procellis Africus.* Cùm Boreæ vis nobis incumbit, regnant catarrhales affectus, coryza, tumores uvulæ, tonſillarum, glandularumque ſublingualium pathemata, ophthalmia, tuſſis, reſpirandi difficultas. Experientiâ edocti ſumus, lienoſos etiam & calculoſos pejus habere, præprimis verò hyſtericas; notavimus etiam facillimè tum obſtructiones menſium & lochiorum contingere. Urinæ difficultas, quæ itidem impetuoſiùs nos, urgente hoc vento, affligit, etiam ab hac externa cauſa, ex parte, oritur. Phthiſici, & malè ſana corpora peſſimè habent. Complexus hæc Hippocrates ſolitâ brevitate 3. §. 5. Auſter appetitum imminuit, ventriculo nauſeam affert, & caput replet. Nec facilè alio tempore homines deprehendas moroſiores in Sileſia, quam dominante Auſtro; Libertus Fromondus *in Meteorol. l. 4. c. 8. art. 2.* notanter hoc exprimit, ita ſcribens: *in inſulis Flandricis quæ vulgo Azores, Auſtro ſpirante, homines manifeſtè moroſiſſimos ambulare, pueros triſtes, & lugubres deſidere domi, nec ſolennes eorum luſus & cœtus apparere in plateis, qui Borea reſtante, ſtatim ad alacritatem redeunt &c.* Præterea Auſter auditum hebetat, caliginem viſus obducit, corpori tarditatem & languorem conciliat, & ventres humectat, ut Hippocr. *l. c. aphor.* 17. quæ ſic ſatis accuratè etiam hic experientiæ reſpondent, etſi apud nos non ſiccus, quod Hippocrates memoriæ prodidit, ſed humidus exiſtat. Auſtrinis quoque flatibus facilè recrudeſcunt motus epileptici, nec abſque cauſa Lemnius *l. 2. c. 2. de occultis Natur.* multitudinem epilepticorum in Belgio Auſtris tribuit. Proſper Martianus *p.* 351. queritur, quod, qui in aphoriſmum ſententiam retulit ex *lib. de humor. v.* 148. omiſerit ulcera glabra, maximè oris, pudendorum & aliarum partium, non abſque utilis doctrinæ jactura.

Ægritudi-

(*e*) conf. Caſtigat. noſtræ Græbner. p. 86.

Ægritudines, ad quas anni tempora nos diſponunt, variæ ſunt, & multiplicis generis. Vere, quod Hippocrates reſpectu ad alias anni partes, & feliciorem morborum decurſum, ſaluberrimum vocat, oriuntur lippitudines, puſtulæ, profuſio ſanguinis, (varia pro ætatum differentiâ, in pueris enim & adoleſcentibus per nares, in juvenibus ex pectore, in viris per hæmorrhoides ſanguis expellitur, veroque conſonum eſt Braſſavolæ illud, ſanguinis menſtrui profluvia tum copiosè fieri, ut medicam manum requirant) abſceſſus corporis, morbus comitialis, angina. Hi quoque morbi, qui in articulis nervisque modò urgent, modò quieſcunt, tùm maximè & inchoantur, & repetunt, quæ ſunt Romani Hippocratis, Celſi inquam, verba *l.* 2. *c.*1.*p. m.* 43. Et hinc chorus podagricorum apud Lucianum in Trago-podagr. : *At nos Tibi, Podagra, primo veris tempore, myſtæ tui ſacrificamus ejulatus miſerabiles.* Quibus morbis non immeritò febres annumeres, utpote quæ vernali tempore potiſſimùm graſſantur, ſanguinisque depurationem moliuntur. (*f*) Æſtivo tempore adeò frequenter morbi non ſunt, nec in Sileſia locum habet iſtud Ariſtotelicum problema, quare per æſtatem magis adverſa valetudine laboretur, quod expedire ſatagit *Sect.* 1. *problem.* 25. Et qui ſunt, eos ingurgitationi horræorum fructuum & primariò poſt æſtum diuturnum, refrigerationi nocturnæ, tranſcribere decet. Sicuti Menſe Auguſto, dyſenteriam frequenti fæcum alvi dejectione cum materiâ ſæpè cruenta, ſæpè purulenta, ſatis moleſtam edidiſſe ſtragem compertum eſt. (*g*) Nullum verò tempus anni, morborum feracius eſt, quàm autumnale. Rara ea felicitas, ut non febres varii generis, præprimis quartanæ graſſentur, querelæ audiantur de dolore hypochondrii ſiniſtri, qui non rarò ad claviculas usque protenditur, pleuritidemque mentitur; Sæpè etiam ſuras ac tibias infeſtat. Tabidis quoque non favet, ut habet Hippocrates *l. 6. Epidemic. Sect.* 7. *v.* 73. nec podagricis & arthriticis. Verum quoque, quod habet Ballonius *l.* 2. *Epidem. & Ephemerid.p.m.* 180. omnia ulcera eſſe δυσεπουλωτικὰ in autumnali conſtitutione. Ex tripode profecta ſanè illa Noſtri Senis *l.* 1. *Epidem. Autumno acutiſſimi morbi, & maximè lethales. Univerſum ſimile ipſis veſperi exacerbari &c.* quæ accurato commentario illuſtrat Valleſius *p.* 88. & 89.

Morbi maligni paſſim quoque graſſari ſolent circa Septembris initia, febres ecthymaticæ, variolæ & morbilli ingrediuntur, ac per Januarium, Februarium ſæviunt, ſub cujus finem puncticulares plerumque caput efferunt non rarò, quibus non pauci fato ſuo occumbunt.

Sed de his omnibus, ex antecedentibus, judicium formari poterit. Verum memores promiſſi noſtri, non poſſumus, quin etiam aliqua de recepto apud nos vivendi modo commemoremus.

Victum autem Sileſiorum nemo magis vivis coloribus depinxit, quàm celeberrimus quondam Vratislav. Syndicus, Nicolaus Henelius, in *manuſcripto opere*, cui *Sileſiographiæ Renovatæ* nomen, cujus autographum in locupleti ad

(*f*) conf. Caſtigat. noſtræ Græbnerian. p. 87. (*g*) *Ibid.*

ad S. Matthiam, bibliothecâ, tanquam theſaurus aliquis cuſtoditur, exemplar vero manu Reverendiſſimi Domini Prælati, Michaëlis Fibiger, deſcriptum, & luculentis notis & additamentis, pro amore, quo in patriam & ſtudia fertur, ab eo exornatum, noſtris patuit, ex Ejusdem Per-Illuſtris Dn. Magiſtri indulgentiâ, uſibus. Hinc bonâ cum Lectorum veniâ ex *cap.* 7. aliqua mutuabimur, ex quibus etiam Nobiliſſimi Operis præſtantia æſtimari poterit. Verba Henelii ita habent:

Victus in Sileſia mundior & elegantior, quin etiam parabilior, quàm inter pleraſque alias gentes. Plebs urbana & agreſtis, pane vulgari, cum ex hordeo, tum ex ſecali, pecudum domeſticarum carne, lacticiniis, anſeribus, gallinis, ovis, piſcibus quà recentibus, quà ſalitis & infumatis, halecibus ſive haringis præſertim, paſſeribus ſive plateſſis & aſellis, leguminibusque, oleribus & pultibus victitat.

De carnis ſufficientia Oppidanis proſpicere tenentur laniones: qui ob id animalia, puta boves, vaccas, vitulos, oves, verveces, agnos, hædos, ſues, porcos, non ſolum ex hac noſtrâ, ſed & vicinis provinciis, Poloniâ maximè & Hungariâ, procurant, mactatorumque in lanienâ carnes, ut in macellis ſuis quotidie, ita diebus Sabbathi, in foro publico venales exponunt. Sarcopolia appellare liceat, in queis præcipua, Vratislavienſe, Schwidnicenſe &c. ſed quibus tamen parum concedit Oppavienſe; Extraneis quoque annonam carnis adjuvare, omnis generis mactata inferre, & venalia exponere licitum eſt. Qui boni Patresfamilias eſſe, nec cuncta, à macellariis, præſtinare volunt, emunt quot annis, pro familiæ & facultatum modo, unum & alterum bovem, tum & oves aliquot & porcos, quibus mactatis & ſale conditis, ac fumo induratis, penaria ſua inſtruentes, magnam anni partem inde victitant. Urbanis ditioribus, Nobilibus ampliora prædia poſſidentibus, Primoribus atque Magnatibus, ubi præſertim genio ſacra parantur, victus dapſilior eſt, pollucibilior ac pretioſior, ut qui menſas cùm alitibus domeſticis, tùm feris animalibus, volatilibus, ac piſcibus lautioribus, in quibus nec oſtrea, teſtaceorum omnium nobiliſſima, aut ſardellæ Venetianæ deſunt, variè coctis, aſſis, frixis, elixis, artocreis, talibusque aliis, in quibus permagnus eſt aromatum, ſacchari & aliorum condimentorum uſus, cumulatè inſtructas habent: Nec oleribus exquiſitis ea carent, non acetariis, intritis, intinctibus ſuaviſſimi ſaporis, non ſcriblitis, & tortis, non bellariis ſumptuoſis, aliisque menſarum ſecundarum deliciis, ac cupediis quà domi natis, quà exoticis & aliunde petitis. Adeò

quicquid quæritur, optimum videtur.

Et hanc etiam Provinciam ſumptuoſus exterorum luxus ita contaminavit, ut non modo non ſubinde ad detergendam ſtomachi nauſeam, excogitentur ſapores, & exquiſita gulæ irritamenta: verùm etiam in pompam, quæ ſpectes, non quæ guſtes ſolum, fercula ponantur. Quaſi oculis paretur cibus, exornatur. Menſa ambitionis ſcena quædam eſt, & jam divitias dapes indicant; Lauti ſumus, ſi immenſum conſumimus. Ut quidem minimè mirum aut novum videri debeat, ſi nonnullos, quibus Attalico luxu oſtentare & frequentare lautas

epulas

epulas pulchrum fuit, paulo poſt obaudire oporteat, quod Diogenes, præteriens ædes cujusdam helluonis inſcriptione notatas venalesque, dixiſſe fertur: Facilè divinabam, fore, ut præ immodica crapulâ domum evomeres. *Eousque certè luxus hic crevit, ut nemo æquus rei æſtimator nobis vitio ſit verſurus, ſi cum Michaele Hoſpitalio, Galliæ Cancellario, (at quali & quanto Viro!) exclamemus:*

O! Romanarum legum veneranda poteſtas
Sublata è vivis! ô Fannia, & Oppia, leges!
Exiſtetne aliquis conceſſu & munere Divûm,
Errorem hunc animis hominum qui demere poſſit,
Et noſtri immenſis moderetur ſumptibus ævi?

Priſcus & promiſcuus Sileſiæ potus eſt, cujus uſum etiam ante terræ inundationem, primi ſeculi mortalibus non incognitum fuiſſe, Germanos certè jaminde à primordio gentis Celticæ habuiſſe, una cum gente ex Aſia in Europam delatum, probabiliter credidit Cluverius: de quo nimirum verſus extant Leonini (ut vocant Grammatici, quales à Poetis priſcis, tàm Latinis, quàm Vernaculis ſcribi ſolitos, & vix aliquando alios, ex epitaphiis & aliundè obſervatur) nec tamen illepidi, Monachi, manu tenentis tritici ſpicas:

Me piget hoc eſſe, cum ſit potare neceſſe,
Vinum de meſſe, quod nos conſuevimus eſſe.

Vinum, inquit, de meſſe. Ex ſententiâ certè Diodori Siculi, fragrantiâ & efficaciâ, vino haud multò inferiorem; ſivè ut Tacitus loquitur, in quandam ſimilitudinem vini corruptum, potum nos intelligere palàm eſt, quem Bieram, ſive Biriam, ſive Beriam nuncupamus, acceptâ voce, ex ſententia Viri Clariſſ. Gerardi Johann. Voſſii à Romanis militibus, quibus illud in ore: Da bibere. *Sic enim Romani loquebantur, ut* Terent. Andr. act. 3. p. 2. *ſed pro bibere etiam dixère* Biber. *Quod idcircò quidam veterum nomen ac neutrius generis, putant, uti apparet ex Chariſio & Caprâ. Ex* biber *autem contractum* Bier; *ut nomen biriæ ſit generale. Quod quidem etymon multo veriſimilius eſt, quàm quod alii quaſi pyriam dici volunt, quia ex pyris exprimeretur ſimilive pomorum genere. Sunt & alia illi nomina, ſed uſitatiora, zythi & cereviſiæ: Illa Ægyptiacæ originis vox eſt: hæc ſic dicta, vel quaſi* Cerebibia, *quia Ceres, ſeu fruges, bibitur; vel quaſi Cereris vinum, vel quaſi Cereris vis in aqua, vel à colore cereo, vel à Gallico ſive Celtico vocabulo,* Zerus, *idem ſignificans, quod frumentum; vel denique ab alia voce Celtica,* Zehren, *quod Germanis notat incoquere, & alere, nempe quia vim habet alimoniæ. Conficitur paſſim in urbibus Sileſiæ & pagis ex tritico hordeove, primum ad regerminationem macerato, ligulisque enatis torrefacto, indeque molis craſſiuſculè contrito, (quod vocant noſtri* Maltz *ex Latino molitum. Mediæ ætatis ſcriptores, Braſium vocant:*

vocant: à quo Braſiarium, vel Bratiarium, quod horridiùs alii Braxatorium fecerunt, ipſumque adeo braxare, quod eſt cereviſiam coquere) ac denique aquâ cum lupuli ſaliĉtarii floribus artificioſè decoĉto. Potus ſanè, ſi reĉtè paratus, ac ritè defæcatus ſit, ſaluberrimus optimique alimenti, ut, qui Spiritum roborat & excitat, animumque exhilarat & confirmat, non incommodat nervos, non apoplexiam, non paraplegiam, non nervorum reſolutiones, non comitiales & convulſiones ac tetanos, non arthritidem denique concitat, quæ omnia potum vini comitari amant. Bonitas ejus & præſtantia de ſpumâ colligi ſolet, in quam adhuc à recenti coĉturâ vertitur: & adhibent quoque eandem Noſtrates ad panis fermentationem. Quod & idem Plinius de Gallis pariter annotavit.

Inter triticeas, quæ diebus quibusvis per integrum annum parantur, præcipuam laudem habet cereviſia Vratislavienſis, quæ Scheps *vulgo appellatur, quanquam non omnibus, quia fortior, vini præſertim potoribus, grata.*

Hordeacea cereviſia certo & deleĉto tempore, hyberno nimirum, & ſub veris initium coquitur, ac ſine acoris vitio per integrum annum, imo plures quoque ſervari poteſt. Hujus rei cauſam, ſunt, qui referant ad primi veris vim, atque ſingularem efficaciam, à quibus alienus Cardanus, lupuli ſaliĉtarii ſeminibus, è quibus ſupervacaneus humor, omnis putredinis parens, abſumptus ſit atque exinanitus, vim eam aſſignat; quaſi nimirum ſolum lupuli iſtius ſemen coĉturæ inmittatur valido effeĉtu. Cur verò non cæteris menſibus eadem vis perſtat, quibus etiam magis humiditas decoxit?

Commendatur præ reliquis Oppavienſis, Martiana diĉta, quæ liberalius pota, verè Martios efficit: ſed qua incolæ ejus Ducatûs (uti teſtatur Thaddeus Hagecius ab Hagen, Moraviæ quondam Medicus Celeberrimus, ſingulari de Cereviſia opuſculo) etiam vice medicamenti utuntur, ubi ſe malè affeĉtos ſentiunt, & propterea Medicinæ non magnus, apud eos, uſus eſt.

Schwidnicenſem hordeaceam, Raconizenſi, Zacenſi, Stirnenſi, in Bohemia idem Hagecius annumerat; Cereviſias quidem iſtas, præterquam, quod urinam & menſes provocent, in facultate nutriendi, & lac ſuppeditandi triticeis iſtis anteponens, ut quæ multo celerius, unico quippe hauſtu facto, & pauculo ſomno capto, id præſtent, atque ob id à nutricibus mirificè expetantur.

Tametſi verò jus coquendi Cereviſiam, in plerisque Germaniæ provinciis, urbibus tantum & oppidis competat. Nobilibus autem nonniſi pro neceſſitate, ac ſuſtentatione familiæ ſuæ concedatur: In Sileſia tamen Nobiles quoque eodem jure utuntur, cùm de illo inveſtiti fuerint, ultra miliare præſertim ab urbe poſiti. Nimirum ut in Bojemia, ſic in hac quoque regione conceſſio juris braxandi, pro regali, ſive jure reſervato Principis haberi cœpit, ut nemo illo uti poſſit, niſi, vel privilegio, ut pleræque civitates, vel inveſtitura, vel longiſſima temporis præſcriptione, munitus ſit.

Tenuiores qui ſunt, itemque agreſtes, cereviſiæ defeĉtum, vel ſecundariæ illius Cereviſiæ, quæ plerisque locis Tiſch-Bier *(Vratislaviæ* Langweil *vocatur, ac civium quoque familiis ut maximè præbetur: Vel alterius potionis ex*

pomis,

pomis, pyriſve tuſis, aqua perfuſis atque expreſſis impendio minori conficiendæ, multis nationibus uſitatæ, præſertim orientalibus; vel lactis aut ſeri potu, ſupplent. Aquæ puriſſimus liquor, de quo Lucanus dicebat, Satis eſt populis fluviusque Ceresque, *infimæ duntaxat, omniumque rerum inopi plebi, uſitatus, qui antiquiſſimum apud omnes mortales potus genus eſt.*

Vino ſanè olim pauci, nec niſi elegantiores utebantur, nunc optimo telluris ſucco nemo non abutitur, ex Hungaria præſertim, Auſtria & Moravia advecto. Quamvis nec Rhenenſia, Rhætica, Italica, Gallica, Hiſpanica, Canarienſia, & alia vina deſint, apud Vratislavienſes imprimis, quibus jam olim, privilegii loco, ab Henrico VI. Duce, conceſſum reperio, ut non ſolum eſſe illis, & vivere, ſed bene eſſe, benè vivere liceat. Sine vino ſane, nulla placent convivia, quaſi Varronem edidicerint, ita ubique elegantibus illis & ſuavibus verſiculis occini audias:

Vino nihil jucundius quicquam cluit.
Hoc continet coagulum convivia.
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium.
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

Mellis cum lupulo aqua decocti (Medonem vulgo vocant, Plinius hydromel, & aquam mulſam) non infrequens eſt in Sileſia potus, quod, cum ex Polonia & Lithuania importatur, tùm Ratiboriæ, Oppaviæ, & aliis quibusdam locis, coquitur.

At verò aduſti, incertum, uſus major ſit, an abuſus? eò quod multos, eo inebriatos, repentina morte & ſomno ſepultos interiiſſe conſtat; Ad hæc multa millia modiorum ſiliginis & tritici, quæ ad uſum panis & cereviſiæ prodeſſent, in hunc abuſum inſumantur & prodigantur, de quo ob id cohibendo ſæpius, at fruſtra deliberatum fuit. Sublimatum idem dicitur, quia per ſublimationem elicitur. Sed id non ex frumento tantùm, ſed ex vino etiam ejusque fæcibus, atque adeò cereviſiæ craſſamentis in fundo vaſis relictis. Indeque haud modo plebeji, qui artificio illi ex profeſſo dediti, rem non contemnendam faciunt; ſed Nobiliores etiam viri, ac fœminæ præſertim, luculentos proventus percipiunt; ex quo nimirum iſtæ, lucro allectæ, quod ſordidis hominibus ſuave eſſe conſuevit ex re qualibet, animum ad vinum iſtud conficiendum, adjecerunt, & hanc victus quærendi rationem inferioris conditionis hominibus eripuerunt. Hoc vinum ardens venditant ſuis ſubditis, pro potu, publice propinandum. Ita autem illud plebs ruſticana, vicem ferè jentaculi, pitiſſat, ut plerumque benè poti domùm redeant.

Cæterum compotationes in Sileſia frequentiores, ubi quidem (neque enim tam Patria chara eſt, ut manifeſta negem, ut cum F. Fabri Sabotho loquar) ἀπνευστὶ, ἀμυστὶ, ἢ ἀθρόως, *non Xenophontis modo minuta illa & rorantia, ſed & portentoſa pocula, quæ præſertim* Sanitates *vocant, (nempe ut bellum, quod in [ſe nihil aut belli aut amœni habeat) exhauriri videas, & ſollicite legem*

illam Græcorum obſervari: Aut bibendum aut abeundum. *Idque non magis in cauponis, ad quas vulgus compotandi cauſa convenire ſolet, quàm in Procerum conviviis, in natalitiis & initiationibus liberorum, in nuptiis, in parentalibus, in aliis denique feſtis, conventibus & actionibus, certare poculis magnificum, vincere glorioſum imprimis putant; indeque crebræ inter vinolentos rixæ & contentiones, quæ non tam in convicia, quàm vulnera & cædes deſinunt: Sed ipſæ tandem in compotationibus, ceu Bacchi auſpiciis, tranſiguntur, hauſto utrimque philoteſio cratere, concordiæ firmamento.*

Habent id commune Sileſii cum reliquis Germanis, in quibus jam diu notavit quoque ebrietatem Tacitus, aliisque gentibus ſeptentrionalibus, Sarmaticis maximè ac Slavonicis, vitium; quod inde à longa antiquitate ſic invaluit, tamque altas egit radices, ut extingui, ut elidi, ut extirpari vix ulla poſſe ratione videatur. Deſinit nimirum eſſe remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, in morem atque conſuetudinem, non hominis, ſed gentis, non exigui temporis, ſed ſeculorum, abiere. Attamen verò ſi ſuus cuique populo attributus eſt error, ſi vitiis nemo ſine naſcitur, & optimus ille, qui minimis urgetur, maneat ſane hoc vitium noſtris, dum graviora abſint, levitas, fraus, dolus, perfidia, perjurium, blaſphemia, immodica, ſed inconceſſa, Venus in nuptas, in virgines, in puellas, in pueros, in bruta animalia, quibus maxime urgentur improbatores noſtri. Neque tamen ebrietas, quam objectant nobis, vel Germanis duntaxat, vel ſeptentrionalibus populis, propria. Nulla in mundi parte ceſſare eam, veriſſimè jam olim dictum. In Inſula Americana, quam S. Mariæ vocant, regem bene potum ingenti cornu præcinente, & tympano triumphi in modum ſolenniter pulſato, cubitum deductum teſtantur, qui viderunt. De Græcis quid dicam, unde tamen virtutes, gratiasque omnes prodiiſſe vetuſtas memorat, potandi gratia famoſiſſimos fuiſſe, nemo, opinor, negaverit, qui, quid græcari, quid pergræcari olim dictum fuerit, non ignorat? Quid veteres illi Romani? Minimè paucos eorum, ſed omnem civitatem, principes juxta, & plebem, potationibus crebris, adeoque continuis indulſiſſe, ebrios etiam ſervorum humeris ad ludum vel circulum ſymphoniacum à corona efferri ſolitos, unicuique libros eorum, maximè vero poetas, diligentius legenti liquet. In plebe quidem egregium exemplum memorat Ovidius Faſtorum lib. 3. *Feſtum graphicè deſcribens, ut non habeant, cur Germanis magis potationes exprobrent, quam Romanis, morum cultu principatum inter gentes adfectantibus. Quin non viros tantùm, ſed fœminas quoque illuſtres vinolentiæ deditas Romæ fuiſſe, notavit Tacitus*, annal. lib. 12. *Ipſa hodiè polita Gallia, & prudens Belgium, apud ſe vitium hoc frequentari, queritantur, nec nullos ex Italis reperire licet, qui tegere melius vitium hoc quam fugere norunt. Quæ ipſa tamen, non ad excuſationis anſam, ei rei prætexendam, ex qua id ferè conſequuntur miſeri, & heu! nimis prodigi ſalutis ſuæ, ut in corpora, quæ Spiritus S. debent eſſe domicilia, deſæviant, ea demoliantur, fortunas, opes, facultates dilapident, dum ad reſtim res redeat, animas denique ipſas diabolo oppignorent: Sed eo tantum dicuntur, ut nihil heic, præ cæteris gentibus, in Germanis culpandum demonſtretur.*

tur. Licet non deſint, qui minus culpabiles, veniaque adeo digniores putent, ob ventriculi ſc. calorem, qui quo remotius cis Auſtrum homines colunt, eo major & in ipſo frigore, quod mirandum eſt, æſtuant. Hinc igitur robuſtam illam ſitim eſſe, cui ſedandæ, & crebriori & largiori potu ſit opus. Sed quod ipſum tamen; ſi maximè ita eſſe concedamus, immanibus illis helluationibus, ad ebrietatem & furorem usque, inſtitutis, nullo modo patrocinatur. Etſi hoc quoque minimè diſſimulandum, haud exiguum huic malo fomentum præberi à nimia Dominorum ac Magiſtratuum indulgentia, quibus, dici non poteſt, quàm fructuoſa illa potandi licentia exiſtat. Ex hac ſiquidem non exigua tributorum & vectigalium publicorum juxta & privatorum portio corrogatur.

Vaſa Menſalia vili & promiſcuæ plebi, pro antiqua ſimplicitate, lignea & teſtacea, ſive figulina; qualia nimirum etiam Agathocles Rex apponi ſibi juſſit, ne, Patre figulo natus, prioris ſuæ fortunæ unquam eſſet immemor. Qui ſupra plebem, ſtannea quoque uſurpant. Sed quibus honeſtiores non contenti, argenteis inſuper utuntur, iisque inauratis, & vario opere cælatis. Adeò, in hac quoque parte, prodiga rerum luxuries paſſim ſe exercet, ac ſtultitiam patiuntur nummi; niſi quod tamen in vaſis & lanceis, argenteis, præter uſum & decentiam, theſaurus ineſt, quia nimirum & durant, & in ſubitos caſus ſtatim prodeſſe poſſunt. Hactenus Henelius.

Nihil jam ſupereſt, quàm ut tribus indicemus verbis, quotnam morbis à nobis hactenus deſcriptis in deſignatâ aëris conſtitutione victu à nobis adumbrato antea uſi perierint. Menſe Januario mortui ſunt 78. Februarius abſtulit 92. Martius abſorpſit 146. Aprili 138. numeravimus funera. Menſe Majo 124. homines interempti ſunt. Juniò extulimus 91. Julius delevit 87. In Auguſto tumulavimus 106. Septembri vero ſepelivimus 112. In Octobri vitam hanc cum meliori commutarunt 87. Novembri occubuerunt 71. In Decembri autem deceſſerunt 67. Atque adeò hoc anno finem vivendi fecerunt 1199., in quem tamen cenſum non veniunt illi, qui in ſuburbiis aut templis à Magiſtratus Vratislavienſis inſpectione exemptis requieſcunt.

Ad pag. 133.

Gravior tortor eſt calculus veſicæ, cujus & diagnoſis & cura valdè ardua eſt. Multa in Conſilio quodam Germanico Collega noſter D. Chriſtian Helwich de utroque hoc capite diſputavit. Nos pauca tantùm ex iſto hûc transferemus. Cum autem, veſicæ calculus *magnitudine*, *figura*, *ſitu*, ac fortaſſis etiam *ſubſtantia* multum variet; facilè apparet, cur tam diverſis ſymptomatibus exerceantur, qui calculo veſicæ laborant. Fernelius *lib. 6. de part. ſymptomat. & morb. cap.* 13. *p. m.* 317. Inter propria calculi veſicæ ſigna primo loco ponit *vagam quandam & oberrantem circa pubem & perinæum titillationem, dum exiguus & levis etiamnum eſt.* In Wilielm. Laurembergio, prout ipſe teſtatur, *in diſſert. epiſtol. de curat. calc. veſic. p.* 8. *non aliam*, primo tempore, *attulit moleſtiam, quam quod urinæ fluxum, quando ad veſicæ oſtium,*

cum lotio effluente delatus eſſet, nonnunquam impediret. Cum grandior calculus ſubeſt, ingens *gravitatis ſenſus percipitur*, qui valde *tendit ac premit pubis regionem.* Aurelianus *lib. 5. tardar. paſſion. c. 4. p.* 225. ait, ſequi *dolorem ſecundum pectinem atque veretri radicem & ilia & clunes & magis initio ac fine urinæ reddendæ*, quæ non rarò, etiam prorſus ad aliquod tempus ſupprimitur, aut certè difficulter redditur, unde videas, alios membrum contrectare, extendere; fœminas quoque manus pudendis admovere, eademque crebrò ſcabere, ac alia indecora agere, ut urinam provocent, & dolores crebrò redeuntes mitigent. Certum enim eſt, quod mictio *crebreſcat*, adeò, ut tandem *aſſiduè mejendum ſit, vixque poſſit urina cohiberi*, prout optimè iterum Fernelius notavit. Nihilominus ut primum cœpit *perrumpere*, quam mox *tota incipitur, obviam nimirum impulſo calculo, ac ita interciſa incidit mictio.* Ac *tùm dolor alias univerſi pudendi ductum, alias glandem ſolam affligit, isque acerrimus ſub emictionis finem*, verbis Fernelii, cum *calculus urinæ curſu incitatus quaſi proditurus ſphincterem violentius comprimit.* Aurelianus vim doloris hujus exprimit per *fervorem incendioſum*; quia verò graphicè omnia deſcribit, verba ejus hic legi omnino merentur: *Sequitur*, inquit, *fervor incendioſus, item pulſus & extantia partis in paſſione conſtitutæ cum jugi ac frequenti urinæ reddendæ deſiderio, & repentina ceſſatio, ac rurſum egeſtio fit cum dolore intolerabili per ſingulos mictus, ut extenti ægrotantes etiam ventum per podicem reddant, ac ad deponendam alvum ſolicitentur.*. Quem mejendi conatum & deſidendi cupiditatem à calculi magnitudine è perinæo rectum inteſtinum & veſicæ cervicem exſtimulante rectè cum Fernelio deducunt Auctores. Urina, quam reddunt calculoſi noſtri, ſi Fernelium, Lommium, aliosque audis, *alba* ac *craſſa* eſt, & cum grandior calculus jam diu in veſica detentus eſt, *ſedimentum ejus purulentum* exiſtit, aut *narium muco perſimile.* Auctor. libr. 4. de morb. inter Opera Hippocrat. ait: *urinam paulatim fluere, velut in urinæ ſtillicidio, & eſſe cruentam, veſica nimirum à lapide exulcerata*, juxta aphor. 79. ſect. 4. *Quibus in urinis arenoſa ſubſiſtunt, his veſica laborat calculo.* At verò ex his omnibus ſignis certo præſentia calculi in veſica colligi nequit. Ab excretis arenulis quam minus rectè deducatur lithiaſis, tota die in hypochondriacis & ſcorbuticis experiri licet. Cardanus *in Hippocr. aphor. p.* 459. *Mihi*, inquit, *ab annis hinc triginta rufæ prodeunt & nunc etiam albæ & quotidie & copioſe atque omnino citra omnem calculi ſuſpicionem, tam renum quam etiam veſicæ. Quin etiam, quod longè majus eſt, jam toto decennio exacto tantum albæ arenæ adhæret parietibus, adeoque concretæ, ut intra* 15 *dies, ſi non abluatur, tota lapideſcat intus* &c. Cætera autem ſigna calculi veſicæ, quæ recenſuimus, etiam in gonorrhæa obſervantur. Hoſpes ſit in praxi & tyro, qui ignoret, quantum patiantur ardorem in regione radicis penis ſub emiſſione urinæ, qui gonorrhæa virulenta infecti ſunt. Nec minus atrox eſt is, quem in glande perpetiuntur. Adhæc in inveterata gonorrhæa vix matulam ex manibus deponere poſſunt, ſtimulaturque per conſenſum etiam alvus. Ægrè quoque vel exercitatiſſimus Medicus turbidam calculo-

calculoſorum urinam ſedimento non unius generis refertam, diſcreverit à *mucida & tenaciſſima illa materiâ, flava, virideſcente ac fœtida,* quæ in gonorrhæa cernitur, quando in præputio abeſt *tumor, ardor, rubor, excoriatio, fiſſuræ purulentum plorantes ichorem.* Quando enim hæc adſunt, meritò ſuſpicioni de gonorrhæa virulenta locus datur, quod etiam dicendum, quando *ſcrotum ardente & pruriginoſâ eroſione fœdatur, in tumorem attollitur, in rugas abit, aſperitate cruſtoſâ inſtar corticis alicujus digitos offendit, aut indureſcit.* Confirmant etiam in probabili gonorrhææ conjecturâ, *ulcera illa parva* in virgæ genitalis reliquâ parte, ſi *excorientur, molleſcant, ſuppuraſcant, colliqueſcant, particulamque cutis, quam obſident, erodant & abſcedere faciant.* Sed ſi hæc omnia, ut ſubinde fit, in iis, quos gonorrhææ labes inquinavit, non deprehendantur, iisdem premuntur ſymptomatibus, ut jam diximus, quibus vexantur calculoſi, inde etiam fieri ſolet, ut illi obtentu calculi turpitudinem venerei morbi velare nitantur, quod crebrius fit, quàm credant inexperti. Hoc cum non lateret Viros doctos, in clinicâ praxi exercitatos, aliis modis præſentiam calculi in veſicâ explorare conati ſunt. Galenus *in lib. introductorio c.* 13. juſſit digitum per rectum *inteſtinum in ſedem immittere,* hac cautelâ, ut *index immiſſus reflectatur in priorem veſicæ partem,* ratus, calculum hac via tangi poſſe. Enimvero monente iterum Fernelio nonnunquam *ſummæ veſicæ adhæret, & ex iſta quaſi propendet nullumque calculi indicium manifeſte exhibet.* Recte etiam monet Hildanus *de lithotom. veſicæ:* iis in partibus duros *tumores* atque *ſcirrhos* nonnunquam generari ac calculum mentiri, & ſymptomata ſimilia inducere.

Alii magis illi explorationi fidunt, quæ per catheterem ſuſcipitur. Sed vero quis ſibi hoc tribuet, *ut rem tangibilem ſenſu auditus rectè certeque dijudicare poſſit, dum colluſionem quandam ferrei inſtrumenti lapidem contangentis ſentit. Impedimentum inſtrumenti veſicae collum introire nequeuntis ſine lapide à multis aliis cauſis provenire poſſe, qui neget, neminem futurum arbitramur. Adde, quod, cum per additionem augeantur in veſica lapides, utplurimùm fieri poſſe, ut nova facta additio, adhuc non indurata, nullam cum ferreo inſtrumento admittat colliſionem.* (quod tanto majori gauderet probabilitate, ſi experientia comprobaretur aſſertum Beverovicii in *exercit. de calcul.*: calculos, quamdiu in veſica ſunt, molliores exteriori præſertim ſuperficie eſſe) *Cæterum nec illud hoc loco diſſimulandum eſt, ſæpè non tangi calculum ab explorante, quia vel in altiori veſicæ parte contineatur ille, vel in tumore craſſo & viſcoſo ſit immerſus & involutus,* ut præclare diſputat Johann. Baptiſta Silvaticus *Controv.* 32. pag. 157. ſeqq. Conf. Ballonium paradigm. 61. & lib. 2. epid. pag. 247. Ex quibus omnibus conſtat, hoc quidem in affectu cognoſcendo unicè Medico relinqui *prudentem* στοχασμὸν, innixum *accurata præteritorum ac præſentium ſymptomatum cognitione,* ut & *juvantium & nocentium accurata exploratione.* Cardanus ſuggerit conſilium, quod in re dubia, & perplexa ſequi non abs re fuerit, his verbis *in citat. Hippocrat. aphoriſm. p.* 467.

Cùm

Cùm volueris ſcire certius, an aliquis calculo veſicæ laboret, jube eum equitare, ſaltare, exerceri vehementius, exhibe lapidem comminuentia, inde ſubſidentia in urina inſpice, in qua ſi tribus aut quatuor diebus pulvis appareat, lapis eſt durus, ſi lapidum fruſta & quaſi arenæ, non autem arenæ tophus eſt, ſi nihil horum appareat, lapis procul dubio non eſt. Quanti verò æſtimari voluerit conſilium ſuum Cardanus, ex verbis illis, quæ annectit, colligas: *Atque hæc ſunt, quæ duobus millibus annorum latuerunt expoſitores. Cave tamen, ne exercendo magnum ardorem urinæ, aut, ut dicunt, uriginem intolerabilem efficias. Improbi enim & ignari medici maledicendi anſam, poſtquam bene facere non didicerunt, undique arripiunt.* Ætatem etiam conſideraſſe juvabit. Nam etſi procul abſumus ab eorum opinione, qui *calculum veſicæ puerorum & decrepitorum ſenum* eſſe morbum cupiunt, (cùm experientia affatim edoceat, ſenes quoque calculum pati renum, nec infantes à malo hoc eſſe immunes, quem metuere prudentis Medici eſt, quando infantes absque ſignis dentitionis & coaguli lactis crebrò vomunt) nihilominus negari nequit, quòd majori ex parte, ſenes & pueri veſicæ calculo torqueantur. Et ſanè de his poſterioribus notum eſt, quòd obnoxii ſint *morbis lymphæ & glandularum.* Quando autem lympha coagulum patitur & ſtaſin, non ſolum tumores glandularum oriuntur, ſed & calculus veſicæ; Modum declarare annititur *Auctor. lib.* 4. *de morb.* qui conſuli poteſt. Cur verò ſenes calculo veſicæ affligantur præ adoleſcentibus juvenibus ac viris, explicare conatur Cardanus jam ante laudatus, præcipuèque accuſat *latiores in renibus meatus materiæ craſſitiem ac viſciditatem*, & *calorem ſicciorem. Cruditas* autem *ventriculi* ac ἀπεψία utrique ætati familiaris primùm ex ejus mente, inter cauſas antecedentes occupant locum.

Calculus veſicæ remotionem ſui omninò indicat. Removetur autem vel *operatione Chirurgicâ*, quem lithotomiam vocamus, de cujus *adminiſtrandæ modo* conſulendi ſunt tum alii, tùm Hildanus in peculiari libro, Franciſcus Tolet. *in tractatu Gallico de la litotomie, ou de l'extraction de la pierre hors de la veſſie*, Joh. Mori in obſerv. *ſur la maniere de tailler dans les deux ſexes pour l'extraction de la pierre pratiquée par Frere Jacques.* Cornelius Solingen *p.* 289. ut & *in der* Niew *lichtende Fackel der* Chirurgie of hedendangze *Heelkunſt* Cornelius van de Voorde, Hieronymus Fabric. ab Aquapend. Scultetus *&c.* vel *medicamentis.* Uterque verò modus pluribus obſeptus eſt difficultatibus.

Et prior quidem ante non multos annos etiam Celeb. Medico Olao Borrichio fuit fatalis. Is enim cum ferro ſe ſubmiſiſſet, *magnitudo & durities calculi, qui neque per inciſuram extrahi, neque inſtrumento, absque præſentiſſimo vitæ periculo diffringi potuit*, optatum eluſit ſucceſſum, & tandem moleſtiæ, inſomnes noctes, indomabiles dolores, in mortem terminata ſunt, ut refertur *in hiſtoria vitæ* Poſterior autem itidem plerumque ſpem miſerorum fruſtratur. Medicamenta enim, ſi aliquod operæ pretium facere deberent, calculum veſicæ comminuere oporteret; at verò de hac virtute medicamentorum lithon-

lithontriptica, ut jam ante monitum, non immeritò dubitatur, quâ ſi vel maximè pollerent, cogitandum tamen, quanta ſit *ab ore ad veſicam diſtantia*, quam cùm conſiderat Fontanus *lib.* 3. *cap.* 3. externa velut efficaciora præfert internis. Fiat, per nos licet, periculum, an *aqua perſicariæ*, aliquem calculo veſicæ liberare queat, qua Gerardum Boot horis matutinis exhibita aliquem veſicæ calculo laborantem priſtinæ reſtituiſſe ſanitati refert Robertus Boyle *de utilitat. Philoſ. Experim. p.* 2. *ſ.* 3. Subeat examen *cryſtallus* magno labore *in liquorem ſolutus*, & videbitur fruſtra jactari à Turriano, veſicæ calculum comminutum hujus ope & fractum fuiſſe. Deprædicet ſpiritum ⊡æ Schrœderus, ∽. *è calculo veſicæ elicitum Hœferus*, ∽. Ɑ. *Sylvius*, alii alios, & ſpiritus & eſſentias & tincturas; ægros parum levaminis hinc ſentire certum eſt. Heic potius pollicem premimus Rondeletio, qui *lib.* 3. *c.* 44. medicamenta *& frequenter & ampla menſurâ ſumi* debere contendit; ut & Heurnio *Method. prax. lib.* 2. *c.* 13. omnia medicamenta calidiora ſeriò diſſuadenti. Non prorſus autem rejiciendum cenſemus antidotum Lauremberg. *ex epiſtol. cit. p.* 20. quæ ita habet:

℞. Aſellor. ppt. ℥ij.
Sangu. hirc.
Spong. roſ. ſylveſtr.
Sem. volar. purpur. aa. ℥j.
Spec. lithontript. ʒij.

Hujus antidoti acceptæ ſunt ʒij, *decocti diuretici* ℥x. ∽. *juniper.* ʒij, *ex mixtis factum eſt pharmacum, quod aſſumſit mane horâ utplurimùm quintâ.* Effectum, quem exeruit, his verbis deſcribit: *ubi ſecundâ vice hauſiſſem, poſt horas plus minus quatuor, ſub pubis oſſe ad regionem oſtii veſicæ, magnos cœpi ſentire dolores, paulo poſt parum urinæ profluebat, & cum eâ Lamella exigua, inſtar ſquamæ piſcis, ampla, ſubrubra, quæ licet aliquam viſciditatem habere videretur, ad tactum tamen in ſabulum reſolvebatur, ita ut manifeſto appareret, tunicam vel cruſtam eſſe à majore calculo ſolutam; & tandem hujus uſu continuo à calculo veſicæ liberatus fui.* Hæc ibidem & alia plura. Si quis tamen hoc medicamento uti vellet, ei cum Mercuriali *lib.* 3. *prax. c.* 33. eſſemus Auctores, ut corpus *univerſum inediâ & purgatione ante ejus uſum præparet*, ne uberior affluxus viſcoſorum humorum iſtius uſu ad veſicam concitetur. Scimus cum utilitate adhibitam *ſolam herniariam c. betonica in juſculo coctam, ut & lap.* 69. ʒij. *cum juſculo limonum*, quod medicamentum laudat Poterius *obſerv. & curat. Cent.* 3. *c.* 72. & 73. Nec audemus rejicere *oxymel cum anagallid. & parietar. aquâ remixtum, quod*, ait Guarinonius, *mirifice feciſſe vidi.* Injectiones Rolfincius planè magni non æſtimat, Zechius inanes judicat, admittit Cardanus cum aliis. Fruſtra ſolutionem calculi ab iis ſperes. Panſa quondam, narrante Clariſſimo Sachſio noſtro in *Gammarologiâ per* ſyringam injecit, *ſolutionem oc.* 69. *in* ∽. ⊡*æ factam, eamque eximie ſolvere calculum*

ait Sachſius; ſed nos imitantes eum nullum vidimus effectum aliquâ laude dignum. Hoc quidem certum eſt, quòd, quando *oſtium veſicæ ab illiſo calculo ſaucium eſt, & urina cum dolore profluit, mitigatio ſequatur injectis per ſiphonem demulcentibus*, e. g. *lacte, oleo amygd.* d., ut & *emulſionibus* ſeminum. Quantum ex his omnibus colligere licet, melius fuerit, *cavere generationem calculi*, quam *comminutionem generati ullo remediorum genere tentare.* Prohibent autem, ſi Cardanum audimus, lapidis generationem ſex ſequentia: *fomentum minimè poteſtate calidum, expreſſio diligens ſedimenti, dum mingitur, quæ fit ſubſultum mingendo, uſuſque olei, abſtinere à caſeo, tum his, quæ ex lacte fiunt, tùm à terreis ac ſalſis, tum à cruditate cavere.*

HISTORIA MORBORUM,

QUI

ANNO MDCC.

VRATISLAVIÆ

GRASSATI SUNT,

ADORNATA A

LEOPOLDIN. ACADEM. NATUR.
Curioſ. Collegis VRATISLAVIENSIBUS.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

H*iſtoriam morborum, ſuperiori à nobis anno editam, doctiſſimis & in arte faciendâ exercitatiſſimis Viris non diſplicuiſſe, ex epiſtolis ad nos ſcriptis læti intelleximus, Ab iis quoque nobis calcar additum eſt ad pertexendum hoc penſum, cui tanto promptiori, inter concatenatos clinicæ labores, animo, manus admovemus, quo magis nobis perſpecta eſt eorum in judicando dexteritas, ac de publico bene merendi ſtudium. Aliquod in Medicinam ex ejuſmodi labore redundare poſſe emolumentum, Ipſi contendunt: quam laudem etiamſi nobis minus arrogemus, lubenter tamen fatemur, morborum hiſtoriam exactè deſcriptam, plurimum ad artis noſtræ incrementum facere. Graviter Ludovicus* VIVES *lib.* 5. *de tradend. diſciplin.*, artes ne conſtare quidem poſſunt, ſi hiſtoriam ſuſtuleris. HIPPOCRATES, GALENUS *& alii Medici, quàm ſæpe hiſtoricos agunt, dum experimenta narrant. Ipſa adeò Medicina ex hiſtoria collecta eſt, ſicut* PLINIUS *ex M.* VARRONE *perhibet. Quot morborum genera, quomodo, & ubi orta, aucta, compreſſa, ſedata, memoria vetus prodit; ſine quorum notitia, manca eſt Medicina, & potiſſima ſui parte orba, quam ex tot undique experi-*

mentis neceſſe eſt colligi, ceu aquas pluvias, ſtillatim. Illi autem, qui morborum hiſtoriam faſtidiunt, ac alto contemnunt ſupercilio, quod facient ſine noſtra indignatione, Φιλομαθειαν *ſuam addicant, & induſtriam impendant in hypotheſibus curioſis novis cudendis, poris ſolidarum partium & viſcerum exiliſſimis deſcribendis, firmas quoque glabras, flexiles, obtuſas, terraqueas, ſalino-æthereas, ramoſas, retorridas &c. particulas lynceis oculis in humoribus viſas, in tabulis adumbrent; & ſero olim diſcet Poſteritas, quantum opis hæc lecto affixis afferant. Et nos in his olim ſtudium non leve poſuimus, quod ſine dolore memorare vix poſſumus; nunc annis & judicio maturiores ſcimus, quod ſint apinæ tricæque & ſi quid vilius illis, quas ne titivillitio quidem emptitaremus. Per nos etiam licebit, ut porro commentariis inutilibus Auctores quoſdam onerent & turgidiores reddant, aut, ſi iſte ſummus Sapientiæ gradus eſt, in aliorum ſcriptis refutandis verſentur tanquam novi athletæ & promachi, ac de amplo brabeô, nempe fumo ſapientiæ, iis gratulabimur, certi cum Celeberr.* WEDELIO, ſecundum ſapientiæ gradum eſſe, non occupari in commentando, vel refutando. *Nihilominus tamen, ſi quiſquam aliquid adversus nos parturierit, triumphum non paret; nondum abjecimus clypeum, nec eundem abjecturi ſumus. Vale!*

IN

I. N. J.

IN Januario anni poſt milleſimum, à ſalutifero Virginis partu, ſeptingenteſimi, frigus Vratislaviæ uſque ad Lunam πανσέληνον ſatis erat remiſſum, quod nec nerveas fibras ſpaſmodicè corrugare, nec glandularum ſubcutanearum meatus conſtringere, aut poros cutis coarctare aptum; reliquis vero ejuſdem menſis diebus, uſque ad interlunium, nebulæ corporibus infeſtæ, aërque humidus, & ſeri copiam accumulare, hujuſque inter glandulas laxiores ſtagnationi, anſam præbere, tonumque partium relaxare, ac enervare potis erat. In Februario, jam grato ſolis jubare illuſtrabamur, jam verò pluviis & nivibus expoſiti torporem corporis ægrè declinare poteramus; frigus verò per aliquot dierum intervalla quodammodo adurebat nos, cùm Luna totâ nocte luceret. Uſque ad medium ferè Martii perpetuæ frigidi & tepidi aëris viciſſitudines notabantur, quas ad finem Menſis uſque turbida ventis ac pluviis moleſta tempeſtas excipiebat.

Præter morbos ſuperiori anno enumeratos, variolæ graſſabantur, & quidem multò frequentius diſtinctæ, quàm confluentes. Primis Variolæ. ab invaſione diebus, ſeu tempore ebullitionis, nunquam non febris acuta aderat. Nec meminimus nos, quod variolæ quibuſdam ſine febre proruperint, tametſi ſedulò attenderemus, an gemina illis, quæ Foreſtus *lib.* 6. *Obſerv.* 49. *&* 50. aut Rhodius *Cent.* 1. *Obſerv.* 24. ex ore Prævotii recitant, niſi fortaſſis Viri pariter doctiſſimi & expertiſſimi in obſervationibus ſuis, humano more, hallucinati, exempla Vratislaviæ deprehendere liceret. Continua quidem illa febris erat, in his tamen vehementior, in aliis remiſſior, ejuſque exacerbationis ſatis incertæ, niſi quod tertio die recurrentes aliquibus tertianæ febris ſuſpicionem moverent. Præcedebant ferè febrim hanc laſſitudo & gravitas corporis, pandiculationes & oſcitationes, dorſi lumborumque dolores, qui in ſexu muliebri, ſi adultioribus mulieribus credimus, parturientium dolori non diſſimiles, pulſus ad ſpinam dorſi & ſenſus pruritûs ac punctionis in cute, ſed horror & rigor, præſertim recurrens, rariùs paulò, quem tamen in Angliâ ſatis frequenter variolis laboraturos invadere ex Sydenhamio intelligimus. Frequenter etiam vomitus à primo morbi inſultu fatigabant, iique interdum immanes, aut ſi hi abeſſent, præcordiales anxietates graviſſimæ cum inani vomendi conatu conjunctæ ægris negotium faceſſebant. Alvi fluxus ra-

riores

riores obſervati, & hæc evacuatio non adeò é re ægrorum eſt, fortè quòd motum materiæ à centro corporis ad peripheriam ejus protrudendæ impediat, & retrocedere ad interiora cogat: Itaque alia apud nos eſt hujus fluxûs ratio, quàm in Belgio, ibi enim, ſi credimus Auctori Tentaminis Medici *de Variolis p.* 39. *Pueri multi in principio, augmento, & ſtatu morbi fluxu alvi laborantes ſine noxâ advertuntur.* In pluribus alvus, ſine damno ad aliquot dies erat adſtricta, in pauciſſimis etiam urina ſuppreſſa; vix viſi, qui ſæpè ſe ad reddendam urinam urgeri conquererentur. Urina varia erat, quorundam flammea & intenſè rubra, nonnullorum turbida & opaca, qualis jumentorum eſſe ſolet, quæ poſt eruptionem variolarum interdum clarior reddebatur, interdum verò per aliquot dies à protruſione adhuc turbida excernebatur; aliorum autem pallida, unus alterve cruentam micturiebat urinam. Nares etiam frequenter ſanguinem ſtillabant & poſſemus hìc mutuari verba Stubs in reſponſ. Thomſoni: Multos cognovimus, qui ſuâpte naturâ hæmorrhagias paſſi ſunt iiſque ad 18 vel 20 diem, magno cum commodo. Propenſio in ſudorem non tantùm in adultioribus ingens erat, ut Sydenham obſervavit, ſed etiam in tenerioribus. Nonnulli, præprimis qui erant temperamenti phlegmatici, dormituriebant, alii de turbulentis conquerebantur inſomniis, ac ſæpè expaveſcebant, ac altos ſubinde in illis tollebant clamores. Capitis dolores jam gravativi, jam punctorii, cum temporum pulſationibus erant moleſti. Facies tumebat, atque maxillæ rubebant. Oculos prurientes rubentes ac ſplendentes, quin imò aquâ ſuffuſos quotidie intueri licebat. Lacrymæ quoque injuſſæ aliquando manabant. Palpebræ ac nares dolore pruriginoſo vexabantur. Præterea anhelitus difficultas, vox rauca, tuſſis ſicca, cordis palpitationes, & tandem etiam deliquia non raro obſervabantur. In aliquibus habitu corporis denſiori præditis etiam ſaliva in majori quantitate rejiciebatur. Et hinc quadantenus confirmare licet ſententiam Liſteri, qui arbitratur, cauſam ejus alivationis latere in oſtiolis cutis obſtructis. Pars magna ægrorum corpus variè jactitabat, ipſique infantes in cunis hinc inde ſeſe volutabant. In genere muſculoſo varias ſubinde motitationes, quas nec tumorem nec convulſionem, aut rigorem dici poſſe arbitramur, notavimus, in eâque ſumus opinione, illas quaſi ſubſultus momentaneos muſculorum prorsùs eſſe ſimiles iis, quos Doctiſſimus Simon Pauli Medicus Danicus Celeberrimus *in digreſſion. de febb. malignis p.* 34. nominat non incommodè ἵππον δέρματος, in quo partes aliquas blandè leniterque vellicari perſentiſcunt ægri ceu motacilla avis caudam motitare, aut mus ſub panno ad parietes tricliniorum expanſo, ſeu ludere, ſeu errare liberè hinc inde obſervatur. Hunc etiam ſanis accidere Clariſſimus Vir autumat, quod ob aëris ſubitas mutationes, cœlo jam pluvio, mox ſereno aut ſudo exiſtente, calido, frigido, temperato, tempeſtuoſo *&c.* venæ & arteriolæ muſculorum, imò ipſius cutis, ſimulque ſanguis in iis contentus, means, remeans, inſtar Euripi, ita offendantur, ut ἀθρόως, ac, ut par erat, ac naturaliter convenit illi, circulari aut diſtribui nequeat. Hæc utut ingenioſa ſatis

tis

tis ſunt, malumus tamen ejus cauſam potius in ſubitam tenſionem, ſive tonum ac relaxationem vel remiſſionem fibrarum muſculorum, quàm vaſa ſanguifera conjicere, ac undulantem in iis ſanguinem, cùm ejuſmodi alterationes toni etiam alibi ſatis exiſtant manifeſti. Enimverò Nos in Stadio Noſtro pergamus. Minimè etiam rarò teneriores invadunt motus convulſivi, iique vel particulares e. g. in labiis, oculis *&c.* vel magis univerſales, hoc eſt, in partibus pluribus. Et ſanè ex epilepticis motibus, quibus infantes, dentitione peracta, corripiuntur, non vane, cum Sydenhamio, variolas in procinctu eſſe iterum iterumque prædiximus. Præterea in ſatis multis etiam deliria obſervavimus. Ordinariò poſt valetudinem, die quarto prorumpebant. Vidimus tamen, in quibus vel tardius, vel citius prodirent. Notum autem ſatis eſt in praxi occupatis, quòd, ut accuratè Sydenham deſcribit, in eruptione ſubrubræ primò puſtulæ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes, ſparſim ſe prodant per faciem, collum, pectus & corpus univerſum; quanquam partes illæ, in quibus primò apparent, minimè certæ ſint; ubi inter initia quidem exactè definire vix licet, ſintne variolæ futuræ an morbilli. Ne tamen pulicum morsûs haberemus pro variolis, memores fuimus, quod, ut optime Hafenrefferus *in Noſodochio lib.* I. *c.* 5. *p.* 44. advertit, *in pulicum morſibus, in medio tanquam punctum quoddam morsûs veſtigium inſit, & hoc compreſſione non deliteſcat.* Nonnunquam genæ totæ rubro colore ſuffuſæ, & una quaſi lata macula conſpiciebatur, nihilominus tamen poſteà diſtinctæ puſtulæ oriebantur. Senſim efflореſcentes illæ maculæ ſubeunte humore agebantur in altum & evadebant faſtigiatæ ac diſtinctæ, quæ multò erant tutiores, ſi in baſi eſſent rubræ, ſupra autem albæ, eminentes & molles, quàm illæ, quæ in latum exporrigebantur. Et ſanè depreſſæ & malè figuratæ, ut & duriores, quæ inſtar verrucarum ſeſe habebant, nunquam fuere ſine periculo. Quo paucioribus corpus erat conſperſum, eo magis res in vado erat. Mali ominis erant, quamquam non adeò frequentes, lividæ, violaceæ, certi verò lethi prænunciæ, quæ maculâ nigrâ in medio deformabantur; id quod in Angliâ etiam compertum; ut videre eſt in Mortono *in pyretolog. p. m.* 39. In quibuſdam cacochymicis corporibus notavimus in interſtitiis variolarum petechias, aliaſque maculas, nonnunquam etiam veſiculas aqueas, atque inde ut plurimùm funeſti eventûs præſagium cœpimus. Ejus verò generis variolæ, quæ de malignitate non poſſunt non eſſe ſuſpectæ, hoc tempore in paucis, ut diximus, ſpectabantur. Paulò ante narratum eſt, quòd ſymptomata cum eruptione variolarum utplurimum conquieverint, non defuere tamen, qui febri, difficultate ſpirandi, anxietate, cruciatibus inſignibus circa lumbos, etiam poſt eruptionem, vexarentur. Atque hi non erant extra periculum conſtituti, evaſere nihilominus plerique, modò abeſſent inexpugnabiles vigiliæ, phrenitis, crebra deliquia, palpitationes cordis, motus convulſivi, urina nigra, vel hæmorrhagiæ enormes, alvi profluvium, hæc ſiquidem atrocia ſymptomata mortem denunciabant. In aliquibus admiſſo frigore, alioque incommodo regimine, retrocedebant, iterumque occulebantur, non ſine ſummo diſcrimine vitæ. Et profectò de hâc actum eſt,

 ut

ut ex pallore, frigore extremorum algido, & anxietatibus immanibus, & denique rebus per momenta in pejus ruentibus, colligere licet, niſi iterum expellantur. Cæterum etiam apud nos circa octavum, à primo inſultu, diem, in facie intervalla puſtularum priùs alba rubere incipiebant, in tumorem attolli, & dolore tenſivo affici, extendebantur palpebræ, & ut veſica inflata, haud raró, oculos claudebant, quæ & in Angliâ ita fieri diſcimus ex Sydenhamio. Proximæ à facie intumeſcebant, manus digitique diſtendebantur. Calamitoſum eſſe, ſi puſtulæ ſatis commodè elevatæ, vel ſuâ ſponte, vel externâ aliquâ de causâ ſubitò concidant, iterum iterumque experti ſumus. Conſtat verò ſatis, quòd in ſtatu inflammatoriæ ſuppurationis nova febris accendatur. Variolæ debitè elevatæ ac maturæ, pus fundebant ſatis coctum. Senſim ſanies illa exſiccabatur, relictâ in mediô, poſt corrugationem, foſſulâ, ac ultimò variolæ exareſcebant, & decidebant, quod, ut optimè notat Clariſſ. Wedelius, circa diem decimum quartum contingit, poſtquàm utplurimùm à die XI. decrementum fuere ſortitæ. Nihil autem attinet hîc commemorare, quòd poſt hoc tempus occurrerint veſtigia variolarum rubicunda, transparente per cutim attritam ſanguine, & ſæpius varii generis cicatrices remanſerint, cum hæc non temerè quenquam lateant. Hoc neutiquam ſilentio prætereundum, quòd variolis exſiccatis, majores tumores & abſceſſus ſubinde in artubus obſervaverimus, & licet tùm variolæ vel malignæ, vel epidemicæ non graſſarentur, teſtari tamen poſſumus, ejuſmodi abſceſſus ploraſſe ſubinde pus acerrimum, venas, niſi in tempore occurreretur, exediſſe, conſumpſiſſe carnes ac ipſa vitiaſſe oſſa, & membris omne robur ademiſſe. Qualia duo miſeranda imprimis exempla viderunt DD. Samuel Graſs & Maximilianus Preus, ille in mercatoris filiolo tenerrimo 18 ſeptimanarum, hic in pannificis filiâ unius anni ætatis, ex tumore & abſceſſu ſinuoſo circa flexuram cubiti dextri ſub variolis confluentibus enato, oſſa ſimul ibidem carie afficiente, & ſeptima poſt eruptionem variolarum ſeptimanâ filiolum, octavâ verò filiolam jugulante. Pariter quoque ſub variolarum curſu in pueris quibuſdam conſpexerunt glandis cuticulam à lympha acriore & fervidiore in veſicas ingentes pellucidas magnitudine caſtanearum elevatam, cum inſigni ſimul rubore inflammatorio circa frænum, diſtorſioneque enormi totius colis, quemadmodum in aſciticis quoque fieri ſolet, cataplaſmate tamen ex ſpeciebus emollientibus & diſcutientibus feliciter curatam.

Varias ſenſuum læſiones, à variolis etiam ritè tractatis, e. g. vitia oculorum, depravationes organorum auditûs & olfactûs *&c.* aliquoties notavimus, ut de noxis gravioribus pectoris ac artuum, paralyſi *&c.* jam non dicamus.

Cùm verò, ut optimè Mayerne *in appendice ad praxim Medic. p. 596. & ſeqq.* duo ſint maximè periculoſa tempora, initium eruptionis, alterum à IX. die ad XI. quando matureſcunt, ad utrumque in curâ reſpeximus ſollicitè.

In primo quidem conſideravimus gradum efferveſcentiæ febrilis, præ oculis habentes pulſum, calorem, ſudorem *&c.* Piaculum nobis fuit, ſi motus & agitatio jam ſatis magna in ſanguine deprehenderetur, ebullitionem in infantum,

ſantum, puerorum juvenumque corporibus calidioribus remediis augere, unde etiam apud nos exularunt tinctura bezoard. ♁. eboris, C.C. pulveres bezoard. myrrhat. c. ſalib. volat. miſti &c. Religioni etiam nobis duximus intempeſtiva calefactione, coopertura lectorum, plumis diſtentorum, ac pannorum, igni, in ſanguine, oleum affundere, alieniſſimi præterea ab obtrudendis juſculis, quæ vocant conſummata, aut aromatibus, ut ferè mos eſt, conditis, imò in vehementiori iſtâ ſanguinis deſpumatione, victum refrigerantem, moderatiſſimè calidum aërem (cavendo nihilominus præcipites refrigerationes) commendavimus. Novimus præiviſſe hîc nobis ipſos Arabes, qui ſeculo ferè duodecimo, primi hunc morbum deſcripſerunt, ejuſque curandi methodum ad nos tranſmiſerunt; imò fortè primitùs eundem etiam experti ſunt, ejuſque ſeminia & contagia ad alias gentes propagarunt juxta Sidobr. *de variolis c.* 1. *&* 8. *p.* 6. 7. 82. 86. Nam & hi, ut conſtat ex Avicennâ, variolis correptos cibari voluerunt jujubis, dactylis, lentibus, cucurbitis, tamarindis, ſucco prunorum, quibus quidam in Angliâ juſcula alia, alterata acidis, e. g. acetoſâ, berberibus, omphaceo uvarum, limonibus *&c.* haut incommodè adjungunt. Nos quidem in enormiori æſtu, & hæmorrhagicis ſanguinis exundationibus, tùm ſubacidis aliis, tum ſucco citri, aut ſyrupo acetoſitatis citri diligenter uſi ſumus, tum ne quidem à nitroſis abſtinuimus.

Venæ ſectio ferè apud nos celebrata non fuit, quamvis minimè dubitemus, eam habere locum in initio ante eruptionem, in intenſiori ſanguinis ebullitione, ſi æger ſit ætatis provectioris (quamvis Cl. Rolfincius ne tenellulam puerorum ætatem eam impedire ſcribat *lib. de febb. c.* 80.) adſit plethora, cum pulſu magno & vehementi, & robur virium infractum, ſi diætam vinoſam & aromaticam ſectatus, & tandem nulla malignitas appareat, modo ante eruptionem celebretur. Nam etiamſi ſatis gnari ſimus, quòd etiam poſt eruptionem à V. S. Mercurialis aliique non abhorreant, nos tamen periculo eam non vacare, imò lethalem eſſe poſſe, cum Veſalio credimus. Scrupulum illum de turbato per V. S. naturæ conatu atque humorum ab extimis ad intimas corporis ſedes retroceſſu doctè eximit Caldera *in Tribunali medico lib. de Variol. c.* 9. ac ſimul evincere ſatagit, quod nec vomitus nec ventris fluxus ſanguinis miſſioni contraindicet. Confer etiam Bartholinum *in Ciſt. Medic.* Nec ambigimus etiam loco V. S. ſurrogari poſſe cucurbitulas, ac eas rectè applicari lumbis, natibus, poplitibus, id quod facere ſolitum Mercurialem patet ex ejus *lib.* 1. *de morb. pueror. c.* 3. qui hâc in re etiam ſibi conſentientem habuit Riverium.

Avariſſimâ manu dedimus opiata, quæ ſanguini æſtuanti frænum injicere aliàs non ignoramus, & ab ipſo etiam diaſcordio ordinariò ferè abſtinuimus.

Cæterùm cum Williſio, ſi efferveſcentia illa nobis juſto videretur minor, lenis & blanda diaphoreſis placuit & hinc cardiaca moderata aliquoties in die exhibuimus, rati nos eo ipſo naturam ducem ſequi, cùm diaphoretica ad circumferentiam propellant, minimè aliàs inquirentes, an, quod Williſio placet,

natura toto tempore eruptionis unam & continuam criſin moliatur. Elegimus verò hîc ea, quæ ſimul figunt & præcipitant, qualia ſunt mater perlar., corall. ppt., ♁. d., C. C., lap. bez. oriental. & occidental. Interdum emulſiones ex ſem. nap., aquileg., citr., c. ▽. card. b. ſcabioſ., ſcord. &c. factas & debitè edulcoratas, ut tenellorum guſtui adblandiremur, propinavimus. Ægris phlegmatici temperamenti etiam calidiora, in quorum numero ſunt tincturæ bezoard. variorum, eſſentiæ myrrhæ, ſcord. &c. pro re natâ exhibuimus; ut vel hinc videas, nos non approbare eorum ſententiam, qui ſolis refrigerantibus, vel ſolis præcipitantibus incumbunt, poſthabitâ expulſione. Purgantibus in hoc morbo apud nos locus nullus, imò propemodum hîc ſubſcribimus laudato antea Mercato, Rudio, Minadoo, aliiſque, qui eorum uſum non ſatis tutum arbitrantur. Nec temere imitandum hîc Sylvii cenſemus exemplum, qui purgantibus & vomitoriis in principio variolarum ſæpius eſt uſus. Imò ne Enematibus quidem naturâ in expulſione occupatâ, alvum irritavimus, quâ in re nobis adſtipulantem habemus Frid. Hoffmannum Seniorem. Interim prorſus non negamus, in certis conſtitutionibus aëris aliquando lenientia tutò poſſe dari, id quod probat Ballonius *lib.* 1. *Epidem.* & *Ephemerid. p.* 37. Et in præſervatione quoque à variolis non ſunt uſus contemnendi cathartica.

Non poſſumus non hìc ὡς ἐν παρόδῳ monere, nimis audacem nobis videri aſſertionem Cl. Dolæi, qui, cum multa ſcripſiſſet in liquoris antivarioloſi, quem cum Waldſchmidio inveniſſe aliunde nobis conſtat, laudem, quam ei minimè detractum imus, tandem in hæc verba prorumpit, *in Encyclopædiâ medicâ & dogmaticâ lib.* 4. *p.* 130: *Tot liquoris noſtri antivarioloſi videmus effectus, ut ſpondere audeamus, neminem impoſterum variolis mori poſſe, modò hoc utatur medicamento & calorem lecti primis fugiat diebus.* Innotuit quibuſdam ex nobis deſcriptio ejus liquoris, tantam autem virtutem in eo deprehendere minimè potuimus. Profectò non injurii ſunt in manes Doctiſſimi Dolæi, qui nimium hoc encomium adſcribunt cœco in inventa propria amori; adeoque in hoc remedio inſigne proſtat exemplum, quòd non tantum parentes filios, licet non optimæ indolis, & poëtæ ſua carmina, ſed & medici deperean ſua medicamenta.

Ultimò alterantibus ſelectioribus & confortantibus ſitim profligare & ſeri defectum ſupplere, ejuſque acrimoniam retundere conati ſumus. In ejuſmodi medicamentorum cenſu ſunt tùm ante jam laudatæ emulſiones, decocta ſcorzoneræ c. C. C. decoct. citr. papaveracea, hordeacea cum ſeminibus fœniculi, lentibus excorticatis, ficubus, dactylis &c.

Appetente exulcerationis tempore, & puſtulis non debitè ſeſe attollentibus, pulveres bezoardici, tantillo myrrhæ & croci grano uno alterove remixti ſuppetias tulere exoptatas. Variolas planè maturas & pure acriori turgentes rarius quidem fecimus aperiri, nihilominus quidam Noſtrûm meminiſſe pauperioribus non ſine ſucceſſu fuiſſe Auctorem, ut exanthemata ejuſmodi in magnum ulcus concreta vel acu aperirent, vel etiam forficibus capita reſecarent.-

carent. Dum variolæ exareſcerent, pulveribus, quorum mentionem fecimus, addimus lap. 69., de quorum virtute balſamicâ minimè aliàs ambigi ſolet. Symptomatibus magis ſonticis remedia Practicis celebrioribus uſitata oppoſuimus. Inter iſta frequentiora ſunt 1. vomitus diuturniores & graviores, quos bezoardicis compeſcuimus. 2. Hæmorrhagiæ narium nimiæ, in quibus ſiſtendis internè nitroſa, externè autem camphora c. aceto aliquid laude dignum præſtitit. 3. Convulſiones cum anxietatibus, tremoribus, pavoribus in ſomno, quibus in circumſtantiis opitulabantur, quæ ſanguinis diſtributionem æquabilem promovebant, quibus prælucent temperata alexipharmaca, non neglectis cinnabarinis. 4. Faucium, laryngis &c. pathemata, æſtus inflammatorii, quorum mitigatio à notis mucilaginibus, gargariſmatibus & lacte ipſo non vanè expectabatur. 5. Mictio cruenta, cui tollendæ lenientia, emulſiva & diluentia &c. inſerviunt. 6. Diarrhææ & dyſenteriæ, utut rariores, à quibus bezoardica & anodyna in doſi refractâ ægri noſtri liberabantur. 7. Tumores emplaſtro de meliloto, aliiſque emollientibus & ſuppurantibus auſcultabant.

Alia mitiora hic loci recenſere non vacat, nec immorari placet commemorandis iis, quibus macularum veſtigia abolere licet, in quibus recitandis diligenter verſatur D. Mayerne. Nihil certius verò tutiusve obſervavit D. Graſſius ſapone Neapolitano balſamico, ſi partes affectæ bis in die hoc illinantur & poſt quadrantis horæ ſpatium aquâ ſimplici abluantur. Coronidis loco tribus monemus verbis, nos, tametſi ſatis multos tractaverimus varialoſos, hactenus minimè deprehendere potuiſſe, quod variolæ ſint animatæ, ac innumerorum minutiſſimorumque, vel atomorum ad inſtar inſenſibilium, vermiculorum pullago, quod Clariſſ. Langius defendit: Id extra controverſiam eſt, quòd aliquando variolis laborantes infeſtentur vermibus, & hi ſub cruſtis iterum fuerint deprehenſi, id quod & nos vidimus, & ante nos præter Zacutum, Joëlem, Sennertus, Borellus, Crato aliique; Conf. Bartholin. *Cent.* 2. *Epiſt.* 85. *Cent.* 5. *hiſtor.*20. Rhodius *Cent.*3. *Obſerv.*64. Ephemerid.Noſtr.*Dec.*1.*ann.* 3. *Obſerv.* 28. At verò hinc neutiquam colligere licet, quod ipſa variolarum ratio & eſſentia ſita ſit in hâc vermium pullulagine, quippe quam etiam cum multis aliis complicari morbis notum eſt, ut in Compendio cernere licet *in Cynographiâ curioſâ Sect.* 4. *c.* 8. celeberrimi Collegæ noſtri Paulini. Vidimus aliquando variolas non pure ſed flatu turgentes, ex quibus tamen inferendum minimè eſt, variolas inter morbos & tumores flatulentos numerari. Diximus de variolis, quæ ſatis fuere hoc anno benignæ, multò autem frequentius, hoc, quo ſcribimus, & cum majori clade fuere graſſatæ. Præprimis autem confluentes ſtragem aliquam dederunt. Et ab hâc clade domus Collegæ noſtri D. Helwich non fuit immunis. Confluentes enim variolæ trimulam optimæ indolis filiam, parentum & domeſticorum amorem & delicium, Mariam Theodoram d. 9. Mart. more eryſipelatis corripiebant & ſequentibus diebus in facie ſibi invicem implicitæ vultum inſtar veſiculæ rubræ contegebant. Diceres puellam hanc oculis Sydenhamii fuiſſe objectam, cum hiſtoriam vario-

larum confluentium adornaret: ita prorſus vivis coloribus ejus morbum deſcripſit. Maturè ſatis intumeſcebat vultus, palpebræ extendebantur, & ut veſica inflata oculos claudebant, & nimis citò, octavo ſcilicet morbi die, tumor recedebat, ita ut die ſequenti oculorum miniſterio iterum uti poſſet. Die morbi 10. facies planè flaccida erat, ac interſtitia inter puſtulas albeſcebant. Die morbi undecimo, hoc eſt d. 19. Mart. prægreſsâ turbulentâ admodùm nocte, bis leniter convulſa, poſt preces, quibus animulam ſuam Creatori commendabat, placidè obdormivit, nimis acre ſui deſiderium in parentum animis relinquens.

Spaſmodici affectus. Varias morborum ſpaſmodicorum ſpecies tractavimus eodem tempore, ac convulſionum genus non unum vidimus. In ſpaſmo cynico compertum nobis, topica non tantum in principio nervorum, ſed & bono cum ſucceſſu muſculis in latere oppoſito applicari. Tria illa capitis atque cervicis ſpaſmorum genera aliquantò apud nos ſunt rariora. Inter motus convulſivos, inter quos epilepſia primum tenet locum, ſatis communis apud nos erat in fœminis hyſtericis ac ſpleneticis ille gradus, quo ſine ullis partium externarum ſpaſmis, omnium ſenſuum ac motus exercitio privabantur & concidebant ægræ ejuſmodi fœminæ. Vulgus noſtrum ait, *ſie ſind in Ohnmacht verfallen*; quanquam aliquando etiam Viri eundem affectum incurrant. Apud fœminas vulgò audit epilepſia uterina, & curabatur methodo à practicis præſcripta. E contrario novimus, interdum corpus variis motibus concuſſum ſenſuſque maximam partem fuiſſe integros, ita ut omnium, quæ circumſtantes egerant, recordarentur finito paroxyſmo, cujus commatis hiſtorias recitant Bartholin. *cent.* 2. *hiſt.* 9. ut & Doctiſſ. Neukranzius *de purpurâ c.* 33. cujus rei vidit duo iſthoc tempore exempla D. Helwich, alterum in conjuge fabri murarii, ſæpius in uno die ita concidenti, & ultra horas aliquando ſine ſermonis uſu jacente, hæc enim cum à ſervâ duriuſculè habita, in paroxyſmo colaphis percuſſa eſſet, rediens ad ſe graviter de injuriâ iſtâ & ignominia cum miniſtrâ expoſtulavit, eandemque verberibus probè depexam ex ſervitio dimiſit: Alterum in virgine plethoricâ antehâc vegetâ & robuſtâ, à cujus latere cùm mors aliam virginem ejuſdem lecti ſociam improvisò abſtuliſſet, eoque tempore Noſtra tributum menſtruum perſolveret, in hanc miſeriam, ſingulis menſibus inſtanti muliebri profluvio redeuntem, lapſa eſt, ita tamen, ut omnium dictorum factorumve, poſt ſuperatum inſultum, vivat memor. Acta, ad ſubigendum hunc affectum, varia, ſed omnia hactenus fruſtra. Singulare quoque Exemplum talis ſpaſmodici affectus viſum fuit D. Pauli in Matronâ Nobili, quæ miris modis eo agitata, integro & intellectus & omnium ſenſuum & loquelæ uſu, tandem convaluit, optimumque per veſicatoria artubus applicata, nacta eſt auxilium.

Colica. Colici doloris nomen Civitati noſtræ non eſt incognitum, ſicuti quondam Romæ tempore Principatûs Tiberii, quo id malum in illam irrepſit teſte Plinio *lib.* 26. *H. N. c.* 1. Sæpiſſimè enim ſævis illis doloribus homines apud nos torquentur, quos cruciatus diros non pauci arceſſunt ſibi,

dùm

dùm corpus diſtendunt pinguibus, omnis generis leguminibus, flatulentiſque aliis, crudis ac dyſpeptis, dùm cereviſiâ aut frigidâ vel acidâ vel recenti ſtomachum replent, aut neſcio, quæ non alia deglutiunt, quæ idem præſtant, quod aureus nummus ingeſtus, quâ de re Borellus *Cent.* 4. *Obſ.* 25. & Bartholinus *Cent.* 3. *ep.* 69. evolvi poterunt, vel abdomen contra frigus non debitè muniunt. Notum ſatis eſt, quòd dolor ventrem infimum occupet, & licet ſæpiſſimè circa umbilicum ſæviat, nihilominùs non raro vel ſiniſtram, vel dextram abdominis partem affligit, unde ab ignaris, vel lien vel hepar affectum creditur, quin etiam circa dorſum, juxta renes, dolor ille verſatur, & ſicuti utplurimùm vagus & inſtabilis eſt, ita ſupra infraque umbilicum oberrat, & ſub ipſo cordis ſcrobiculo ſæpè ſeſe exerit, dextra tamen magis parte, atque hac ratione aliorum morborum, ipſius etiam pleuritidis larvam induit, cujus rei cauſa in anfractuoſo coli ſitu quæri debet. Nam hoc, ut notum eſt, relicto inteſtino recto, ad ſiniſtrum inguen divertit, ac ad ſiniſtrum renem adſcendit.

Non unius autem generis eſt dolor, ſed modò *terebrans* ac rodens, ubi ferè pituita acida ejus cauſa eſt, ſubiude etiam in infantibus bilis porracea & æruginoſa, modò *gravativus*, quem fovet pituita ſimplex, modò *diſtenſivus & gravativus*, qui vel fæcibus induratis, ubi pali infixi ſenſus, vel flatibus *&c.* ſua debet incunabula, hi enim, ſi non liberè per ſuperiora & inferiora erumpant, ſed conſtrictis tunicarum inteſtinalium fibris, aut iiſdem nervis nimium tenſis (quod crebro experiuntur iræ, triſtitiæ, mœrori dediti, aut ſuſpicionibus nimium indulgentes) incarcerentur, aut humoribus craſſis, viſcidis *&c.* obvolvantur, aut propter herniam inteſtinalem, vel illapſum ſuperioris partis inteſtini in cavitatem inferioris, aut propter tumorem canalis cavitatem aliquo modo coarctantem, detineantur, exquiſitiſſimorum tormentorum colicorum auctores ſunt, & tantam inteſtini coli aliquando efficiunt tenſionem, ut velut infantis brachium ſubeſſe videatur in fœminis. Sic colicos ejuſmodi dolores atrociſſimos ac pertinaciſſimos obſervavit in generoſo quodam Equite, enterocele ſcrotali laborante, cum obſtructione alvi & vomitibus bilioſis ac ſtercoreis tandem, D. Preus, qui nec hernia repoſita, nec aliis remediis cedebant, cucurbitulâ tamen, quam ventoſam vocant, cum flamma regioni epigaſtricæ applicatâ, ex voto tandem ſublati ſunt. Quotieſcunque autem flatus turbas cient, magno cum murmure fremunt, & borborygmi aures adſtantium obtundunt, qui futuram humidi dejectionem aliquando notant.

Sed tormentum immaniſſimi doloris colici ſolet eſſe majus, ſi alvus ſit adſtricta, quod communiter fit, & ſanè unicuique conſtat, quod ea ſæpiſſimè ita ſit impedita, ut ne flatum quidem emittere poſſit, & ſi vel ſponte, vel clyſteribus ſollicitata ſuo fungatur munere, excrementa ſicca, vel more ovilli aut caprilli ſtercoris in globulos intorta deponat, non ſine levamine, nam vel ructu, flatuve prorumpente, dolor ille ſolet imminui. E contrario aliquando alvus concitata eſt, & in quantitate ſatis magnâ ejiciuntur excrementa. Non raro etiam urget nauſea & vomitus ac, in graviori malo, ſingultus & cardialgia. Cumprimis verò affligit anxietas cordis cum reſpiratione frequenti, conjuncta

cum

cum pavoribus, contractione crurum, torpore frigido, mentis hebetudine ac lipothymia. Pulſus celer eſt, ac, verbo Aureliani, parvus ac denſus. Urina magis utplurimùm tincta ac ſpumoſa, imò viis urinariis, in conſenſum doloris, tractis, ea nonnunquam ſupprimi ſolet. Ægri etiam ſiti ſatis magnâ premuntur, & ut de gravitate capitis, aliiſque ſymptomatibus interdum ſupervenientibus, epilepticis, inquam, motibus, ſyncope &c. jam nihil dicamus, non infrequenter dolores colicos excipit icterus, obſtructo à viſcidis humoribus ac flatu, poro cholodocho; Hinc verò fit, ut bilis, quæ in inteſtina penetrare nequit, regrediatur in ſanguinem, & cum eo totum corpus perambulet, ac illud citrino tingat colore. Vidimus dolorem colicum imprudenter emeticis tractatum, tranſiiſſe in hydropem.

Vocati ad ægros, dolore coli excarnificatos, ac de obſtructâ alvo informati, eò laboravimus, ut eandem redderemus fluxilem, nec tamen unicum ſemper in enematibus præſidium quæſivimus, ac multoties experti, quaſi ex tripode profectum illud Doctiſſ. Rolfincii effatum, *κατωτερικὸν unum, cum judicio adhibitum, in dolore colico unâ reſolvi elavâ, quod vix decem attingunt clyſteres.* Nec à verô abludit illud Riverii, obſervatum eſſe, quòd, cùm æger quidam triginta clyſteres, ſine fructu, accepiſſet, alius Medicus mannæ unciam unam ſemis in oleo amygd. d. unc. duab. exhibuerit in pingui gallinæ juſculo, & ægrum dolore liberarit.

Quapropter non rarò curam auſpicati ſumus 1. à lubricantibus, pinguibus & oleoſis, e. g. mannâ in aquis carminantibus ſolutâ, oleo amygdal. d. 2. Lenioribus purgantibus c. nitroſis & tartareis &c. prudenter mixtis.

Quâ occaſione etiam virtutem ♁ii d. extollere minimè veremur. Eminere enim in illo virtutem eximiam carminantem, uſuris erit manifeſtum. Novimus, quod à quibuſdam purgantia c. opiatis in ejuſmodi doloribus præſcribantur, noſtram tamen ſpem nullatenus adimplevere, tametſi, ex præſcripto Theoreticorum, aliquando nos fortiora purgantia c. anodynis, debita quantitate ordinaſſe, recordemur, imò potiùs majores ſubinde tumultus, citra ſcopum purgandi, ex iſtiuſmodi pharmacis obſervavimus. Ubique itaque evacuantibus locus, optimo cum ſucceſſu dedimus potiunculas ex ▽.laxat.vienn., ſyrup. Regio, domeſtico, roſarum ſolutivo, & ſale eſſentiali tartar., ſpec. diatartar., pulv. gialap. &c. Habere autem lenientia locum, Practicis abunde conſtat, ſi dolor non hæreat fixus in fine coli inteſtini, ſed aut in principio ejus, aut etiam in tenuibus. Nam licet dolori huic à parte affectâ colici nomen inditum ſit, non tamen putandum, quòd alia inteſtina prorſus nunquam tortorem hunc patiantur, ſed propterea huic cruciatui nomen colici tributum, quia colon illum frequentius patitur, eò, quòd utraque extremitate ſit medio ſuo corpore anguſtius, unde hâc parte facile excrementis & flatibus repletur.

Itaque meminimus, nos lenitivo ſopiviſſe colicam flatulentam, in quâ ſtrepitus puri, reſonantes & clari per inteſtina prorumpebant, cùm nec enematibus, nec carminantibus compeſci antea potuiſſet, eò, quòd in ſuperiori inteſtini coli parte, ut ex ſtrepitu illo colligere licebat, excrementa admodum dura continerentur.

tur. Quo in caſu laxantia in formâ potiuncularum præſcripta, reliquis antepo-nenda eſſe cenſemus, quod & fecimus, quando flatus quaſi ſtridorem referebant, quippe qui exiguam humiditatem excrementis ineſſe notat. Nec eſt contra Medici authoritatem etiam ad hæc ſordidiora attendere, quamvis διαῤῥοςίαν τῆς διανοίας proderet, qui ad lectum ægri coram mulierculis aliiſque circumſtantibus, de hiſce diſſereret. Per nos licet, ſedes doloris etiam examinetur, modò memori ſit in pectore, quod inteſtinorum poſitio mutetur nobis jacentibus, à nobis ſtantibus, quâ de re conſuli meretur Nicol. Cheſnau *lib. 3. Obſ. c. 4. p. m. 256.*

Ubi enematibus locus, ea etiam, adhibita fuere, atque plus vice ſimplici obſervavimus in ſanguineorum præſertim hypochondriacorum hyſtericarumque doloribus colicis, clyſteres ex carminantibus calidioribus, ſem. cal. bacc. laur., terebinthina magis obeſſe, quàm prodeſſe, ac his anteire enemata ex emollientibus, inter quæ decocta capitum vervecum aut pedum vituli, non poſtremam merentur laudem; Nam illa augendo tenſionem fibrarum, ſimul etiam augent dolorem, quem hæc minuunt & demulcent, quod etiam præſtat clyſter ex lacte cum malvâ, quo ſæpiùs utitur Celeberr. Wedelius; omnibus verò palmam præripiunt olea expreſſa, loco clyſterum infuſa.

Topica ac externa proſunt, tùm potiſſimum, quando ab incauta refrigeratione malum oritur, aut aliunde nata obſtructio tranſpirationem inſenſibilem prohibet ac retenta effluvia in flatus obfirmat, quo in caſu diſcutientia temperata & humida actu calida, laudatiſſimi uſus ſunt, quemadmodum calidiora in ſanguineis & vino deditis, dolores intendunt; id quod etiam contingit, quando ſanguis ſtagnat, ac tranſitus ejus ex venis in arterias eſt impeditior, vel etiam, quando orificia venarum meſaraicarum ſunt obſtructa, ut &, ſi lympha per organa ſecretoria, prout leges œconomiæ animalis exigunt, ſeparanda eſt lenta ac viſcida, in his, inquam, caſibus omnibus, calidiora externa minus recte adhibentur, ac temperatoria humida calidè applicata magis expectationi reſpondent.

Interna, habito ad cauſam doloris reſpectu applicavimus.

In dolore à pituitâ acidâ profuerunt non tantùm ſalia volat., prudenter adhibita, e.g. ſal. c. c. vol., ſuccin. *&c.* ſed ea omnia, quæ in cruditate acidâ aliàs à Practicis laudantur, cujus generis ſunt nota abſorbentia, mater perlar., corall., cryſtall. montana ac cinnabarina. Sic novimus, multoties & referente D. Pauli, Illuſtri imprimis Perſonæ colicis doloribus ex accumulata intra primas vias pituitâ acidâ tentatæ, & opiatis ab imprudenti quodam Medico exhibitis, in Iliacum morbum conjectæ, ſalia volatilia intra clyſmata optimè profuiſſe.

In moleſtiis à pituitâ ſimplici, danda opera eſt, ut ſaburra ex corpore exigatur.

De cætero attendendum, an ſubjecta ſint frigidiora, an calidiora; Iſtis optimè conducunt *tùm aromatica acria*, item eſſent. zedoar., galang., calam. aromat., acori *&c.* imò ipſum balſamum Peruvianum: *tùm amara* e. g. eſ-

V ſentia

ſentia abſinth., cent. minor. Majori autem æſtu flagrantibus ea ferunt opem, quæ in acida cruditate convenire jamjam indicavimus. Optimè etiam ſe gerunt *ſalſa*, ut liquor terr. fol. tartar., tartar. vitriol. arcan. 2pl., cremor & cryſtalli tartar. *&c.*

Intenti etiam fuimus flatibus diſcutiendis, nihilominus decantatiſſimis illis carminantibus ▽.carmin., ▽. vit. Matth., phyſogon., eſſent. carmin. D. M. & Wed. ol. carm. M. ol. cort. aur., cumin., aneth., piperis *&c.* ſpir. menthæ eſſentific. juniper., cort. citr. *&c.* circumſpectè uſi fuimus, cùm promiſcuus & empiricus horum abuſus, ut experientia docet, gravem inferat noxam, quam non facilè obſervare licet ex nitroſis & nervinis, ac ex hauſtu vini generoſioris. Galanga & zedoaria eximii uſus ſunt in doloribus colicis, partum inſequentibus, ſi virtus earum adjuvetur ſacculis paregoricis ex fl. chamom. R., ſem. carv., bacc. laur. *&c.* In aliis atrocioribus doloribus cum ſucceſſu licet abdomen fovere decocto hyoſcyami ad exemplum Drawizii.

Colica biliosa. In *Colicâ*, quam *bilioſam* vocant, præter ſymptomata jam enumerata, adeſt æſtus maximus (habitus verò corporis externus horripilationibus eſt obnoxius) qualis in ardentibus febribus eſſe conſuevit, moleſta eſt oris ſiccitas, graves ſunt vigiliæ, dejectus eſt prorſus appetitus, rubor faciei ſatis intenſus in oculos incurrit, qui accedente ictero in flavum abit, ſingultus excruciat, anxietas præcordialis, conatus vomendi, ac non rarò ipſe vomitus torquet, alvus in fluorem concitata eſt. Huic non raro per certa temporis intervalla in orbem redeunti moleſtiæ obnoxii ſunt homines cholerici & ſanguineo-cholerici diætam calidiorem ſectantes, quando vel brevi ante prandium & cœnam, vel poſt cibum ſumptum, iracundiâ efferveſcunt, & nihilominùs frigidiorem aut fæculentum potum ingurgitant, vel dulcia fermenteſcibilia, in quantitate notabiliori, ingerunt. Facilè enim apparet, quòd per impetuoſam illam bilis ſinceræ in duodenum dejectionem, præſentibus cibis fermenteſcibilibus ex ſubacidâ ciborum, & tenui ac ſulphureâ bilis ſubſtantiâ, naſcatur cauſtica quædam acrimonia, quæ exquiſitiſſimo arroſionis ſenſu inteſtinum duodenum ipſumque ventriculum afficit, &, ſi vomitu rejiciatur, fauces non rarò excoriat, ac dentes ſtupefacit, aut per alvum exturbata, inteſtino recto, eroſione & ſenſu ardoris ac pruritûs infeſta eſt.

In curâ, tametſi alterantia, & inteſtinorum dolorem mitigantia, minimè ſint aſpernenda, & aliquando etiam ipſæ Emulſiones ex ſem. cucum., cucurb., melon., papav. alb., non omiſſis reliquis, ut & ſerum lactis tamarindinatum, juvent, nihilominus acrem bilem potius abſtergendam & blande evacuandam judicamus. In ingenti dolore, oleum ex amygd. d. ſelectis recens, & ſine igne expreſſum mannæ in jure pulli diſſolutæ rectè admiſcetur. Ac tentaturi non negabunt verè quondam ſcripſiſſe Thomam Mermannum, nihil præſtantius inveniri diluto rhabarbari cum mannâ. Si enormiores vomitus uſum horum non admittunt, clyſteres ex lacte vaccino, oleo violaceo, additâ electuarii lenitivi Florentini aliquâ portione, adhibentur.

Porrò

Porrò cautiſſimè etiam proceſſimus, quando ſuſpicabamur, tendinem coli, quo tunica nervea & cruſtoſa, in certis rugis & valvulis, detinetur, vel arroſum, vel inflammatum eſſe, quod in diuturnioribus doloribus fieri admodum eſt probabile. Oppoſuimus verò huic malo eadem, quæ dyſenteriæ incipienti aliàs opponuntur, niſi quòd dolorifica hæc affectio commodiùs per clyſtere tractetur.

Præter modò deſcriptam colicam reperitur etiam alia, quæ dicitur *Convulſiva*, in hâc abdomen modò cùm umbilico retrahitur, modò diſtenditur, ſive venter inæqualiter contrahitur & latera apparent obliqua, & muſculi recti recta introrsùm incurvati, ut optime Tulpius *l.* 3. *obſ. c.* 22. *p.* 227. ventriculus ac inteſtina ſursùm contrahuntur, ureteres & veſica urinaria, quin in abdomine contenta viſcera omnia convelli videntur, nec ab hâc libera ſunt vaſa genitalia, quòd involuntaria ſeminis excretio & retractio teſticulorum probat. Confer. Hœchſtetter. *Dec.* 5. *Caſ.* 1. *&* Heurn. *in lib. de morb. cap. c.* 25. Imò thorax quoque in conſortium trahitur; ſicuti colligere licet ex reſpiratione ſublimi & anhelosâ ac difficili. Nec his limitibus coërcetur mali violentia, nam, ut vere Williſius *in parte pathologicâ de anim. brutor. c.* 15. in capite vertiginoſi affectus frequenter hujus morbi inſultus aut præcedunt, aut ſequuntur; obſervavimus etiam, nonnihil mentem in paroxyſmo aberraſſe. Cujus generis colica ſcorbuticis, venereis, & pertinaciori à febri non ritè liberatis eſt familiaris, ac ingraveſcens dolores in membris exterioribus accerſit, ac demùm in paralyſin terminatur. Ejus rei exemplum in Sacerdote Ordinis Carmelitarum hoc anno D.D. Samuel Graſſius & Helwich viderunt. Quinquagenarius is circiter erat temperamenti melancholici & habitûs ſiccioris, vino Auſtriaco adſuetus, ac præterea à multis annis hernioſus, ſæpiùs ab exordio virilis ætatis, etiam ante herniam, ſpaſmodicis abdominis afflictionibus obnoxius. Summè ei adſtricta erat alvus, quæ etiam acrioribus enematibus ſollicitata, non facilè contenta ſua deponebat. Indies malum hoc incrementa, non ſine diris cruciatibus, capiebat. Cùm itaque iliacum malum metueret, retentis per multos dies fæcibus, nominatos ante doctores ad monaſterium ſex milliaribus Vratislaviâ diſtans invitavit, tùm munere Provincialis fungens; ac hi quidem divinâ opitulante gratiâ debitis remediis alvum obſtructam promptè reſerarunt, at brevi iterum rediit cum doloribus his ſpaſmodicis malum, quod in paralyſin alterutrius brachii deſiit, quam cùm nulla arte humanâ, miraculis Chriſti inductus, ſanari poſſe crederet, fatis, poſt aliquot ſeptimanas, ut audivimus, conceſſit. Aliis verò determinandum committimus, quomodo & per quas vias doloribus inteſtinorum pareſis ſuccedat; nec definimus, an metaſtaſis materiæ ſpaſmos excitantis fiat per vaſa ſanguifera, an per nervos, quamvis iſtud nobis magis videatur veriſimile. Et ſanè in hâc collectione, ſi colicus dolor (de quo modo eſt ſermo) eſt nervorum affectus, atque nervi tum abdominis, tùm inteſtinorum craſſorum aliqui, tùm pedum & manuum ſurculi ſint, ex eâdem ſtirpe, ſpinæ ſcilicet medullâ, prognati, materia peccans, nimirùm humor tenuis, ichoroſus, vaporoſus *&c.*

Colica convulſiva.

ab inteſtinorum & abdominis dolentibus membranis, nerviſque, in nervoſas tùm pedum, tùm manuum partes propellitur, in hâc, inquam, ratiocinatione multa deſideramus, de quibus forte alibi.

Cæteroquin ſatis eſt notum, quòd ex proſapiâ colicæ convulſivæ ſit tùm nephritica, tùm hyſterica, tum etiam, quam ſubinde infantes patiuntur, cujus poſtremæ facilè convulſiones epilepticæ ſolent eſſe pediſſequæ. Verè autem profiteri poſſumus cum Wepſero quondam noſtro ex *Dec.* 1. *Ann.* 2. *obſ.* 39. *p.* 71. *unicè nos angit, quâ ratione conſtrictio hæc ſpecifico aliquo antepileptico mature ſolvi poſſit.* Id certum eſt, quod purgantia dolores exaſperent, nec à V. S. ſperandum aliquod auxilium, licet eam Chiffletius commendet. Inſtitimus itaque antiſpaſmodicis internis & externis, ac inter hæc quidem emplaſtro de galbano, unguento antiſpaſmodico Mynſ., laudes debitas detrahere minimè poſſumus, ſed tamen fatendum eſt, quòd major horum ſit efficacia in eâ, quæ ſine præcedaneâ corporis diſpoſitione à ſolâ cauſâ evidente, aut conſenſu cum membro vicino oritur, quàm in habituali, atque à certo, ut ferè fit, ac altas radices agente corporis vitio, dependenti.

Præterea graviſſimi ac admodùm diuturni dolores ſunt, qui vel peritonæum, vel membranas, quæ abdominis ventriſque partibus obtenduntur, afficiunt, quos, neſcio quo errore, indocti appellant colicos: imitati forſitan quoſdam ex Gallis, qui ejuſmodi dolorem, vel colicam notham, ut Fernelius, vel Pictonicam aut Pictavienſem, ut Riolanus, à cruciatûs quâdam ſimilitudine & vehementiâ ac frequentiâ in Pictaviâ nuncupant. Non tantùm verò ibi, nec clyſteribus, neque medicamentis, neque fomentis, nec aliis remediis, quibus colici dolores declinantur, ſolent placari: ſed & apud Vratislavienſes, ubi frequentiores ſunt, quàm inexperti credant, admodum rebelles ſunt, ac fere tympanitidem præcurrunt. Et fortaſſis non hallucinabimur, *ſi ex ſect.* 4. *aphoriſmum undecimum* de iſto dolore explicaverimus: *quibus tormina & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui nec purgantibus, nec aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur*, hoc enim ita fieri, aliquoties ſumus experti. Quomodo huic occurrendum malo, edoceri cupimus ab aliis, nos enim omnia tentantes, hactenus ferè ſucceſſus deſtituit. Aliquantulum auxilium ægri conſecuti ſunt ex uſu nervinorum, carminantium & correctioni humorum dicatorum ac anodynorum, ut & applicatione diſcutientium topicorum. Sicuti verò alias minimè raro dolor colicus genuinus tranſit in abſceſſum, ita ſanè ſpurius ille in apoſtema aliquando degenerat.

Hæc dum revolvimus, occurrunt cruciatus illi inteſtini recti, qui hæmorrhoides cæcas earundemque exulcerationem aliquando anteire conſueverunt. Qui, ut rectius intelligantur, meminiſſe omninò oportet, quòd vaſa hæmorrhoidalia in texturam inteſtini recti intexta, multò capaciora ſint, quàm rami ad reliqua inteſtina diſtributi, ac quod profundius intra corpus longitudinem inteſtini recti ambiant & perreptent vaſa interna hæmorrhoidalia, à venâ portæ ortum ducentia; in his itaque ſanguis congeſtus & ſtagnans venaſque diſtendens, multorum dolorum cauſa eſſe ſuevit, qui, utut nitroſis & cinna-

cinnabarinis quodammodo mitigantur, ita omnimodè vix ceſſant, niſi ſtagnanti ſanguini exitus paretur.

In febb. petechialibus hoc tempore à nobis obſervabantur ſubinde inflammationes in natibus, aliiſque partibus muſculoſis, quæ interdum in gangrænam degenerabant. Hanc ſanè prædicere facilè potuimus, quando circa ſtatum nec reſolvebatur inflammatio, nec ſuppurabatur, & dolor pulſans ſatis gravis ſubitò imminuebatur, horrores & rigores cum animi deliquiis ſuperveniebant. Hâc in ſententiâ magis nos confirmabat color cutis initio quidem intensè rubens, mox verò deinde liveſcens aut nigreſcens. Nec amplius de imminenti aut quaſi præſenti gangrænâ dubitandum, quando in conſpectum prodeunt puſtulæ flavæ ſero turgidæ.

Tractavimus etiam gangrænas, aliunde ortas. Non infrequens ea eſt, quæ ſcorbuto prima debet incunabula. Hæc ferè ſemper per maculas fuſcas, quæ degenerant in eſcharam ſiccam, cum membri torpore, ſeſe prodere ſolet, & vix ullam admittit medelam. Et ut illas taceamus, quæ à violentiis externis, contuſionibus, inquam, vulneribus, lacerationibus, compreſſionibus, combuſtionibus &c. oriuntur, non poſſumus non meminiſſe illius, egenos ſæpè mutilantis, quæ à partium refrigeratione oriri ſolet. Hæc tum imminere ſuevit, quando derepentè acutus dolor pungens & urens partem invadit, ruber, micans in lividum colorem abit, & poſtea torpor, cum ſummo frigore obſervatur. Semper hujus periculoſior eventus eſt, quam illius, quæ à cauſis calidis originem ducit. Cæterùm in omni gangrænâ conſummatâ, à quacunque demùm causâ orta fuerit, dedimus operam, ut putredinem inchoatam inhiberemus, ne ulteriùs ſerperet, & in ſphacelum degeneraret. Adhibuimus eam in rem laudatas ſcarificationes, & inciſiones, eaſque pro gangrænæ ratione varias, modò majores, modò minores, jam profundas, jam verò magis ſuperficiarias. Scarificatas partes juſſimus elui iis, quæ ad manus promptius eſſe poterant. Et ſanè perindè eſt, an muriâ, lixivio chirurgorum, decocto calcis vivæ, ſpiritu vini ſimplici, aut cum ſale armoniaco acuato, aut ſpirit. vini camphorato, theriacali, tinctura myrrhæ lotio inſtituatur. In uſu autem noſtris chirurgis eſt unguentum Ægyptiacum, quod modò memoratis admiſcent. Factâ hâc mundatione, varia apud Nos imponi ſolent. Alii Chirurgi præeligunt Mercurium præcipitat., vel ſolum, vel cum alumine, myrrhâ, aloë &c. mixtum, alii balſamum ſulphur. extollunt. Pleriſque butyrum ♁ii ſatisfacit. Hæc verò calida aut tepida applicantur, eouſque dùm circa partem gangrænâ affectam, circulus vel linea rubicunda, naturam in ſecretione occupatam indicans, appareat, & ulcus incaleſcat. Si diutius in horum uſu perſeveraveris, acribus hiſce facilè novam gangrænæ occaſionem ſuppeditabis. Quamvis enim minimè admiſtionem aliquorum acrium damnemus, potiorem tamen tùm locum tribuimus digeſtivis & abſtergentibus. Optimè verò rem gerunt illi chirurgi, qui his aliiſque medicamentis ſuperimponunt cataplaſmata ac fomenta calida ex rad. angelic. Herb. ſcord. abſinth.,

Gangræna ſcorbutica.

Gangræna à frigore inducta.

menth., fl. lavendul., roriſmar., ſtæchad., cent. min., bacc. juniper., farin. lupinorum &c. hac tamen cautelâ, ut ſub principium modeſtè repellentia, in progreſſu verò reſolventia eligantur. Quid fomentum cereviſiæ ſingulare præſtet, nondum experti ſumus, de eo agit Barthol. *cent.* 5. *Hiſtor.* 41. Rectè verò ii etiam agunt chirurgi, qui partem ſanam non negligunt, ne fortè gangræna ulterius ſerpat. Apud nos adhibentur varia, præprimis autem emplaſtrum, quod Hildanus *de Gangrænâ & ſphacelo c.* 13. deſcribit. Nec immeritò Barbette laudat defenſivum rubrum & ceratum Vigonis. Alii unicè extollunt unguentum Würtzii. Nullum autem auxilium humanum, præter ſeparationem membri, quod necroſi affectum, ſupereſt. Gangrænam verò in ſphacelum degeneraſſe ſcire licet, ſi pars colore nigra appareat, tactu autem marmore frigidior ſentiatur, nulloque polleat ſenſu. Ubi tamen admonitio Ambroſii Paræi *l.* 9. *c. VI. p.* 374. memori tenenda mente eſt. Porrò in ſphacelo abeſt motus voluntarius, quamvis quædam ejus reliquiæ interdum appareant, tùm nimirum, quando altera muſculi extremitas incorrupta adhuc eſt, & ſuâ contractione tendinem ſibi continuum, quamvis emortuum, attrahit. Præterea magna adeſt partium mollities, nec pars digito compreſſa reſurgit, imò cutis digitis facillimè avellitur. Tandem in ſphacelo fætor magnus & acris exhalat, ut præſentes ei ferendo minime pares ſint.

Odontalgia.

Erat etiam hiſce diebus odontalgia non paucis moleſta, quemadmodum etiam aliis anni temporibus eſſe ſolet, quando aër frigidus, humidus & pluvioſus exiſtit. Diuturna etiam nobis experientia conſtat, quòd præter cibos flatulentos, quibus non pauci delectantur, & crapula, & hinc ortæ cruditates, ſomnus immodicus, illud malum foveant. Notorium eſt, quod auſtera & acida hæmodiam gignant, quàm maximè. Præterea ſaccharum & quævis dulcia dentes offendunt, ut rectè obſervavit Foreſtus. In ſequiori quoque ſexu curæ, ſollicitudines, & mœrores itidem iſtud malum provocant. Eum in cenſum referri etiam debent incautæ pedum refrigerationes. Agmen verò omninò ducunt inter evidentes odontalgiæ cauſas, ſuppreſſiones conſuetarum evacuationum, non tàm earum, quod multi credunt, quæ per nares & os contingunt, quàmvis & hæ ſymbolam ſuam conferant, ſed præprimis depletionis ſanguinis, quæ per hæmorrhoides & uterum ſtatis temporibus ſuſcipitur. Huc pertinet intermiſſio ſcarificationis & V. S. quæ longo jam tempore erat conſueta. Ambigimus, an uſus balneorum, tàm humidorum, quàm ſiccorum accuſari mereatur tanquam cauſa odontalgiæ. Nec pollicem hic premimus Doctiſſimo Cratoni Noſtro, qui flatulentum ſpiritum, principem fermè doloris dentium autorem *Conſil.* 75. apud Scholtzium eſſe putat. Nullo modo autem dubitandum, quin odontalgia à vermibus ſæpè excitetur. Conf. Salmuth. *cent.* 3. *obſerv.* 32. Præterea neminem temerè latet, quod & ſuppuratio circa radicem dentis, dolorem inducat. Et lippis ac tonſoribus eſt notum, quod, cùm dentes ſæpè putreant, ac fruſtatim excidant, corroſio eorundem ſit cauſa doloris. In pertinaci & nulli remedio victas ſubmittenti manus odontalgiâ, præſentibus ſymptomatis atrocioribus

Viri

Viri quidam Doctiſſimi veneficium habent ſuſpectum. Vidimus id factum à plebejis, tùm in dolore, qui circa radicem dentis hæret, tùm in eo, qui maxillam ſimul affligit, aut obſcuriori alio dentis vitio oritur. Nec præterire poſſumus, quod ſæpè advertimus fallax remiſſuri doloris indicium fuiſſe petitum à vulgo ex tumore gingivarum & potiſſimum genarum, odontalgiæ ſupervenienti, quin potius cum tumore hoc malum auctum fuiſſe, ac cum ſummâ ægrorum moleſtiâ oris diductionem inde impeditam vidimus. Pro cauſarum varietate, varia dolori huic oppoſuimus remedia, de quibus anno præcedente aliquid dictum fuit. Varia Autorum experimenta tentavimus, nec tamen ullum deprehendimus, quod omnibus ſatisfaceret. Non malè magnifecit decoctum perſicariæ Paracelſus, decoct. fol. lappæ cum aceto addito ſale Foreſtus verè, teſte experientia, deprædicat. Nec fides iis abroganda, qui in laudem decocti verbenæ in vino, agrimoniæ, L. Guajaci, rad. chelidon. major., ſalviæ &c. varia ſcribunt. Hæc enim aliquibus aliquod auxilium tuliſſe etiam Nos recordamur, non neglectis tamen paregoricis, quæ alias λύτυπόνα vocantur, cujus generis ſunt radices althææ & lil. albor., fol. malv. & bismalv., fl. chamæmel. & meliloti, ſummit. aneth., ſem. malv., lini & fænugræci &c. quæ decoqui poſſunt in lacte tùm ad os colluendum, tùm ad fomenta extrinſecus applicanda: Hæc enim anteferimus oleis & unguentis, quæ illiniri ſueverunt. Narcoticis aliquantò rariùs uſi ſumus, memores conſilii Doctiſſ. Fieni *Phyſograph. c.* 14. & ſi ſumma nos ad eorum uſum compelleret neceſſitas, non quidem antiqua illa faſtidivimus, qualia ſunt Sotirella parva Auguſtanor., laud. opiat., Philon. R., pilul. de cynogloſsâ, theriaca recens &c. ſed tamen magis ferè placuit maſſula ex g. tacamahac., laud. opiat. & oleo quodam. Meminimus radicem hyoſcyami in aceto elixam, aliquando ab Empiricis cum ſucceſſu applicatam. Præſtat etiam aliquid decoctum nicotianæ c. fl. chamæmeli. Verum de his aliiſque conſuli poſſunt Strobelbergerus de dentium podagrâ, & Sebizius in Manual. Medico practico. Verum eſt illud Ballonii, dolores ſubinde recrudeſcere, ſi dens vitiatus remaneat, nec tamen facile, hâc in parte cum Eraſiſtrato facientes, evulſionem dentis, quæ hîc ſatis eſt familiaris, ſuademus. Ex dente evulſo diuturnam ſalivationem, & hinc natam contabeſcentiam obſervavit D. Helwich; conf. Highmor. *in diſquiſit. Anatom. l.* 3. *p.* 2. *c.* 1. Nota ſunt funeſtarum hæmorrhagiarum inde orta exempla, non abſimilia iis, quæ Cardanus *l. de cauſ., ſignis, ac loc. morbor. p.* 3. *cap.* 60. & Highmorus *Anacephalæoſ. circul. ſanguin.*, ac alii recitant. Minimè rarò fit, ut maxillæ pars ſimul avellatur, quâ de re jam olim queſti ſunt expertiſſimi Viri, Foreſtus, Hollerius, Bartholinus *cent.* 5. *hiſtor.* 54. ut de inflammatione, febri &c. jam nihil dicamus. Quando dandum aliquid fuit precibus ægrorum, cavimus tamen, ne dens evelleretur eo tempore, quo caput doleret, aut gingiva tumeret, aut atrox ſentiretur dolor, monuimuſque chirurgos, ne violenter & affatim uno ictu dentem extraherent, & cautè ſeſe gererent, quod Riverius prudenter jam ante nos inculcavit. Quâ cautione in repellentibus adhibendis opus ſit, præcipue, ſi, ut mos fert barbitonſorum,

maxillis

maxillis applicentur, providè monuit noſter Sennertus & accommodatè ad rem exemplum ex Valeſco de Taranta recitat de Medico, dolore dentium molarium afflicto cum inflatione maxillæ & poſt appoſitum oleum roſaceum c. aceto, in anginam lethalem incidente.

Antequam vero hanc materiam deſeramus, non poſſumus non cum Carolo Piſone *de colluv. ſeroſ. l.2. c.3.* eſſe junioribus Practicis autores, ut phlegmaticis, quicunque de odontalgiâ conqueruntur, ſuadeant, ut neglectis remediis, quibus vulgò os colluitur, primo quoque tempore hydragogum ſumant, hoc pacto enim levari poſſe atrociores dolores certo experientur. Cum verò arteriolæ à carotidibus in auriculas procedant, & inter has major quædam antitragum & anthelicem perreptet, ſuperioremque maxillam conſcendens ſingulis dentibus ſanguinem ſuppeditet, in propatulo eſt, quid in ſedendâ odontalgiâ ab acriori ſero & fervidiori ſanguine dependente præſtare queat artificioſa apertio propaginis hujus arteriæ in anthelice, hâc ſane mirabiliter ſedatam fuiſſe odontalgiam, notatur à Bauhino, ac refert Riolanus, ſe Pariſiis Virum vidiſſe, qui per illam curationem magnum faceret quæſtum, qualem etiam in Geldriâ ſe vidiſſe narrat. Clar. Diemerbrock *Anatom. lib. 5. cap.* 13. cui hanc obſervationem debemus. Unicè dolendum, quòd hîc chirurgorum dexteritati minimè confidere liceat.

Et hæc dicta ſunt de morbis, qui tribus prioribus menſibus apud nos graſſati ſunt.

Conſtitutio aëris vernalis.] In Aprili terra blando tepebat calore, quæ aliquando etiam calidis fovebatur pluviis, de cæterò ferè ſemper grato ſolis jubare illuſtrabatur.

In Majo major aëris inconſtantia erat, vidimus poſt nubila Phœbum, ac poſt Phœbum fulgur & nonnunquam tonitrua audivimus.

Ineunte Junio calore ſolis temperato refocillabamur, quo etiam in procedente menſe, non tamen abſque intermixtis pluviis recreabamur, circa finem verò turbidam experti ſumus tempeſtatem, ac frequentes imbres.

Sub initium hujus trimeſtris, febres petechiales quadantenùs remittebant, ac in quotidianas, tertianas, ac aliquando etiam, utut paulò rarius, quartanas degenerabant.

Eryſipelas. Paſſim verò tum temporis Noſtri eryſipelate infeſtabantur, præprimis ſanguinei & ſanguineo-cholerici, rariùs ſanguineo-phlegmatici, & tantò magis, ſi conſuetæ ſanguinis evacuationes ad tempus ſuppreſſæ, aut patientes terroribus, aliiſque animi pathematibus concuſſi fuiſſent. Notorium eſt, quòd ſæpius etiam eryſipelate corripiantur, qui antehac vulnerati, aut aliam externam violentiam perpeſſi fuerunt. Præcedit fere horripilatio, ſequitur vero calor præternaturalis totius æquabilis & ferè vaporoſus, cùm aliqua tamen acredine & morſicatione conjunctus, ac cætera adſunt, quæ alias in inflammationibus obſervantur, rubedo, inquam, dolor, febris, aliqua partis intumeſcentia. Aliæ tamen hîc occurrunt differentiæ. Nam non tantùm in phlegmone major intumeſcentia, quam eryſipelate, ſed

&

& in hoc calor eſt ex rubro flaveſcens, qui tamen, ubi digito urgetur, diſparet, maculam albicantem relinquit, iterum ubi laxaveris, rubeſcit, quod non fit in inflammatione, niſi fortius premas. Præterea in hac eſt dolor pulſatorius ac diſtendens, ſed eryſipelas nulla cum pulſatione aut tenſione eſt conjunctum. Επιφλόγισμα ex una parte in aliam migrat, quod inflammationi familiare non eſt. Confer. Overkamps *Chirurg. p. m.* 122. Tandem febris in eryſipelate primaria eſt, quæ in inflammatione ſymptomatica exiſtit. Cæterùm tametſi Noſter Kergerus *lib. de fermentat. p.* 251. accuſet in eryſipelate fermentationem ſanguinis ad aciditatem vergentem, & in aliquam partem impactam, ſecutus hac in re Helmontium *lib. de febb. c.* 9. §. 18. Nobis tamen, ſalvâ aliorum ſententiâ, eryſipelas, ſeu diffuſio tenuiorum & inflammabilium ſanguinis partium per membranas & cutem, orta videtur, non aliundè, quam ex fruſtrà tentato naturæ ſanguinem excernendi conatu, cujus rei ſignum eſt, quòd partes illæ, ex quibus ſanguis aliquando uberius effluxit, eryſipelate afficiantur, ſtatis ferè temporibus illis redeuntibus, quibus olim per hæmorrhagiam ſanguis fuit depletus. Unde nullam quidem conſtitutionem organicam pororum læſam agnoſcimus, quæ hujus ἱμοςάσεως origo ſit, multo minùs verò Archeum partium debilitatum cauſabimur, nec admodum veriſimile videtur, quòd arteriæ plus afferant ſanguinis, quàm ex toroſis muſculis revehere queant venæ, niſi addas, partes muſculoſas ipſasque venas ſtringi atque hinc non adeò expeditè ſuccedere refluxum per venas. Hanc noſtram ſententiam circumſtantiæ in hæmorrhagiis occurrentes confirmant, & quotidiana iſta experientia, qua edocemur, ſæpe oboriri eryſipelas in illis corporis partibus, ex quibus ante annos fortè plures ſanguis aut per ſcarificationem, aut V. S fuit eductus, nullis prorsùs occurrentibus veſtigiis vel Archei debilitati, vel etiam læſionis pororum *&c.* Eryſipelas ex ſua quidem natura mortis periculum non minatur, nihilominus circa caput effloreſcens, non ex voto ſemper decurrit. *Malum etiam eſt* juxta Hippocrat. *aphor.* 25. *ſect.* 6. *eryſipelas ab exterioribus ad interiora converti.*

Cura ejus, ut experientia nobis conſtat multiplici, ſine V. S. & ſine purgatione, quam requirit Sennertus Noſter cum aliis, abſolvi poteſt ſolis diaphoreticis. Vulgus noſtrum Rob. ſambuci, & ocul. 69. aut C. C. utitur cum ſucceſſu. Loquimur autem hic de eryſipelate ab interna ſanguinis commotione orto, nam ſi à cauſa externa originem trahat, V. S. tanquam remedium revulſorium à nobis adhibetur. Quantum ad topica, remediis repellentibus ſolis nunquam uſi ſumus, hæc enim facilè gangrænam inducere ſcimus. Abſtinuimus etiam à pinguibus, e. g. lacte ☉eo ſeu mixtura ex oleo ſambucino & lixivio, unguento de ♄no, ſed diſcutientibus inſtitimus. Pulvis eryſipelatodes M. uſitatiſſimus fuit, aut extemporaneus ex farina hordei, fabarum, creta, glyzyrrhyza, myrrha, ceruſsâ, cum quibus paria facit pulvis à D. Ludovici deſcriptus, ut lithargyrium tritum inter duas petias externè eryſipelati impoſitum tepidè ex commendatione Clariſſ. Viri Bartholini *Cent.* 6. *hiſt.* 724. ut & Cratonis & Angeli Salæ. Unguentum de liquiritia Auguſtanorum non adhibuimus,

hibuimus, nec facilè linteum crocatum M., aut linteum leporino cruore tinctum, de quo Helmontius conſulatur *Imag. ferment.* §. 17. vel ſpiritum vini camphoratum, aut epithema Loſſii *lib.* 1. *obſ.* 25. ex decocto florum ſambuci cum vino, ſapone Veneto ac theriaca, vel cataplasma Overkampii in uſum vocavimus. Non contemnimus humida, nec metu quodam anili abſterriti ab applicatione humidorum nobis temperavimus, non ignorantes, quàm ſevera, quamvis forte non merita, virgula cenſoria eapropter veteres à Dolæo *in Encyclopæd. Chirurg. rational. l.* 5. *c.* 6. caſtigentur, ſed quod apud nos ægroti humidorum applicationem nullo modo ferant. Quamvis & in topicis applicandis ſumma cautio eſſe debeat, ne quid nimis fiat, quod ex parte rectè inculcavit Overkamp. Si ritè tractetur, per inſenſibilem transpirationem eryſipelas evaneſcit, & accidente pruritu, cuticula quaſi in ſquamas fatiſcit, ac color naturalis redit. At verò, ſi ab imperita manu tractetur, non ſine periculo ſuppuratur Hippocrat. *ſect.* 7. §. 6. eryſipelas, quod exulceratum, ſacer ignis appellari ſuevit. Et tùm vel ſumma tantùm cutis afficitur in eaque cruſtulæ furfuraceæ oriuntur, vel tota patitur, ac ſaniem purulentam reddit, ac hic chirurgi noſtri ferè empl. diaſulph. Ruland., unguent. alb. camphor., diapomphol. uti ſolent, non omiſſis internis evacuantibus lenioribus ac diaphoreticis. Sed cura ferè difficilior eſt, ſi partes glanduloſæ ejusmodi exulcerationem ſuſtineant. Ita meminimus eryſipelas capitis in Illuſtri Perſona, triginta annorum, conſtitutionis cholericæ, non uno errore in diæta, vino, △. phyſogon. commiſſo, hincque inflammationem ad canthum oculi majorem ortam, quæ ægilops vocatur. Hæc rupta eſt, ac in fiſtulam abiit, quæ ferè biennii curam exegit. Nihil autem attinet hic commemorare vana molimina chirurgi, nam dici non poteſt, cum epiphora, ut ferè fit, ſequeretur, & præterea etiam ipſum ulcus perennem ſuppeditaret affluxum, & tenuem humiditatem exudaret, quibus machinis fronti applicatis impetuoſum illum humorum affluxum avertere ſategerit ignarus, & quod longè pejus, præ arrogantia non cupiens diſcere, quod non in fronte, ſed lachrymali innominata ac in ipſis palpebrarum glandulis humor ſeparetur, & per ductus à Clariſſ. Viris Stenone & Meibomio detectos, qui ad oculorum ſuperficiem hiant, fluat. Diu durante affectu non mirum, quòd os cribriforme quadantenus læſum. Cum deinde pertinacis hujus mali cura prudenter inſtitueretur, & interna à Medico, externa ab alio Chirurgo, juxta Medici directionem adhiberentur, melioris ſanitatis ſpes affulgere cœpit. Egregiè inter chirurgica remedia debitis temporibus data, profuerunt ▽. vulneraria Ulmenſium Balſamus vulnerarius Hantkii, ut & Prævotii, nec non ſequens: R. decoct. rad. Ariſtoloch. long., fol. veronic., nicotian., betonic., c. ſ. q. ▽. mellis, & inſpiſſetur ad formam balſami, cujus unciis duâbus ſemis deinde additur elix. propr. Parac. ſine acido, balſam. Peruvian. a. a. drachma una ſemis. Adhibitus etiam citra ullam noxam fuit balſamus Arſenici, cujus deſcriptionem ſuppeditat Carolus Muſitanus *in Chirurg. lib.* 1. *c.* 5. *p.* 22. & *ſeqq.* Cæterum cùm ſæpè recurrat eryſipelas, non rarò ægri à Medicis exigunt, ut debitis remediis præcaveatur. In

potione

potione ab Hildeshemio *lib. 5. ſpicileg p* 471. commendata (ex V. roſar. mithridat. pulv. bacc. laur., & rad. ariſtoloch. Od.) ante novilunium hauſta, virtutem prophylacticam deprehendere non potuimus. Nec placentulæ ex herbis abſinth., taraxac., & chamædr. per menſem Maji aſſumptæ aliquid eximii præſtant. Quod etiam dicendum de lacte cum floribus ſambuci decocto, & ſingulis decreſcentibus lunis ter vel quater manè hauſto. Multi ſpem omnem, citra tamen ſucceſſum in acidulis collocant. De urina propria cum melle epota, non poſſumus, quin adſcribamus verba Bartholini *Cent. 6. hiſtor.* 72. *p.* 327. *Probatiſſimum*, inquit, *vulgi remedium unum chartæ huic aſſuam, quod nunquam fallere experientia inter noſtros docuit, urinam propriam melle ſubactam, ſummo mane continuis tribus diebus aſſumunt, & exinde tutos ſe ab eryſipelate per vitam ſciunt. Mel ſane humores calidos temperat & expurgat, urina vero vehiculi loco adhibita ſale ſuo abſtergit bilem.* H. I. Folia raphani ruſticani externè applicata extollit non immeritò Hartmannus. Nos in debitis ſanguinis evacuationibus ritè ſuſceptis, & catharticis juſto datis potiſſimum cauſæ momentum reponimus.

Purpura alba ſolito frequentius hisce diebus infantes, pueros ac fœminas & præprimis puerperas cholerico-ſanguineas *&c.* corripiebat. Ultimas quidem omni tempore poſt lochia ſuppreſſa invadere ſuevit, at verò ſi hæc cauſa abſit, nec iracundia gravior, ac illa quidem fere ſuppreſſa præceſſerit, aliis anni partibus non æque multis infeſta eſt. Typus morbi ſequens eſt: Initio quidem mediocri corripiuntur horripilatione, quam excipit æſtus non adeò vehemens. Magis moleſta eſt anguſtia præcordiorum, quàm dolor capitis, qui non acutus, ſed ferè turbulentus exiſtit. Adeſt etiam faucium dolor & ardor. Somnus propemodum omnis ceſſat, & paucæ ſunt, quæ ſub initium morbi, per unam alteramvè noctem ſomno non interrupto fruantur. Alvus plerumque officio non ſatisfacit, vidimus quasdam tamen, quæ aliquoties manè dejecerunt. Pulſus celer eſt, & quaſi oppreſſus. Urina cruda ineunte morbo ſub exitum ſatis copioſum deponit ſedimentum. Appropinquante die quarto, quanquam interdum etiam citius illud fiat, in artubus, collo, pectore, elevantur & extuberant pori cutis cum rubore, inſtar cutis anſerinæ, ac ſenſim oriuntur numeroſiſſimæ puſtulæ magnitudinis exiguæ, pellucentes, aquea quadam humiditate gravidæ, quæ in ſiccioribus ſatis maturè ferè intra 24 horas exſiccantur; in humidioribus & junioribus aliquantò diutiùs eroſa cute, aliquid humoris ſtillant, non ſine aliquo corporis pruritu & ardore, qui ab initio vix obſervabatur. Unde facilè patet, quomodo hic affectus à petechiis differat. Nam in purpura miliari hac multo copioſius maculæ, quæ materiam purulentæ analogam continent, erumpunt, quam in maligna illa febri, quam *petechialem* nuncupant, & præterea etiam materia macularum petechialium multum tenuitate ſuperat contentum in puſtulis purpuræ. Accedit & hoc, quod diſparentibus maculis miliaribus illis, miteſcat febris, quæ utplurimùm omni vacat periculo, quod non fit evaneſcentibus petechiis, quibus adjuncta febris ſatis multos in mortem præcipitat. Nec neceſſe

Purpura alba.

ceſſe eſt, hic explicare, quomodo Purpura Miliaris differat à ſcabie & eryſipelate, cum diſcrimen ex utriusque hujus hiſtoria abunde illuceſcat.

Noſtri otii quoque non eſt, hic prolixè enucleare, in quibusnam miliaris Noſtra abeat à morbillis, phlyctænis, epinyctidibus, ſive ſudaminibus *&c.* Hoc enim labore, cum ſumma laude Nobiliſſ. Melchiorem Sebizium Noſtrum, eſſe defunctum, *in doctiſſimis de variolis & morbillis diſpp.* ut oſtenderet inter varia exanthemata differentiam, recordamur, hoc ſanè nomine merito etiam laudatus à Celeberrimo Fehrio Noſtro. Breviter cum famigeratiſſimo Wedelio dicimus: *Concipe tibi partes urtica percuſſas & purpuram bene noveris.* Cura non adeò operoſa eſt, præprimis ſi, ut ferè ſemper fit, maligna non ſit purpura. Ordinariò quidem optimè conveniunt nitroſa & ſalina aliquoties per diem exhibita, præmiſſis mane diaphoreticis & bezoardicis fixioribus (nam volatilia utplurimùm φλώγωσιν intendunt) aut etiam decoctis ex ſaponariis e. g. fumaria, ſambuco cum ſero lactis caprini paratis. Si verò morbus hic miliaris à lochiorum retentione exoriatur, & ſpes adhuc ſuperſit hæc concitari poſſe, danda ſunt ea, quæ lochiorum fluxum promovent, quod faciunt myrrhata, cum debita circumſpectione poſt V. S. in plethoricis, repetitis doſibus exhibita.

Roſalia. Sed neque præterire poſſumus aliud morbi genus à nobis obſervatum & à paucis Germanis, niſi fallimur, auctoribus deſcriptum, quod in pueris, ut & adultioribus quibusdam notavimus. Invadit illud eo propemodum modo, quo exanthemata cum febri ſatis vehemente, capitis dolore vertiginoſo, tuſſi *&c.* & maculæ dilutè rubentes & flammeæ, roſarum inſtar, igneæ naturæ eo ferè ritu, quò morbilli tertio quartove die prodeunt, ſed longè uberius ſeſe diffundunt, nam cum morbus ad ἀκμὴν pervenit, corpus quaſi ignitum apparet. Vidimus ſane habitum corporis univerſum magno rubore perfuſum, crederes illud totum ab eryſipelate obſeſſum, circa diem ſeptimum circiter rubor ſenſim evaneſcit, ac calor remittit, maculæ inſtar petechiarum hinc inde ſeſe oculis intuentium ingerunt, ac epidermis in multis locis ſquammatim abſcedit. Per totum morbi curſum vehementer affligit ſitis, adſunt vigiliæ, adurit calor vehemens, alvus adſtricta eſt, appetitus prorſus dejectus languet, excernitur urina flammea ac rutilans, pulſus obſervatur celer ac durus, mens utplurimum deliriis diſtracta ſtupet, præ ſiccitate cutis aſpera eſt. Et ſanè hæc cutis aſperitas diagnoſticum eſt, quo à rubeolis, in ſtatu ferè milii granum ſuperantibus, dignoſcitur hic affectus. Hæmorrhagia nonnullos, alios autem diarrhæa hoc ab affectu liberavit. Ferè autem contingit metaſtaſis quædam materiæ ad articulos extremorum, qui dolore vehementi torquentur. Sed neque his terminis continetur mali hujus ferocia, nam ſæpe pedes non tantum ad talos & ſuras, ſed & ad genua uſque intumeſcunt, & ſi hypochondria tenduntur, ac reſpirationis difficultas invaleſcit, brevi poſt abdomen totum in tumorem attollitur, atque hinc vel hydrope moriuntur, vel ægerrimè ſanè cum priſtina ſanitate in gratiam redeunt. Hic noſter affectus, de quo hactenus diximus, videtur idem eſſe cum eo, quem

Itali

Itali ſcriptores roſaliam dicunt. Proximè ſane accedit ad deſcriptionem ejus, quam affert Ingraſſias *Tom. I. p.* 194. & Proſper Martianus *in Epidem. lib.* 2. *ſect.* 3. *p.* 308. *& ſeqq.* niſi quod non, ut vult Martianus *pag. ſeqq.* die quinto, ſed ferè ſeptimo aſperitudines cum febri deleri ſentiant, & apud Nos periculo minimè careat morbus ille, cum de roſalia ſcribat Proſper Noſter, docere experientiam, nullum ferè ex roſalia interire, niſi miraculo quodam & ob errata maxima, quæ aut ægri committant, aut medici, potiſſimum verò ſanguinem mittentes, cùm remedium hoc *totis viribus ſit huic morbo contrarium.* Curam adhibuimus eandem in hoc malo, quam in morbillis & rubeolis & variolis ſervavimus, niſi quod diluentia & temperantia, præprimis verò nitroſa largiori obtulerimus manu. Inter alexipharmaca non diſplicet pulvis bezoard. confortans Celeberr. Bauſchii, Primi noſtri Præſidis, optimè de Academia Noſtra meriti, quem ejus Succeſſor Fehrius *in anchora ſacra* recitat *p.* 91. quique *p.* 90. aſſeverat, anno ſuperioris ſeculi 52. Svinfurti maculas has primùm fuiſſe conſpectas, didicimus autem ex annalibus quibusdam manuſcriptis, Vratislaviæ jam anno 1628 viſas eſſe, & quosdam ex iis, ſub cura Clariſſ. Doringii obiiſſe, alios verò iterum convaluiſſe. Sed jam progrediamur ad alia.

Tanquam ſingulare aliquod recitat Sennertus, Mulierem quandam Aneurisma nucis juglandis magnitudine in cubiti flexura ultra 30. annos geſtaſſe, & certè communiter gangræna ac mors metuitur, ſi paulò majus ſit & circumjacentes partes in tumorem magnum attollantur. Et ſanè non vanum hunc eſſe metum, facile intellectu eſt, obvium enim eſt, quod levi de cauſa ſanguis ex arteria rupta aut vulnerata ad partes intercutaneas & interſtitia muſculorum profuſus & collectus putreſcere poſſit, ſi aliqua in motu progreſſivo ei remora & obſtaculum ponatur. Nihilominus DD. Preus & Helwich noverunt cœlibem quandam, quæ ex violentiori motu brachii ad modum juvencula aneurisma, duas in pugnum contractas manus æquans, ultra 50 annos habuit, & nuper admodum, non ex gangræna, ſed febri maligna obiit ſenex annos, niſi fallimur, 74. nata. Tumor ſemper fuit mollis ac laxus, nec per tot annos ullam contraxit duritiem. Pulſus quoque deprehendebatur in eo pulſui arteriarum reſpondens; quamvis propterea minimè fidem abrogandam cenſeamus Paræo, qui in aneurismate majore nullum pulſum obſervavit *lib.* 6. *c.* 33. eò fortè, quod nimia ſanguinis profuſio arteriæ pulſum obtunderet. Moleſtiam ſæpè ſenſit Noſtra ac ardorem cum inflammatione vicinarum partium, ut & pruritum, adeò, ut fonticulum, qui neſcio cujus ſuaſu non procul ab illo tumore excitatus fuerat, ampliùs ferre non poſſet. Non ſilentio poſſumus prætermittere puerulum, qui adhuc à partu rubens, ſugillatione & exulceratione palpebrarum diuturna correptus, ab hac liberari non potuit, niſi per inflammationem abdominis ſupervenientem, ſed verò cùm & ab hac immunem parentes optarent, contra hanc remediis pugnandum erat, ſed eo eventu iterum id factum, ut in locum inflammationis hujus iterum priſtinus affectus ſuccederet, exulceratio ſcilicet palpebrarum, quæ non niſi admodum tarde variis topicis, ac internis laxantibus, temperantibus adhibitis

Aneurisma.

ceſſit. Eodem tempore graviſſimis torminibus, de quibus teſtabantur continuus ejulatus, jectigatio corporis, pavores *&c.* afficiebatur puerulus euſarci & ſanguinei corporis habitus. Varia ad mitigandum hunc dolorem acta, ſed præſtantiſſimum ejus pharmacum erat ſuperveniens vomitus pituitoſo-bilioſus & unica ſedes, qua dejiciebatur copiosè ſanguis inſtar loturæ carnis, ſicuti fieri ſuevit in fluxu hepatico, in quo obſervatur liquida dejectio cum humore interfluente eoque diluto ac ſanguinolento; ſed ea tamen etiam hic cernitur differentia, quòd dejectio illa in Noſtro non ſine magno cruciatu contingeret, quod in fluxu hepatico non fit, vix enim niſi ſenſus aliquis preſſionis in abdomine percipitur.

Fluor uterinus.

Satis etiam communis apud nos erat fluor, qui à Græcis ῥοῦς γυναικεῖος fluor muliebris, aut ῥοῦς τῆς ὑστέρας *&c.* fluxus uterinus vocatur. Nonnullis menſtrui albi nomine venit, non quod menſtruum ſit revera, ſed quod menſtrui in modum per uterum fieri ſoleat, quamvis Ballonio *lib. de Virgin. ac Mulier. morbis p.* 110. à ratione alienum videatur, menſtruum album confundere cum eo affectu, qui à Græcis ῥοῦς γυναικεῖος dicitur. Nos cum Latinis vocabimus *florem album*, tametſi ſatis gnari ſimus, quòd non omnis ſit colore albus. Hic affectus familiaris eſt fœminis cujuslibet ultra pubertatem annis, frequentius tamen evenit paulò provectioribus ætate, rariſſimè autem eo corripiuntur admodum puellæ, nec à nobis viſæ hactenus hic locorum, quæ vel 6 vel 8 ætatis anno fuerint hoc malo obſeſſæ, cujus generis virgunculas Fernelio, Hœchſtettero, Joh. Matthiæ Neſtero aliisque cognitas fuiſſe novimus. Neceſſe autem eſt, illas fuiſſe vel cachecticas, vel admodum infirmas & debiles. Nam ubi natura tam præpropere & maturè agit, ſeque ipſam quaſi anticipare videtur, utplurimùm futuræ valetudini & robori multum decedit. Affectus hic citra difficultatem omnem ex ægrarum relatu dignoſcitur, ac illis exitus materiæ mucidæ inconſuetus non poteſt non eſſe manifeſtus. Ferè autem iſta *vel* eſt *limpidior* & *albuginea* nec genitalia lædens, niſi ſub labore corporis & attritu genitalium, & licet vel jugiter fluat, vel maxime tempore menſium appropinquante, aut ſanè poſt ceſſantes menſes, non tamen magnam noxam inde ſentiunt ægræ, præter moleſtiam; vel *diſcolor flaveſcens, vireſcens, ſanioſa*, acris & mordax, quæ vaginam excoriat, adurit, tumefacit ac inflammat, & huic ſubinde gravis odor adeſt. Hic fluxus malignus ac venereus cum aliis gravibus ſymptomatibus ferè conjunctus eſt. Nam utplurimùm adeſſe ſolent vitioſus corporis color, nauſea, & faſtidium ciborum, ſpirandi difficultas, virium dejectio, oculorum tumor & inflatio, mœror & triſtitia, interdum etiam lipothymia, lumborum gravitas, intumeſcentia pedum & quæ non alia? de quibus Riverius, Primiroſius & Zacutus Luſitanus *l. 9. prax. Hiſtor. c. XI. p. m.* 187. conſulendi. Benignus etiam eſt ferè fluxus, quo gravidæ ante imprægnationem ab eo immunes, vel per vices, vel per totum gravidationis tempus premuntur. Diſtat vero hic fluxus noſter à gonorrhæâ: Nam 1. fluor iisdem, quibus menſtruum, ductibus ejicitur; cernimus enim menſtruum fluorem variis eſſe obnoxium mutationibus

tationibus & initio minus floridum, ac in cacochymicis & cachecticis poſtea pallidum ſæpè prodire. Qua de re tanto minùs hodiè dubitandum videtur, poſtquam vaſa lymphatica uteri ab Olao Rudbeckio, Thoma Bartholino, Wepfero *hiſtor. & obſerv. apoplect.* 13. *p.* 338. Warthono, Regnero de Graaf *&c.* aliisque detecta ſint, & ex Stenone, Malpighio ſatis notum, nullum reperi vas lymphaticum, quod non oriatur à glandula, vel in glandulam aliquam inſeratur, ita, ut neque de præſentia glandularum in utero amplius ambigere liceat, præprimis, quia glandulas conglomeratas cum ſuis vaſis excretoriis in utero muliebri Bartholinus vidit, quas in vacca deſcripſit *in libr. de diaphragm. p.* 107. *& ſeqq.* confer. Acta Hafn. *Volum.* 4. *obſ.* 20. Ex utero, inquam, poſſe fluorem album prodire, glandulæ & vaſa lymphatica probabile reddunt, quòd verò etiam ita fiat, diſſecta poſt obitum corpora fœminarum, quæ in vita laborarant fluore albo, abunde loquuntur, utpote quæ varia glandularum & vaſorum lymphaticorum in utero vitia oculis & manibus profectorum obtulerunt. Vid. Bonet. *Anatom. Pract. lib.* 3. *p.* 1354. & Pinæus *lib.* 1. *de not. Virgin. Problem.* 3. Atque hinc non malè ex fluore albo, quo gravidæ laborant, Charleton *de Oeconom. Animal. p.* 201. rectè contra Harvæum concludit, minimè uterum in gravidis ita clauſum eſſe, ut ne aër guidem eum ingredi valeat, cùm materiæ illi ſubmucidæ in gravidis pateat exitus ex utero. Itaque in fluore albo pars affecta eſt uterus. Gonorrhææ autem ſedes eſt, ut cadaveris cujusdam hoc vitio infecti diſſectio Graaf palam fecit, corpus glanduloſum, ſeu ſubſtantia illa membranoſa & glanduloſa, meatum urinarium circumdans, ac in vaginam uteri certis canaliculis & ductibus hians, quæ in mulieribus glandularum proſtatarum munere fungitur. Hoc ut deprehendatur, minimè neceſſe eſt, ut genitalia inſpiciat Medicus, an forte partes circa exitum meatus urinarii mucoſa quadam materia ſint obſeſſæ, an vero tota vagina ſqualleat ejus generis humore, quod quidem vult Graaf, nam datur aliud indicium ſatis luculentum, quo hæc ſymptomata à ſe invicem diſcerni poſſunt. Nimirum ut Mauriceau *de Morb. Gravid. & Puerper. cap.* 7. docet, gonorrhææ humor etiam tempore menſtrui fluxus elabitur, hoc autem vix contingit in fluore albo, qui tum ferè ſupprimitur. Accedit & hoc, quod fluor albus quantitate ſuperet humorem illum ſeminalem & in illo dolor lumborum & oſſis ſacri, in gonorrhæa autem cruciatus ulceroſus in pudendis ſit moleſtus. Multò manifeſtius adhuc eſt diſcrimen inter fluxum Noſtrum & pus ex ulceribus uteri, quod vel craſſius & magis album eſt, vel ſi ſanioſum ſit, cum cruore & dolore profunditur.

Mali hujus non ita facilis eſt cura, quippe in qua & viſcerum chyli ſecretioni, & ſeri depurationi inſervientium, & lymphæ ratio habenda. Ac ſanè lympha excrementitiis crudis humoribus non tantùm videtur inquinata, ſed & modo nimis craſſa glutinoſa & mucoſa, conf. *vol.* 3. *obſ.* 33. Actor. Hafnienſ., modo nimis tenuis & ichoroſa *&c.* ut jam de motu ejus læſo nihil dicamus. Eò autem collimavimus, ut abundantiam ſeri & excrementitii & viſcoſi ex corpore eliminaremus, materiæ fluxum hunc conſtituentis proventum impediremus, & uterum corroboraremus.

Cu-

Curæ initium ferè ab univerſalibus fecimus. Præprimis nobis placuere noduli, ex ſtomachicis, uterinis aliisque appropriatis ac purgantibus, & non poſſumus non illis ſubſcribere Practicis, qui experientia edocti aſſeverant, nullum Medicamentum prodeſſe in hoc fluxu, niſi corpus probè fuerit expurgatum. Adeoque toto cœlo aberrant, qui curam ab adſtringentibus auſpicantur, atque ita rivulos, non obſtructo fonte, occludunt; quo ipſo & gangrænæ uteri ac tumoribus, variisque metaſtaſibus, cum periculo ſummo conjunctis &c. occaſio ſuppeditatur. Vomitoriis niſi ſponte ad vomitum inclinarent ægræ, ac evidens in ventriculo vitium hæreret, rariùs ſumus uſi, etiamſi prolixè & à Riverio & Montano ſint commendata. Nec abhorruimus à diureticis, memores illius Swalviani axiomatis: *uterus albo fluore fœtens diureſi mirificè mundificatur.* Eo autem ferè ſcopo dedimus ſuccinata, ut & terebinthinata, nec laude ſua defraudanda ſunt decocta pituitam & ſerum per urinas evacuantia, quæ Sylvio in crebriori uſu fuerunt. Nec abs re decoctum dauci cum radice filipendulæ commendat Simon Pauli. Diureticis palmam longè præripiunt diaphoretica, quæ maximè laudat Felix Platerus *Tom.* 3. *l.* 2. *c.* 7. ac hic præ reliquis iterum elegimus ſuccinum, ut & ♉ d. ♂le, utpote quod non ſolùm diſcutit, ſed & ſimul roborat. Propter diaphoreſin etiam famam videntur adepta lignorum decocta, quæ empiricorum aſylum & ſacra anchora ſunt in omnibus ferè morbis chronicis. Non diſplicet formula, quam habet le Mort in pharmacia ſua rationibus & experimentis inſtructa.

Salivatio generoſum illud remedium eſt, quo etiam inveterati fluxus debellari poſſunt.

Cæterùm V. S. vix celebravimus, etiamſi eam vehementer laudet Sylvius, quia ferè medicam opem implorant Noſtrates, viribus jam dejectis, & tabe corporis imminente, aut præſente cachexia, hydropis matre. Ex fonte chirurgico magis nobis placent fonticuli & ſetacea, & utinam poſterius hoc remedium Noſtris perſuadere poſſemus, citiùs ſanè & faciliùs à ſpurco hoc fluxu Noſtræ liberarentur; nec enim nobis excidit, quod refert Hildanus *Curat.* 41. *Centur.* 1. ſe nimirum mulierem quandam diuturno fluxu muliebri laborantem, & hinc infœcundam & ſterilem ex voto curaſſe. Cùm verò Noſtræ exorari ſeſe non patiantur, ut in hoc remedium conſentiant, exemplo Galeni frictiones commendavimus; Is enim, præter medicamenta, has cum linteis primùm mollioribus, mox aſperis quotidie inſtituit, in curando fluxu uterino uxoris Boëthi, ut ipſe refert *lib.* 1. *de præcognit. ad Poſthumum c.* 8. eo ſucceſſu, ut eam intra tredecim dies curaret, & 400 aureos, ſoſtri loco, reportaret, ut hæc prolixius refert Rolfinc. *Method cognoſc. & curand. dolor. lib.* 1. *ſect.* 1. *c.* 5. Cæterum adhibuimus ea ferè, quæ in aliis fluxibus uterinis cum ſucceſſu à Practicis præſcribuntur. Inter vegetabilia non ſunt rejicula, ſed eximiæ virtutis, meliſſa, mentha à Dodonæo laudata, ac præprimis roſmarinus. Hinc Lindanus: *Fluoris albi,* inquit, *cura eſt per decoctum roriſmarini cum vino in diplomate, ſed diutiùs uſurpent, & quidem manè bonum hauſtum & ſuperſudare debent, & rurſus in prandio & cœna ſumant.* Huic decocto

coćto viribus ſi non major, certè par eſt eſſentia rorismarin. compoſita aliquibus Noſtrûm uſitata; Ex nominato roremarino & rad. galang., caryophyll. zedoar., florib. cheiri, galeopſid., betonic. bacc. lauri, juniper. coſti, nuc. moſchat., L. aloës &c. confici poſſunt noduli jam ante à nobis laudati. Crato, non absque fundamento, laudat pulverem ex gran. kerm. nuc. moſchat. toſt., thure albiſſ. &c. à Nobis tamen ferè tantum adhibentur pulveres ex ſuccino, unicornu foſſ., ebore, oſſ. ſep. corall., matr. perlar., bolo Armen. oſteocoll. &c. quibus pro re natâ tantillum olei alicujus ℞lati, ad imitationem Wedelii additur. In formâ guttarum eſſent. ad flux. alb. ſuccin. D. M. elix. uterin. variorum, tinćtur. corallor., terr. catech. ipſam etiam tinćturam bezoard. porreximus. Elećtuarium D. Sydenham debito tempore datum, itidem profuit. Id quod dicendum etiam de ♂alibus. Et ſanè noſtrâ ſuffragante experientiâ, merito inter rara experimenta & ſæpè feliciter probata refert Bartholinus cremorem laćtucæ, prius maceratæ in aqua extinćtionis chalybis, addito pulvere eboris. Aliorum paſſim deprædicatorum virtutes ſatis ſunt exiguæ. Omnibus autem haćtenus enumeratis, jure optimo præferuntur pilulæ D. Becheri, de quibus Ipſe *in Pſychoſophiâ p.* 241. ſcribit: (*) *Es iſt nicht wohl zu beſchreiben, wie gut dieſe Pillen den Weibern, der Gebæhr-Mutter, und ihren Zuſtænden bekommen, denn ſie reinigen die Mutter vom Wind, Waſſer und Schleim, ſie befœrdern die verhaltene Zeit, und die zu ſtarck gehende ſtillen ſie, ſie dienen zur Fruchtbarkeit, hingegen, ſo was unnatürliches oder todtes in der Mutter wære, das treiben ſie hinweg.* Atque hinc Celeberr. Stahlius, cautus, ſi quis alius in deprædicandis Medicamentis, *in Diſp. doćtiſſ. de Menſ. muliebr. fluxu*, §. 45. ait: *Pilulas polychreſtas Becherianas in omnibus uterinis affećtibus ultra omnem expećtationem & laudem poſitas eſſe, nec ullâ haćtenus nota compoſitione exæquari.* Præterea nec externa neglеximus. Ex iis uſitatiora apud nos ſunt, unguent. comitiſſ., ceratum de galbano, maſſ. ex tacamahac., g. carann. &c. Nullam adeò inſignem efficaciam deprehendere potuimus in linimento Raymund. Joh. Fortis, quod conficitur ex bol. armen. lot. unc. ſem. terr. ſamiæ, ſangu. dracon., maſtich. aa. drachm. 2. nuc. cupreſſ. drach. 3. & ceræ parum. Suffitum ex Salviâ mirum in modum omne profluvium ſiſtere, narratum eſt Lælio à Fonte, ſed citra fundamentum. Jaćtantiam ciniflonibus uſitatam redolet hoc Turneiſeri: Oleum ex rad. dauc. cretic. ℞l. & poſt balneum vulvæ illitum, menſes albos miraculosè curat. Nam nec balneum, utpote quod fluxiones augere aptum natum eſt, convenit, quamvis Platerus *in Obſervat.* ejus uſum ſerio commendet. Nota nobis eſt egregiæ ſpećtatæque formæ mulier, quæ, cùm nihil intentatum reliquiſſet, ut à fluore albo, quo per multos annos laboraret, liberaretur, tandem virtutem balnei aluminoſi experiri ſtatuit, unde ſuppreſſus quidem fluxus eſt, ſed infauſtè admodum. Succeſſit enim ulcus circa orificium uteri moleſtiſſimum, quod ægerrimè admiſit medelam, hâc verò, poſt longi temporis patientiam obtentâ, ſecutæ

(*) Incredibile dićtu quam ſalutares iſtæ pilulæ ſint in affećtibus uterinis: uterum enim ventis, lymphâ, mucô, ſquallentem mundificant; fluxum menſium impeditum promovent, nimis copioſum cohibent; fertilitati inſerviunt; ſi quid præternaturale aut mortuum utero geſtetur, id depellunt.

ſunt hæmorrhoides (cum ſummis torminibus conjunctæ, non ſine ſuſpicione exulcerationis inteſtini recti) quæ circa ſingulas lunæ phaſes, cum ſedibus frequentibus, non ſine exquiſitiſſimis doloribus totius abdominis turbas dant maximas, ac ægram in tabem conjiciunt, ex quibus malis hactenus nulla arte potuit eluctari. Nec adeò magna ſpes ponenda in peſſariis, in cervicem uteri immiſſis, cujuscunque etiam fuerint generis, quæ tamen etiam fœminæ,niſi perfrictæ frontis, non admittunt. Quantamcunque verò adhibueris diligentiam in medendo, ſæpè tamen adeò contumax & rebellis eſt affectus iſte, ut omnem eludat curam. Atque hinc verè ſcripſit Rodericus à Caſtro, in vetulis ad capulum usque affligere & commori, ut adeò nimis ſit anguſtum menſtruum ſpatium, quo curam circumſcribit Riverius.

Fluxus hæmorrhoidalis. Jam addemus, quæ de fluxu hæmorrhoidali à nobis annotata fuerunt. Ex cauſis externis cujusvis temperamenti homines in virili ætate in illum incidere poſſunt: ſed circa horum concurſum ferè ii demum fluxum experiuntur, qui per aliquot annos pathematibus quibusdam in hypochondriis fuere obnoxii. Nam hi deinde interdum per aliquot dies; dùm alvum deponunt, unâ cum excrementis aut minimùm inter conatus ejiciendi fæces, ſine ullo abdominis dolore, absque vitio œconomiæ & nutritionis, ſanguinem ex venis, quæ in anum explicantur, intercedente motu inteſtini recti expreſſorio, profundunt. Hoc ubi ſemel factum eſt, fluxus iſte redit ſtatis propemodum temporibus, nimirum aut tardius e. g. circa æquinoctia, aut citiùs, ſingulis ſcilicet menſibus, circa ☽æ mutationes ſolenniores in paucis quibusdam per aliquot annorum decurſum; citra intervalla ulla durat. Ubi autem fluxus ille impeditior eſt, nec ex voto ſuccedit, corpus languet, appetitus imminuitur, ſentiuntur tormina in inteſtinis, præprimis autem gravitas circa os ſacrum, ac nonnunquam ſtupor in pedibus. Tum verò natura excretionem molitur, quando ægri aſthmate hypochondriaco tentantur, inflationem ventriculi, ructus ac borborygmos perpetiuntur, ac dolores tenſivos ſenſibiles admodùm per totam ſacri oſſis longitudinem percipiunt. Omnium autem certiſſimi prodromi hujus fluxus ſunt pruriginoſi ardores in orificio inteſtini recti & ſenſus noduli alicujus incluſi in unâ alteravè inteſtini parte. Et nihil certius his Kozachii: *Nunquam ſanguis ex venis hæmorrhoidalibus proſilit ſubitò & inſperatò, ſed priusquam erumpat, quid futurum ſit, variis indiciis præſignat, quæ noſſe Medicum decet.* Diximus paulò ante, ſanguinem per venas ſedales evacuari, & id fit utplurimum; nihilominùs in duobus notavit D. Helwich exiviſſe materiam inſtar ſpermatis ranarum, quod & obſervatum eſt à Greiſelio *Ann.* I. *Ephem. German. obſ.* 75. nec dubium eſt, quin ejusmodi mucus ex hæmorrhoidibus fluat, cum & Doctiſſ. Sorbait, *Med. Pract. tr. c.* 68. viderit, ex hæmorrhoidibus externis per ſanguiſugas duas ferè menſuras materiæ cujusdam inſtar ſpermatis ranarum manaſſe. Hæ autem ſubalbidæ ſordes ſero, quod ex tumentibus hæmorrhoidibus ſponte apertis, ad plures libras tàm acre & corroſivum, ut partes madefactas corroſerit, effluxiſſe, teſtatur Meibomius, incunabula debent. Serum enim quàm variis modis inſpiſſari in materiam albam & viſcoſam, albumini ovi non abſimilem,

queat

queat, diſcere licet ex Barbato, Williſio, Brunone & Malpighio. At verò interdum nullus humor evacuatur ex hæmorrhoidibus, ſed illæ tantùm tument & duræ ſunt, ac vehementem in ano dolorem, maximè ubi dura alvi excrementa exprimuntur, movent. Tumentes ejuſmodi hæmorrhoides vulgò cœcas nominant, alii cum Platero etiam clauſas, quas, ut à mariſcis, tuberculis illis carnoſis oblongis, à thymis ſive eminentiis illis aſperis ac ſubrubris, ſanguinem, dùm auferuntur, in magnâ quantitate profundentibus, à ficu, carne nimirum circa ſedis foramen ſuperfluâ, rhagadibus, fiſſuris, ſive ulcuſculis ani oblongis, & tandem à criſtis & condylomatibus ritè diſtinguas, juvat hiſtoriam dolentium iſtarum hæmorrhoidum breviter annectere.

Produnt hæ ſeſe communiter primò quidem pruritu & morſu propè exitum inteſtini recti, ac ſpasmodicis quibusdam inteſtini illius motibus. His deinde ſuccedit perceptio molis alicujus, ſive nuclei incluſi, id quod maximè fit, cùm alvus deponitur. Huic moleculæ complicatur dolor primò tenſivus, & perpetua vellicatione punctoriâ quaſi ægrum afficiens, ſed multò magis ſub ipsâ dejectione deinde acerbiſſimus, qui, ſi inflammatio aliquanto major ſit, ad veſicam, teſtes, uterum & inguina usque dolor propagatur. Eæ, quæ ſub ſenſum cadunt, non tantùm ratione magnitudinis & molis, ſed & ratione figuræ differunt, quæ occaſionem quondam dedit Alexandro Veronenſi, ut ineptè ſatis cœcas has hæmorrhoides in uvales, molares, verrucales & veſicales diſtingueret. Nec color illarum ſemper idem, interdum ex atro rubeſcunt, aliquando autem albeſcunt. Porrò modo ſunt molliores & flaccidiores, modò turgidiores ac duriores, prout vaſa hæmorrhoidalia plus minusque diſtenta ſunt, nam cœcæ hæmorrhoides nihil aliud ſunt, quàm varices ſeu intumeſcentia venarum hæmorrhoidalium tortuoſa ac anfractuoſa. Et ſane venas eſſe ſubjectum protuberantiarum ejuſmodi, edocemur ex pulſus abſentiâ & ipſo colore eorum, qui ex rubro lividus eſt. Nec attinet hîc repetere, quòd duplicis generis ſint hæmorrhoides, nimirum externæ, quæ extremitatem inteſtini recti afficiunt, & viſui patent, ac internæ, quæ profundiorem, ſive altiorem inteſtini ſitum occupant, & oculorum aciem ſubterfugiunt, niſi extra podicem, inter niſum excernendi fæces urgeantur, quo in caſu repoſitio earum non usque adeò facilis eſſe ſolet. In hoc conveniunt externæ ac internæ, quòd vel iterum diſſipentur & dolores remittant, vel ſuppurentur, non ſine immani dolore, ac in fiſtulam abeant, eamque initio quidem exiguam ac ſine artis adminiculo coaleſcentem, interdum ſatis magnam, quæ tardè quidem invaleſcit, ſed eò profundiùs ſerpit.

In curâ hoc modo nos geſſimus: Conſuetas moderate fluentes in ætate virili, præſente plethorâ, præſertim omiſſis (olim familiaribus) ſanguinis depletionibus ſupervenientes, minimè ſuppreſſimus, qui peſſimus nonnullorum mos eſt, neſcio quam inde cachexiam pueriliter metuentium, ſed potius conſervavimus, gnari, quòd eo ipſo multi averruncentur morbi. Imo ceſſantem hunc fluxum in iis, qui eo ſanguinis profluvio olim non ſunt facti imbecilliores, helleboratis ac myrrhatis aliisque juſto tempore datis, cum emolumento ægrorum revocare conati ſumus. Nam niſi hoc fiat, ſubiti graviſſimi-

que morbi plerumque verò aut hydrops, aut tabes, imò & apoplexiæ *&c.* incidere ſolent, ut jam de ulceribus, ſcabie, vitiligine aliisque vitiis nihil dicamus. Si verò Fluor ille nimius eſſet, & vires ægrorum attereret, vividus faciei color periret, gravitas ſentiretur in coxis, & in cruribus magna imbecillitas, partim ebullitionem in ſanguine nimiam compeſcuimus, partim fluxui huic frænum injicere ſtuduimus adſtringentibus, quæ ſimul vigorem naturæ augere poſſunt. Nam valida adſtringentia ægros in hydropem, aſthma, hæmoptyſes, cardialgias ſingultuoſas, anxietates præcordiales, membrorum torporem & gravitatem, maniam *&c.* conjiciunt. Hinc Hippocrates *l. 6. aphor.* 12. rectè præcipit, *ut in diuturno hæmorrhoidum fluxu una fluere ſinatur*, quâ de re legi merentur, quæ habet Clariſſ. Fromannus *de hæmorrhoidib. parte poſterior. problem.* 5. *p.* 251. *&* *ſeqq.*

In cœcarum hæmorrhoidum curâ ad ſanguinis congeſtionem inhibendam, aut moderandam, uſi ſumus V. S., deinde tentavimus diſcuſſionem per ſacculos, fotus, clyſteres ex verbaſco, parietaria, malvâ, ſcrophularia, flor. ſambuc. chamomill. ſemin. lini, fabariâ, una cum adſtringentibus paratos & calidè admotos. Quem in finem decantata etiam paſſim unguenta de linariâ, verbenâ, ac illo, quod ex recenti ſcrophularia & telephio conquaſſatis cum butyro in cellam repoſitis ac ſuper igne deliquatis conficitur, aliaque ejus generis adhibuimus.

Interne quoque dedimus chelidonium minus, craſſulam majorem, ſcrophulariam, milleſolium, & *&* alia in exiguâ doſi, eâ potiſſimum intentione, ut vias roboraremus & ſtaſes prohiberemus. Ubi autem diſcuſſio obtineri non poterat, aliquoties tumores hi aperiendi fuerunt, tametſi ab apertione abhorreant non tantùm ambo Luſitani, Grembſius, Hoffmannus, ſed & Sennertus, Crato, Rolfincius aliique, & hìc potius ſequi maluimus Severinum, Riverium ac Drawitium. Nam iſtarum apertionem ex aloëticis, myrrhatis, colocynthiacis aliisque internis exſpectare, & incertitudo eventus ac periculum majoris noxæ, ac ipſe inſanus patientium dolor vetant. Et ſanè ex iſtâ apertione ope lanceolæ perpetratâ, nec hæmorrhagias nimias nec fiſtulas conſecutas meminimus. Ac ſanè cum Alexandro Maſſaria ferro magis, quam hirudinibus, quas etiam eundem affectum præſtare poſſe credimus, negotium perpetrandum eſſe opinamur. Apertæ, ut ulcus aliquod tractari debere videntur. Atque hinc abſorbentia, diluentia, emulſiones (proſcriptâ diætâ vinoſâ & aromatica ac flatulentis aliisque noxiis) ægris noſtris ordinavimus. Cæterum hactenus experiri datum non fuit, an, ſi hæmorrhoides tuberosâ radice chondrillæ tangantur, etiam exareſcant, ſi chondrilla ſiccetur, & corrumpantur, quando radix corrumpitur, quod olim præſenti Thomæ Bartholino teſtatus eſt Petrus Caſtellus, ut teſtatur Ille in epiſtolâ præmiſſa libello Herm. Grube de transplantatione morborum. Durantes & Ulyſſes Aldrovandus magni fecerunt hæmorrhoidalem herbam, quæ eſt ſpecies Polygoni Italiæ non ignota. De hâc ita Rolfinc. *in Epit. lib.* 3. *c.* 21. *Ea (ſc.) herbâ tactæ hæmorrhoides melius habent, ſi per diem circa femur geſtetur, & mox in fumante*

mante camino ſuſpendatur, ut herba ita & hæmorrhoidales corrugentur omniſque evaneſcit dolor. H. I. Quod an ſuccedat, nobis hactenus non innotuit. In ſcrophulariâ, quæ propter virtutem eandem celebrari ſolet, efficaciam hanc deprehendere minimè potuit D. Helwich, cum ante aliquot annos Epiſcopus Warmienſis in Pruſſiâ ab eâ in dolore maximo ſibi opem polliceretur. Et ſanè ut obiter hoc addamus, nondum adeò liquidum eſt, quid de curâ per transplantationem ſtatuendum ſit. Rigidum nimis eſſe videtur, cum Conringio eandem prorsùs reprobare, quamvis magnâ cum aſſeveratione ſcribat: *nec transplatationem quicquam valere in morbis, quos ſibi relicta, ægrotantium natura non ſolet ſanare, niſi acceſſerit conſtans quædam & temerè concepta perſuaſio, comperimus.* Longiùs adhuc proceſſit Velſchius, qui transplantationes iſtas ludibria vocat ex arte medicâ releganda. Sed neque intra hos terminos ſeſe continuit Kircherus, qui curationem ejusmodi rogo mulctandam dictatoria ſeveritate edicit. Quid enim tanta pœna dignum committitur, quando naturalia adhibentur remedia, nulla concurrente ſuperſtitione, aut verbis, aut characteribus, aut geſtibus, quanquam non ſemper manca mortalium mens rationem aſſequatur, ut pulchre Bartholinus *cent. 3. hiſt. 66.* Viciſſim fatendum etiam eſt, quòd in morbis rarò cura hæc ex voto ſuccedat. Scimus tentatum eſſe experimentum in *epilepſiâ*, quod Sachſius Noſter commemorat *in Gammaralog. p.* 876. in *Podagrâ*, quod communicat Timæus *l. 5. epiſt. Med.* 8. in *Ictero*, quod proponit Hoffmannus *lib. de Method. medend. p.* 327. in *aridurâ*, quod hîc omnibus notum, ſed absque ullo ſucceſſu. In mictu cruento nimis patiens cruorem recenter emiſſum cum pulvere ſympathetico miſcuit & diligenter hæc inter ſe miſta agitavit ac in loco non adeò calido ſivit exareſcere nullo cum levamine. Meminimus quoque, aliquem periculum feciſſe, an verrucæ tolli poſſent eo modo, quô ab iis liberatus eſt Verulamius ab Angli Oratoris uxore, quæ accepit particulam lardi pelle non exutam ejusque pinguedine illevit omnes verrucas & inter eas, quæ penè ei fuerat coæva, ac deinde clavo affixam lardi particulam ad poſtem feneſtræ cubiculi ſui, quod meridiem ſpectabat, ſoli expoſuit putrefaciendam eo cum ſucceſſu, ut omnes verrucæ intra ſeptem menſes planè evaneſcerent, ſicuti teſtatur Ipſe *in Sylv. Sylvar. cent.* 10. *hiſtor.* 997. At hunc effectum ex illo remedio neutiquam conſecutus eſt Sileſius, quem ex eo reportavit Anglus. D. Preus tamen ſuaſu beati nunc D. Ettmülleri, Præceptoris olim ſui, etiam poſt cineres venerandi, Lipſiæ anno 1673 clavum quendam in volâ pedis ſui medietate pomi Borsdorffiani in duas partes diſſecti, eo usque fricuit, ut interna pomi ſuperficies inde aliquo modo incaleſceret, & mumiâ verrucæ hujus vitali ac ſpirituali impraegnaretur, hincque medietate illâ ſub acervum fimi conjectâ, ut putredine ibidem conſumeretur, ſpatio 6 præter propter ſeptimanarum, nullo inſuper remedio in auxilium vocato, à clavo ſucceſſive emarceſcente, ac evaneſcente penitus liberatus fuit.

Qui iſto tempore in ætate puerili fuerant immunes ab exanthematibus, ſub finem veris, Achoribus & Tineâ infeſtabantur. Paſſim conſuleba- Achores & Tinea.

mur à parentibus, quando capita prolium deformabantur ulceribus madidis ſeu exiguis iſtis tuberculis, in cute excitatis, ſub quibus humor acris & erodens continetur, qui non tantum ad ſcalpendum incitat, ſed & cutem tenuiſſimis foraminibus poſt pruritum perforat & erodit, ex quibus erumpit, ac copioſam ac ſpiſſam cruſtam efformat. Magis anxios adhuc parentes habet Tinea. In hác capilli partim defluunt, partim ita arroduntur, ut emineant aliqua & ea quidem ſatis exiguâ parte ex cute & veluti ſtipulas exhibeant, ut videas non adeò accuratam eſſe Tineæ deſcriptionem, quam ſuppeditat Dolæus, ſcribens: *Tineam eſſe ſcabiem cutis cum ſquamis & cruſtis, pilorumque evulſione &c.* Et ſanè pars illa capitis, quam tinea defœdat, non tam cruſta eſt obtecta, ſed vehementer rubeſcit, ac mediocriter turget, tenerrimaque nitet cute, quam ſi vel ſuſpenſis digitis ſcalpant, facile erodunt & abradunt, ſubſequente ichore ſubcruento, ac copiosè abſcedentibus furfuraceis ſquamis. Ficoſam nominant tineam, in quâ ſtigmata ſanguinea, ſive, ut aliis placet, vivæ rubræque carnis quædam grana apparent ficuum interioribus granis haut abſimilia, quæ ægerrimè conſolidationem admittunt, & texturam debitæ craſſitiei induunt. Hujus loci non eſt, ſcrupuloſius inquirere, an affectus hic pendeat à vermiculis, quos ſe per accurata microſcopia detexiſſe aliqui gloriantur, ab illis ſanè vermiculis, ex minutiſſimis, ut ajunt, ovulis prognatis & pilos corrodentibus nomen affectui inditum eſſe autumant. Nobis hîc ſufficit annotaſſe, quòd internè noſtrâ experientia ea optimè conducant, quæ alias in ſcabie proſunt, & à nobis anno præterito breviter fuère indicata. Externa adminiſtrant ferè apud nos barbitonſores & vetulæ, ac illa remedia omnium efficaciſſima ſunt, quæ à Joële in cura Achorum commendantur, tametſi formulæ ſint minus concinnæ. Nicotianam non ſine fundamento laudant, at camphoratorum uſus hîc noxius. Tantum ſanè exinde ægri percipiunt dolorem, ac ſi carbones vivi capitibus impoſiti eſſent. Cæterùm meminimus ex voto ſucceſſiſſe curam ad mentem D. Sorbait *Tract. 4. Med. Pract. c.* 19. ritè inſtitutam. Compertum quoque nobis eſt, citra ullam efficaciam in linimentis adhiberi ſolere ranas virentes, tineas fluviatiles, ſerpentes ac viperas, quorum uſum in Medicina introduxit & hodie adhuc alit ſuperſtitioſa inſcitia. Quando ulceroſa hæc eruptio non ſuccedit, & humores maligni circa caput ſtagnant, non raró glandulæ exiguæ magnitudinis in magnum attolluntur tumorem, qui cum maximâ ægrorum moleſtia non detumeſcit, niſi puri exitus paretur. Imo hinc minimè raró aures inflantur & vehementer pruriunt, unà cum cute auri vicinâ, quæ ſi leniter abradatur, per longum tempus ex illa liquor lymphalis ac ſeroſus extillat, durante moleſto pruritu ac inflatione.

Conſtitutio aëris æſtiva.

In Julio terra per totum menſis curſum benigno ☉lis calore animabatur, ac ſimul calidis ſovebatur pluviis, ſubinde tamen etiam tonitrua audiebantur. Per Auguſtum eædem gratæ inter phœbum & nubila vices durabant. Nec alia aëris in Septembri conſtitutio, niſi quod frigidior aura poſt benignum ☉lis calorem allaberetur corpori ac aliquam ei afferret moleſtiam.

Hoc

Hoc tempore graſſabantur Febres continuæ intermittentes cum doloribus hypochondrii dextri, pleuritides ſpuriæ, in infantilibus corporibus excretio miliaris notabatur. Multos choleræ, diarrhææ ac dyſenteriæ fatigabant, ac eô à nobis modô curabantur, quem in hiſtoria morborum nuper adumbravimus. Febribus quotidianis jungebantur dolores capitis enormes ac ſpasmodicæ pectoris conſtrictiones notante D. Graſſio. Multi catarrhis obnoxii degebant ac pertinaciſſimis tuſſibus concutiebantur. Colluctati etiam ſumus cum difficili malo, quod quidem nobis hîc familiare non eſt, ſed tantò frequentius graſſatur in viciná Sileſiæ Poloniâ, unde ad nos non ita raro Magnates noſtris uſuri conſiliis excurrunt. Plicæ illi nomen inditum à ſigno diagnoſtico, eò quòd pilos complicet & conglutinet. Ea ergò, quæ nobis de hoc gravi & ſontico morbo innotuêre, hîc breviter perſtringere liceat. Corripiuntur hoc malo omnis ætatis homines & nec pueri ac puellæ ab eo immunes ſunt. Nec ſexus alteruter aliquâ prærogativâ fruitur. Nam falſum eſſe comperimus, quod vulgò proditur, plures fœminas, quam viros laborare plicâ, inter mulieres tamen eæ citiùs infeſtantur, quibus menſtrua non ritè fluunt, imò, quod mireris, nec temperamenta quicquam peculiare habent, nam & ſanguinei & cholerici, phlegmatici & melancholici hîc æque ſuos patiuntur manes. Id tamen obſervatum eſt, eos, qui Gallica lue laborarunt, ac qui ab ejuſmodi infectis prognati fuerunt, faciliùs in plicæ incidere vitium. In hoc etiam magis propendent, qui tineam & capitis porriginem repercutientibus medicamentis repreſſerunt. Conſtat etiam ex propria Polonorum confeſſione, quod tametſi generoſa gens minime ad ſeveras diætæ leges ſeſe adſtringi patiatur, ii tamen, quos Plica deinde deformat, enormius initio exceſſerint & in nimiâ ciborum, ſale, aromatibus *&c.* conditorum ingurgitatione & in crebris compotationibus, quibus ingentes cyathi cereviſiæ fæculentæ, vini Hungarici, mulſi cum lupulo decocti, & ſtygiarum aquarum, quas *crematum* vocant, evacuantur. Plica Polonica.

Obſcura labis noſtræ initia ſunt. Imminentis Plicæ ſuſpicionem concipiunt, quando ægri ſemper aliquid ſibi deeſſe conqueruntur, neque tamen, quid patiantur, exprimere norunt, ac de cætero ſat meticuloſi ſunt; Augetur metus, ſi appetitus eorum, licet aliàs languidior ſit, præfractæ in hoc illudve cibi ac potus genus feratur, cætera etſi ſapidiora eſculenta & potulenta averſetur, ac color faciei, qui ante vividus erat, in plumbeum pallidumve mutetur, tùm verò de ingratiſſimi hoſpitis adventu nemo dubitat, quando corpus aut inopinatò præter morem convulſionibus concutitur, aut ſpasmis torquetur, aut artus cum juncturis acerbiſſimo exercentur dolore, & tinnitus aurium percipitur, aut tormina ventris crebrò infeſtant, oſſa tibiæ & fibulæ, humeri & femoris nonnihil incurvantur, articuli nunc introrſum, nunc extrorſum inclinantur, tota ſpina intorquetur partim ſcilicet antrorſum, partim extrorſum, aut etiam partim dextrorſum, partim ſiniſtrorſum. Imò ex pleuritidè ſpuriâ, paralyſi, præprimis recurrente, cœcitate & obauditione non temere Plica apud Polonos prædicitur. Imo horrores & rigores ſtatis etiam temporibus repetentes cum ſubſequo calore, nullis antifebrilibus medicamentis expugnabiles, ferè

prodromi ſunt plicæ. In procinctu verò eſt plica, quando prædicti morbi præceſſerunt, & furfures ac pediculi in capite generantur, fœtor etiam cum ſpurcitie exoritur, tùm enim unus & alter cirrus cum vicinis ſibi crinibus in ſe implicatur & denſus in conſpectum prodit. His à ſyncipite, aliis ab occipite propendens, aliis totum caput involvit, ac villoſi ac congeniti pili ſpeciem refert. Quod cum fit, corpus à malis, quibus antea preſſum fuit, ferè liberatur. Et ſane multos videas cum crinibus in cirros convolutis rectè valere. Compertum quidem nobis eſt, quod plicæ, quanquam non adeò frequenter, ſpontè decidant, conſtanter tamen Poloni aſſerunt, præciſionem & reſectionem complicatorum iſtorum capillorum neutiquam vacare periculo. Hinc tot circumferuntur hiſtoriæ de cœcitate, artuum dolore, ac infinitis ferè malis poſt præciſionem hanc ſubſecutis. Dùm hæc ſcribuntur, D. Graſſio, Pauli & Helwich oblata nobilis Polona, cui à Sacerdote, abſente marito, abſciſſa fuerat Plica, Illa initio quidem non ſenſit notabile incommodum, poſtea autem ſtrumam incurrit cum aneuriſmate ſupra coſtas ſpurias lateris ſiniſtri. Nec fabula eſt, quod plicæ diſſectæ ſanguinem fundant aliquando, id enim ita fieri quibusdam Noſtrum à Polonis magnâ cum aſſeveratione eſt confirmatum. Epiſcopus Poſnanienſis narravit D. Connor, quod ipſemet abſcindens plicam, obſervarit *eine düfftige und flüchtige* materie, *in groſſem Uberfius durch die Gænge ſeiner Haare gehend, welche die Locken gekrümmet, und zuſammen gezogen, &c. in Beſchreibung des Kænigreichs Pohlens* Connors *part. 2. p.*794. Sed ſine ſtupore legi non poteſt, quod meminimus nobis relatum, poſt abſciſſos plicæ funiculos in capite, alios exortos in pube, ſimiles iis, quos deſcribit *obſerv.* 221. *Ann.* 3. *Dec.* 1. *Ephem. Noſtrar.* Hainius. Longa docuit Polonos experientia, ingruente morbo, & ſignis quibusdam jam ſeſe manifeſtante, inſtitutam V. S. prorsùs eſſe noxiam, nec minus damnum afferre cathartica, unde jam olim Academiæ Zamoſchenſis Rector in epiſtola ad Facultatem Medicam Patavinam de purgatione ex vero ita ſcribit: *Purgationibus uſitatis, ſi plicæ medearis, agreſcit & exſuperat magis, quod noxios humores nequeat ſuperare purgatio, ſed commotos per totum corpus diſpergat: tanto enim dolore omnium deinceps membrorum hâc affecti peſte ardent, ut ad cruciatus acerbitatem nihil poſſit eſſe acrius.* H. I. Vulgus itaque nihil hîc aliud agit, ut ipſi Magnates nos ſæpius informarunt, quàm ut plicam in capitis capillis procurent. Eum in finem inſtituunt lotiones cum decoctis ex brancâ urſinâ, ſive acantho Germanico, rad. lupuli, muſco terreſtre. Quidam oleum & vinum miſcent & ſæpius caput abluunt. Et ſanè non prorsùs à ſcopo aberrant, dùm ita poros capitis ejuſmodi externis blandè aperiunt, nam quia natura materiam peccantem in corpore ad capillos propellere molitur, eam in conatu hoc, per ejuſmodi emollientia calida juvant, &, ut enixius id faciat, invitant, prudentius adhuc facturi, ſi, quod nonnulli medici ſuadent, blandis diaphoreticis morbificam materiam ad ambitum corporis propellerent. Lautioris fortunæ Nobiles Medicos advocant, quorum quidam decoctis Lignorum & ☿alibus medica-

(*) Materiam tenuem & olentem, in tubulis capillorum, cirros incurvantem & contrahentem. *Connor. in Deſcr. Regni Pol.*

medicamentis utuntur, alii volatilibus, alii abſorbentibus morbum oppugnant non magno cum ſucceſſu. Prorsùs alii inter medicos à medicamentis dehortantur & ferè unicè in leniendis & mitigandis atrocioribus ſymptomatibus occupantur.

Quidam in curanda Plica tanquam ſpecifico utuntur Muſco terreſtri ſerpenti, cujus decoquendi rationem & modum adhibendi deſcribit Bernizius *Ann.* 1. *Dec.* 1. *Obſ.* 52. *Miſcellan. noſtr.* Et ſanè propter opem, quam multis in hoc morbo attuliſſe creditur, plicariam vocant Poloni. Ex his autem facilè perſpicitur, quam falſum ſit aſſertum illius Plico-Maſtichis, qui plicam voluntarium morbum eſſe, quem nullus habeat, niſi qui non velit cavere, pronunciat. Et ſanè nullo modo concipi poteſt, quomodo crines, ex negligentiâ pectendi, in cirros ex mente Noſtri ita convoluti, hominem tam ſævis mactare doloribus, horrendis convulſionibus torquere, & membra in functionibus ſuis impedire queant? Nec exhauriunt negotium, quæ de ductibus pluribus & hederæ in modum extenſis atque hinc conjunctis ex glandulis ſubcutaneis miliaribus oriundis, copioſiori & denſiori pilorum progerminationi anſam ſuppeditantibus, non adeò pridem proponi cœperunt, etiamſi lympham glandularum iſtarum viſcidiſſimam ſupponas. Quemadmodum neque ſatis eſt in genere allegare hîc humorum viſciditatem; nam hæc & alia ejus generis etiam in aliarum terrarum incolis, qui ne fando quidem aliquid de Plicâ audiverunt, inveniuntur. Scimus etiam, aliquos credere, morbum hunc veneficio inductum Polonis. Sanè Schenckius vocat Plicam tricas incuborum. Et ante ſeculum hic Vratislaviæ novimus à veneficâ quadam puerperæ, ex lochiorum, propter terrorem, retentione in peripneumoniam & phthiſin incidenti, per faſcinum ita intricatos capillos, ut nullo poſteà modo extricari poſſent, donec vitam cum morte commutaret, eò, quod anus opem auxiliumque ſuum ægræ offerens, à puerperâ fuiſſet domo excluſa, teſte Noſtro Rumbaumio apud Schenkium *lib.* 7. *obſ.* Profectò multi inter Polonos, etiam non ſuperſtitioſi, impietatem Roxolanicarum mulierum hîc ſuſpectam habent. Enimverò quamvis rariores, etiam alibi Plicâ laborantes, viſos eſſe, loquuntur obſervationes: Morbus enim hic in Helvetiâ, Brisgojâ, Alſatiâ, & Belgii parte ad Rhenum, ac in Hungariâ cognitus; aſt non tàm frequens; in Hungariâ interdùm animalia morbo hoc infeſtari, præſertim equos, teſtatur Sennertus *lib.* 5. *Prax. med. Part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 9. *&c.* quæ ſunt verba D. Helwichii *in Obſerv. Phyſico Medic. poſthumis* ab Illuſtri Præſide Noſtro L. Schrœckio *editis p.* 114. *& ſeqq.* In Bavariâ etiam idem Helwichius cognovit Vice-Præfectum, qui cirrum denſum, longum, à cervice ad lumbos usque pendulum & mirè implicatum & inviſcatum geſſit, ut *l. c. p.* 137. legere licet. Et tamen in his terris non quæras:

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Theſſala terra dedit.

Rursùs propter eandem cauſam Plicæ originem petere prohibemur ab aquis per Tartaros, immiſſis cordibus humanis, quæ veneno imbuerant, infectis, licet has nova monſtrorum genera peperiſſe Poloni credant, & ſobolem horum in inexplicabili tricarum compage vulgò autument ſupereſſe, ut intelligimus ex Paſtorii *Floro Polonico l.* 2. *c.* 4. Eò ſcilicèt, quòd primitùs infectæ aquæ, aliis in Poloniâ fluviis ac ſtagnis ſeſe commiſcuerint, cœcis nimirùm ductibus, quo digitum intendit Eques Polonus, Auctor Epiſtolæ de Plicâ. Alii non tàm de primâ plicæ origine ſoliciti, quàm hodiè adhuc durantem propagationem explicare conantes hujus cauſam eſſe contagium perhibent. Non abs re ait Hercules Saxonia *in operib. p.* 806. *Quiſpiam ſtatim animo concipiet, Polonicam Plicam ex ſolo contagio quotidiè ampliorem fieri, qui videat, tàm facile in Pocutio duos & tres in eadem domo laborare, qui intelligat eos, qui locum illum attingunt, faciliùs infici, qui denique ſciat, magnâ ex parte hanc lui Veneræ copulatam eſſe, quæ omnium conſenſione contagioſa eſt.* H. I. Tùm in contagio, tum in rerum non naturalium uſu incongruò veram cauſam Plicæ quærendam eſſe autumat Auctor *Abſurdorum verorum* ſeu *Paradoxor. Medic. part.* 2. *p.* 28. Quidquid verò ſit de causâ proximâ Plicæ, in aperto ſanè eſt, in hoc morbo magnam fieri congeſtionem lentorum ac viſcidorum ex diætæ erroribus natorum humorum ad caput, & eam utique ad hæmorrhagicam tendere excretionem, hæc autem cum propter ipſius liquidi conditionem & impedimenta, aliisque de cauſis oriri nequeat, inſigni infarctu humores illi circa caput reſtagnant, ac pars etiam in ipſis obhæreſcit capillis, eosdemque mutuo agglutinat.

Quantum ad curam, ſub primum morbi inſultum incidentia & ☿ialia cautè data, & ea, quæ æquabilem ſanguinis diſtributionem promovent, eximiè, quantum quidem nobis conſtat, proſunt. At, ubi malum invaluit, therapeia longè eſt difficilior, & quænam conducant ad malum tollendum, ob notam Gentis inconſtantiam & crebram Medicorum mutationem, non æquè conſtat.

Febris ſcorbutica. In æſtate hâc vidimus motus quosdam febriles, qui nullum typum obſervabant, neque ſtatis exacerbabantur periodis. Mirabilis in iſtis viciſſitudo eſt, eaque ſatis crebra. Qui hâc horâ ex anguſtiâ cordis gemit & trepidat, de fatigatione ſummâ conqueritur, poſt unius alteriusve horæ, erecti animi eſt, & frontis exporrectæ. Propemodum autem febriles ejusmodi excandeſcentias experiuntur homines ſcorbuticis maculis, modò rubicundis, modò lividis deformes. Hæ quando numeroſiores in corpore comparent, ferè abeſt ejusmodi ebullitio, ſed quando pauciores adſunt, præprimis in loco minus conſueto, tùm iſtiusmodi alterationes ſentiuntur, præſens quoque eſt manifeſta coloris macularum mutatio. Non carent hæ inordinatæ febres ſuis ſymptomatibus. Nam & anxietates graviſſimæ præcordia premunt, languor totius corporis & oſſifraga omnium membrorum laſſitudo invadit, ac interdum alii graves impetus ac tumultus corpus affligunt. Partes antea maculis obſideri ſolitas dolor tenſivus, gravativus, imò & rigor occupat.

occupat. Præterea hi ægri patiuntur vertiginem, alvum habent modò fluidam nimis, modò nimis adſtrictam. Non rarò in his febb. anomalis æſtuantem calorem ſequuntur horripilationes. Pulſus ferè magnus eſt, interdum aliquo modo inæqualis & parvus, urina, quantum meminimus, ferè craſſa eſt, & ſtatim, poſtquam reddita eſt, conturbatur, ac deponit corpora rotunda, inſtar arenularum & ſuperior ſubſtantia nihilominus craſſa manet, & quaſi pinguedo quædam vitri parietibus adhæret. Vix poſt ſumpta cathartica, ut alias fieri ſolet, clareſcit, ſed turbida manet. Prudenter facit Medicus, ſi excretionem macularum ſcorbuticarum promoveat, aut materiam earum ſubigat & corrigat, id enim ſatis docet experientia, quòd factâ excretione, aut etiam correctione materiæ, interdum etiam ejusdem depoſitione ad extremas partes, omnes illi motus conquieſcant. Id certum eſt, quòd antifebrilia ſola hîc non conducant.

Viciſſim eodem tempore excruciabantur aliqui dolore artuum, ſtatis horis, ſingulis diebus per aliquot ſeptimanas redeuntibus, ſine ullo febris ſigno. Acta varia & topica omnis generis ſine patientium levamine in quâcunque formâ fuere applicata. Tandem cum antifebrilium imprimis autem corticis Peruviani efficaciam experiri animus eſſet, inventum remedium eſt, quo dein diri illi dolores, qui ſudoriferis, purgantibus, diureticis exaſperati fuerant, ex voto placari potuerunt. Quàmvis nec hæc remedia ſub initium morbi æque proſint. Hoc tempore D. Helwich opem & conſilium imploravit cerdo ferè ſexagenarius, temperamenti melancholici, is ſæpè hypochondriacis paſſionibus obnoxius hactenus fuerat, ante annum etiam fluxum hæmorrhoidalem ſatis copioſum aliquoties erat expertus, nec non varia incommoda à flatibus perpeſſus; modò verò conquerebatur de dolore pectoris & dorſi ac laterum præprimis ſiniſtri & poſt ſumptum cibum, de pondere, quod in viſceribus ſeſe percipere ajebat. Sub veſperam etiam febricula aderat cum dolore capitis leviori & obſcuratione aliquâ viſus. Vix per biduum huic curæ vacaverat D. Helwich, ubi clanculum obrepſit alius, & brevi ſuis arcanis omne ſeſe ſublaturarum eſſe malum liberaliter promiſit. Sed ecce, poſt paucorum dierum intervalla, per vomitum rejicere cœpit humores atros ſuboruentos, ſaporis acidi, dentes ſtupefacientes. Vocatus denuò D. Helwich, cum vomitus hi aliquoties in die redeuntes & copioſæ dejectiones per quatriduum jam duraſſent. Iſte cùm adveniſſet, ſenem admodum languidum deprehendit, manus ejus erant frigidæ, infeſta ei cardialgia ac ipſa lipothymia, ac propterea conjugem maturè admonuit, actum eſſe de vitâ mariti. Et profectò exactiſſimè conformis experientiæ eſt Hippocraticus ille aphoriſmus: *dejectiones omnes nigræ, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes cum & ſine febri, peſſimæ*; ut & alter ille Ejusdem Senis: *Morbis quibusvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum, vel deorſum prodierit, lethale.* Sponte prodierat atra materia in noſtro, (tametſi id uxori ægrè perſuaderi potuerit, utpote quæ cauſam hujus melancholici, ut cum veteribus loquamur, vomitus, in medicamenta nimis calida ab altero illo propinata conjiciebat) adeoque prognoſticon hoc tantò

tutiùs in ætate ſenili, attritis jam viribus, formari poterat; quod & eventus comprobavit. Nam etiamſi blanda diaphoretica, antiſpasmodica, leniter adſtringentia, balſamica *&c.* ordinarentur, nihilominus vomitus hi per aliquot dies ſecuti ſunt, quos tandem mors excepit. Quia verò ſatis probabile eſt, materiam hanc nigerrimam exiſtere ſanguinem fæculentum & corruptum propter ſtagnationem diuturnam, non poſſumus adhuc aſſequi, ubi tam enormis quantitas, quæ ejiciebatur, hæſerit. Ter enim quaterve per diem ad duas hebdomades, niſi nos memoria fallit, integras patinas replebat. In ramificationibus venæ Portæ, (quæ de vaſis brevis violentâ apertione produntur, aliàs nobis conſtant) ſanguinem hunc ſtagnaſſe omninò quidem veriſimile eſt, ſed quia rejecti quantitas, menſuram ejus excedit, qui in his vaſis continetur, addendum videtur, quòd ſanguis per arteriam cœliacam & meſentericam immiſſus dudum ſtagnanti admiſtus itidem fuerit corruptus & colorem atrum ſive in inteſtinis, ſive in ventriculo, ob nimiam acidi copiam induerit, & tàm per ſuperius, quàm inferius guttur rejectus.

Icterus niger. Occaſione hujus morbi devolvimur ad Icterum nigrum, à nobis itidem tractatum. Is, ut notum eſt, à colore nigro, quo corpus inficitur, nomen trahit. Nam in hoc morbo coloris flos perit, isque pro vivido obſcurus primùm, deinde ſublividus & ſubniger, nullâ evidenti occaſione apparet. Album oculorum etiam ejusmodi colore nigro ſuffunditur. Sputum iſto morbo correptorum itidem vel nigricat, vel intensè flaveſcit; dejectio atque urina modò pro naturâ ſe habent, modò ſubnigra ſunt. In ſiniſtro hypochondrio gravitas ineſt, & non raro etiam tumor ſubdurus. Aliqui hoc morbo correpti avidè cibum ingerunt, ſed appetitus ille minus eſt conſtans, in aliis verò initio ſtatim languet, os perpetuo ſiccum eſt, affligit ſitis, & tamen potum antea ſibi conſuetum ferè faſtidiunt. Languor corporis ac perpetua inquietudo fatigat hos ægros, ſed tamen abeſt membrorum gravitas, quæ in ictero flavo à nobis obſervata eſt, niſi ubi tumor pedum œdematoſus eſt, quod tamen rarius fit. Tametſi verò minùs ingraveſcat corpus, mens tamen eorum imaginibus perturbatur, quæ metus & mœſtitiæ plenæ ſunt, ut optimè obſervavit Fernelius. Hinc taciturni, moroſi, ac omnibus graves ſunt. Senſim calor hecticus corporis vires dejicit, & compertum nobis, quòd hectici & tabidi, poſtquàm prorſus exaruerunt, intereant. Et hoc fato præcipuè premuntur homines ætate provectiores, nam etiamſi in omnibus admodùm ſit rebelle malum, in ſenibus tamen ferè omnem medicamentorum efficaciam eludit. Quod tantò minus mirandum, quia fere aliis ſonticis ſuccedit morbis, præprimis autem febb. quartanis male curatis, aut alii notabiliori viſcerum, hepatis, inquam, & lienis labi. Nam etſi minimè hîc faciamus cum veteribus, qui arquati nigri cauſam conſtituunt melancholicum humorem in omne corpus cum ſanguine effuſum, eò quod vel in ſanguine atque jecore nimium exuperet, neque totus per lienem expurgetur, vel quod lien atræ bilis, ut loquuntur, copiâ infarctus, alium excipere nequeat, vel copiâ turgens illius portionem refundat in venas *&c.* etſi, inquam, hanc pathologiam minimè pro-

probemus, docent tamen omnes anatomicæ cadaverum poſt hunc morbum inſpectiones, quòd viſcera hæc prædicta fuerint vel obſtructa, obſtipata, vel alio notabili vitio laboraverint.

Et hùc ſanè oculos in curâ convertimus, quod niſi fiat, oleum & opera perditur. Nullus hîc locus V. S., nullus purgantibus, ſed detergentibus, attenuantibus, deoppilantibus & deobſtruentibus agendum. Quod ubi aliquousque factum, ad lenia purgantia progredi licet. Imò tùm etiam locum inveniunt diuretica. Balnea vix adhibenda, quia morbus hic periculum hydropis minatur, niſi debellato ferè morbo, ubi ad ſqualorem cutis diſcutiendum, fœdique coloris reliquias delendas imperari poterunt. Non placet tamen inunctio corporis, quam poſt balneum relaxante & diſcutienti litu ex oleò anethino, aut chamæmelino inſtituendam eſſe aliqui ſuadent. Multò minùs in uſum trahenda errhina ex ſucco cyclaminis, nigellæ, betæ, anagallidis, quæ abſurdè ad bilem per nares derivandam ex uſu eſſe, non nemo ſcribit. Cibi euchymi & eupepti, extenuantes & aperientes optimè conducunt.

Probè recordamur, quòd & viri quidam & mulieres fervido cœlo de tormentis pruritus fuerint conqueſti. Occurrerunt nobis, quibus pruritus totius corporis usque ad lipothymiam fuit moleſtus. Quædam gravidæ cum aliquibus exanthematibus tortorem hunc per multas ſeptimanas ſuſtinuerunt. Rurſus aliis doloroſa illa titillatio in certis tantùm partibus negotium faciebat. Inter crebriores eſt pruritus ani, interdùm tàm ferus, ut anum ſcalpant usque ad ſanguinis profluvium. Nec adeò rara eſt prurigo pudendorum, tàm internorum, quàm externorum, in ſexu ſequiori, quæ ita malè miſeras ſæpè mulctat fœminas, ut præ diritate doloris, quô ſe vertant, ferè ignorent. In inguine adultorum & ♀i aſſuetorum, aut pollutionibus nocturnis obnoxiorum, maximoperè hîc affectus ferocit. Et cui non notum eſt, quod & palpebræ oculorum, aures, & aliæ partes ſæpè pruriant? Cum verò pruritus ſit affectus omnibus temperamentis & omni ætati ac ſexui (quamvis inter illa ſiccum & calidius aliquantò frequentiùs eô infeſtetur in ætate ſenili, unde jam olim ab Hippocrate pruritus inter ſenum morbos relatus eſt) familiaris, æquum eſt, ut quomodo illud malum tetrum abigere tentaverimus, brevibus ediſſeramus. Pruritus.

Et certè arduum eſt, hic aliquod operæ pretium præſtare, quod ſanè aliunde non oritur, quàm ex eo, quòd ferè ignoremus, quidnam illud ſit, quod cutem & membranas, ſeu potiùs papillas miliares earum fibras per cutim diſperſas hoc moleſto ſenſu afficiat? Scimus hîc accuſari acrimoniam humorum, ſeu principium ſalinum in lymphâ & ſanguine vulgò cauſam hujus morbi conſtitui. At verò nobis illa humorum acredo minimè cauſa συνεχὴς, ut cum Græcis loquamur, pruritus eſſe videtur. Nam ſi lympha & ſanguis ejusmodi ſalinis recrementis abundans cauſa eſt pruritus, cur non tenerrime partes internæ, quos hi humores acres jugi circulatione permeant, etiam non pruriunt. Hoc verò non fit in hoc affectu. Quotusque Medicorum audivit ægros conqueri de pruritu pulmonum, hepatis &c. Sanè inter rariſſimos

morbos eſt ξυσμὸς in pulmonibus, cujus meminit Hippocrates *lib. de locis in homine.* Et quæ hîc nonnulli de ſtaſi ſeri in glandulis ſubcutaneis argutantur, prorſus ſunt levia. Nam certè ſæpiſſimè in oculos incurrunt diffuſiſſimæ ſeri ſtagnationes, tumores glandularum ex ſubſiſtenti acri lymphá, quas tamen pruritus non comitatur. Rursùs invenias homines acerrimis humoribus plenos, qui de nullo pruritu conqueruntur. Nuper admodum curavit D. Helwich virginem quandam ætate provectiorem, cujus ſaliva in acredine vix aquæ forti cedebat, nam non tantùm linguam ægræ mordebat, & ſauciabat, ſed & in reliquas partes, caſu illapſa, eaſdem erodebat; neque ullæ tamen de pruritu corporis audiebantur querelæ. Atque hinc etiam fit, ut vulgaribus remediis incaſſum hic affectus oppugnetur. Novimus data eſſe purgantia ad eliminandam hanc acrem ſabburram, ſcimus ſudorifera ad halitus ſalſos, acres, ichoroſos in ambitu corporis hærentes diſſipandos fuiſſe adhibita; recordamur diuretica ad amurcam ſeroſam ſalſam per vias urinarias evacuandam fuiſſe præſcripta, & tamen tantum abeſt, ut ex iſtis omnibus ulla in ægros reduntarit utilitas, ut potiùs malum ex uſu horum indies invaluerit. Eodem prorſus ſucceſſu topica diſcutientia & poros laxantia fuere imperata, unguenta item & emplaſtra varia, eo eventu, ut ægros & medicamentorum & vitæ ipſius tædium cœperit; Quosdam meminimus dixiſſe, ſe, cum lectum ingredi debeant, toto cohorreſcere corpore, & ex animo optare, ut maturâ morte ab infandis miſeriis liberentur. Incidimus itaque in has cogitationes, pruritum non tam excitari ab humoribus acribus, quam à vermium morſu, præprimis cùm notum ſit, eos roſtellis ſuis in particularibus corporis locis perſæpè pruritum provocare. Ita neminem opinamur ignorare, ab aſcaridibus in recto inteſtino provorari dolorificam illam pruritus voluptatem. Porrò ex omnium conſenſu inguinalis pruritus oritur à pediculis, vermibusque in piloſo illo horto hoſpitantibus, quas plattulas vocat Foreſtus. Nec omni videtur deſtitui fundamento Clariſſ. Pechlini noſtri opinio, quæ vult, pruriginem naturalium in ſequiori ſexu, prægnanti utero, ortum habere ex eo, quòd injecti ſeminis virilis particulæ in interioribus vaginæ rugoſisque proceſſibus morâ putredinem aliquam, ut ſemen eſt vivax & volatilis ſuccus, concipiant. Et nonne in morbo pilari non tantùm infantes contabeſcunt, inſomnes redduntur & inquieti, ſed & inſignem pruritum patiuntur à crinonibus ſeu comedonibus, quos *Miteſſer* vulgò vocant? Et unde in puſtulis ſeroſis ſub cuticulâ manuum imprimis & pedum pruritus, niſi à ſironibus ſeu cironibus, de quibus legantur obſervationes *anno* 82. *in Actis Eruditor.* quæ hodiè adhuc in Germaniæ Noſtræ gloriam à Celeberrimis Viris ſummâ diligentiâ & accuratione ſingulis menſibus Lipſiæ eduntur, *ut & Epiſtola* Hauptmanni *ad P. Kircherum.* Et cùm filius ruſticæ in Pomeraniâ poſt theriacam in aquâ card. ben. ſumptam in univerſâ cute intolerabilem ſentiret pruritum, ex frictione à matre inſtitutâ auctum; hæc à filio rogata, ut accuratius inſpiceret corpus, undiquaque minutiſſimos vermiculos è poris cutis partim egreſſos, partim egredientes deprehendit, teſte Doctiſſimo Collegâ Noſtro Dn. D. Paulini *in cynographiâ*

graphiâ curioſ. p. 187. Et profectò hanc ſententiam maximè roborat hoc, quòd remedia anthelmintica cæteris, de quibus ante dictum eſt, remediis virtute & efficacia in hoc affectu anteeant. De illis autem jam anno præcedenti egimus. Narrat quidem Bonetus, quòd mulier, quæ viva fuerit de pruritu vago conqueſta; poſt mortem in vulvâ habuerit tumorem lividum & atrum; item quòd Mercator jugi & perenni pruritu in cole vexatus, foverit ſordidum carcinoma circa meatum, qui à veſicâ urinariâ in inteſtinum rectum deſcendit *in Anatom. Pract. lib.* 4. *ſect. XI. Obſ.*4. *&* 5., at verò quis eſt, qui ignoret, dari abſceſſus, tumores & exulcerationes verminoſas, de quibus Severinus, Hildanus, Paræus, Tulpius, Foreſtus, Platerus, & Noſtræ Ephemerides conſuli poſſunt. Quapropter relictis ante commemoratis topicis amara in vino decocta multoties D. H. cum ſucceſſu applicuit, aliquando etiam pulveres prurientibus locis inſpergi mandavit. Unguentum quoque diapompholygos cum aliis mixtum non rejiculum deprehendit. Hìc obiter velut in diverticulo commemorare liceat, hoc tempore Vratislaviæ quæſitum eſſe, an, cùm poſt contractas nuptias neonupta tanquam atreta & imperforata, aut etiam tanquam velata, adeoque ad admittendum membrum virile inepta accuſatur, inſpectio & exploratio hæc obſtetricibus, an Medicis committenda ſit? Nobis ſalvo aliorum judicio, poſterius placuit, ac in hunc ſenſum reſpondimus: olim quidem obſtetrices magnum in addiſcendâ medicinâ, ut ſexui pudibundo & ægrè ob verecundiam ſuas moleſtias viris detegenti in affectibus muliebribus ſuccurrere poſſent, poſuiſſe laborem; ita Agnodicen Viri habitu, tonſis capillis ſeſe Herophilo erudiendam tradidiſſe, ac artem exactè didiciſſe, ut Higinus tradit, Ocyroën Chironis filiam dediſſe operam huic arti, utpote quæ juxta Ovidium:

Artes contenta paternas
Edidiciſſe fuit.

Filiarum Æſculapii Hygiææ & Panaceæ tanquam medicinæ gnararum, mentionem feciſſe Hippocratem in jure jurando, & Ariſtophanem in Pluto, medicam quoque fuiſſe Aſpaſiam Plutonis & Periclis Magiſtram, Phaneroten, Socratis matrem egregiè in Medicinâ verſatam fuiſſe obſtetricem, ut liquet ex Laërtio *in vitâ Socratis*, & Valerio Maximo *lib.* 3. *c.* 4. atque propter hanc peritiam artis olim iis rectè creditam fuiſſe in ejuſmodi negotiis renunciationem. Tales autem obſtetrices minimè reperiri noſtrâ ætate, præprimis in Sileſiâ, in quâ rudes quædam mulierculæ, rerum Anatomicarum & Medicarum ignariſſimæ, hanc faciunt artem; ac de noſtris veriſſimè dici poſſe illud, quod habetur in Jure Canonico: *Sæpè fallitur oculus & manus obſtetricum.* Et tantò eſſe clariùs, quod imperitis obſtetricum oculis & manibus inſpectio permitti nequeat, ſi finis ejus conſideretur, neque enim nudè id quæri, an occurrat in genitalibus aliquod vitium, ſed an illud ita comparatum ſit, ut nullam admittat curationem, niſi cum gravi vitæ periculo conjunctam, ejus autem rei

dijudi-

dijudicationem quàm longiſſimè ſuperare captum fatuarum muliercularum. Et quis, quæſo, ab eis expectet, ſi membrana quædam ante uteri os obtendatur, an nervea ſit, an carnea, an, ſi incideretur, magna ſit metuenda hæmorrhagia, inflammatio, gangræna, convulſio, aut, ſi vagina ſecundum ſuos parietes coaluerit, an exigua ſit, an magna, an à primâ nativitate, an morbo inducta iſta cohæſio & coaleſcentia? ut jam nihil dicamus de ulceribus ſcirrhoſis &c. Vid. *Fidel. Relat. lib.* 3. *c.* 6. Absque horum & multorum aliorum præſuppoſita notitiâ ad cauſæ deciſionem non poſſe ritè deſcendi. Ad uberiorem ejus cauſæ dilucidationem addebantur tùm alia, tùm præcipuè ſequentia ex Thomâ Sanchez *de Matrimon. Sacrament. Tom.* 2. *lib.* 7. *Diſp.*113. *concluſ.*12. *pag.*390. *Quamvis regulariter ad mulierem inſpiciendam eligendæ ſint matronæ honeſtatis gratiâ, ut conſtat ex c.* propoſuiſti *&c. & ex c.penult. de* probatione, *& ex c.* Fraternitatis, *& cap. fin. de* frigid., *at ubi agitur de qualitate altiorem peritiam ad judicandum deſideranti, quàm quæ in fœminis reperitur, ne probationum facultas pereat, aut matrimonium validum diſſolvatur, vel irritum approbetur, Medici periti adhibendi ſunt, quò fœminam inſpiciant, quòd hujus rei gravitas ac neceſſitas præponderet naturali honeſtati, ſicut à Medicis inſpicitur, ubi neceſſitas urget morbi.* Et probatur ex cap. ex liter. de frigid. ibi: *Si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari.* Et cap. fraternit. v. per hæc autem eo tit. ibi: *niſi per inciſionem, aut alio ſimili modo violentia inferatur.* Nam uterque textus ſupponit in his eventibus, fœminam à medicis inſpiciendam, utpote qui nec id judicare, nec decidere poſſunt absque conſpectu. Et ita docent Franc. Aretin. *Conſ.* 142. *dub.* 4. *n.* 15. *verſ.: venio nunc ad quartum:* referens id effectum fuiſſe cum Dorotheâ Filia Ludovici Marchionis Mantuæ. Decius *cap. propoſuiſti. N.* 3. *notab.* 2. *de probat:* & dicens eſſe veriſſimum & obſervatum cum Filia Ducis Parmenſis *&c.* Quæ, quamvis prolixiora, adſcribere voluimus, tùm quod noſtrum aſſertum egregiè confirment, tùm quod notitia accuratior ejus rei apud nos utilitate ſua minime deſtituatur. Non vacat alia, quæ ex Zachia & aliis gravibus Autoribus allata fuere, hic recitare, ſed potius è diverticulo redimus in viam.

Sternutatio. Cœlo ſereno & calenti frequentiſſimæ erant ſternutationes, & jungebantur hæ etiam morbis tum graſſantibus. Diligenter attendimus etiam ad illas, gnari, quod veteres ſternutamentum ſacrum ac divinum habuerint, ſicuti id rectè colligitur ex problem. Ariſtot. *ſect.* 34. *problem.* 7. & fortaſſis ex *lib.* 3. Xenophont. *de expedit. Cyri.* Idcirco & ſternutantes jam antiquo more ſalutantur. Ac hoc fecimus eo majori ſtudio, quia aliqua excretio, ad quam Practici utroque ſemper oculo in morbis reſpiciunt, motu ſternutationis perficitur, & quidem non ſine admirabili naturæ artificio, quod ex comparatione tuſſis cum ſternutatione eluceſcit tantò clarius. Nam etſi tuſſis cum ſternutatione conveniat in ſubitanea aëris exploſione, quæ fit opera diaphragmatis & pulmonum, in tuſſi tamen aër non modo à diaphragmate & pulmonibus inflatis exploditur, verum etiam in ſummum guttur, gurgulionem,

gulionem, & extremum palatum arte quadam incurvatum quaſi in fornicem impingitur; in ſternutatione autem ejusmodi impactio in has partes non fit, ſed clauſo ferè ore ſpiritus ex pulmonibus erumpens, in illos membranæ pituitariæ anfractus, ubi vaſa excretoria in notabili quantitate præſto ſunt, impingitur, ut vel hinc videas in tuſſi pulmones, tracheam, ſummum guttur, extremumque palatum ab humore lento & viſcido liberari, per ſternutationem vero in aliis partibus ejus generis materiam excuti. Regnavit olim ſententia, pituitoſos humores, qui motu ſternutationis excutiuntur, intra calvariam congeri & per Ethmoidei oſſis poros & oſtium in palato, ex pituitaria glandula expurgari, cujus ſententiæ fuit ipſe Martinus Schoockius *in prima, libri de ſternutatione, editione*: at verò poſtquam Schneideri felix induſtria oſtendit, vias has haud eſſe aptas ad ejiciendos hos humores, eo, quod interior dicti oſſis paries à dura matre cerebri exacte tegatur, ipſa verò foramina, quæ in calvariis exſiccatis cernuntur, ex amuſſi occludantur, oſtium item illud, quod ex pituitaria glandula ſerum viſcidum ad palatum ducere credebatur, & omnia baſeos calvariæ foramina ab eadem matre exactiſſime inveſtiantur, ut nullus humor ex iis exſtillare poſſit, rectius, quicquid etiam Auctor Ephemeridum Gallicar. *anno* 1665. *Menſ. Januar. p. m.* 7. moliatur in contrarium, placet Vieuſſens opinio, quæ vult, in pituitaria membrana ſatis diligenter ab eo deſcripta & duodecim aquoſis capitis emiſſariis, quæ oſſibus ſphænoideo, ethmoideo, frontali & maxillari inſculpta ſunt, liquorem illum viſcidum contineri, qui, dum ſternuimus, effluere ſolet. Quondam Clar. Vir Caſpar Hoffmannus vovit, cum ſternutatio opus ſit mirabile, cujus modum nemo Philoſophorum & Medicorum antiquorum explicarit, ut ante vitæ ſuæ finem id fieret: *de cauſa*, inquit, *epilepſiæ novimus fuiſſe votum Magni Cratonis*, *utinam ante vitæ ſuæ exitum aliquis oſtendat de modo, quo ſternutamentum ſit, idem planè vovemus.* Non improbamus quidem hoc diſcendi deſiderium, magis tamen optamus, ut propediem certatim à doctis oſtendatur, in quibus morbis ſternutatio vel ut cauſa, vel ut ſignum proſit, vel obſit. Oppido falſa eſt opinio illa, qua ſternutamentum omne ſalutare putant ei, qui ſternuit, qua in opinione ſive ſuperſtitione vulgus Galliæ eſt; nam, ut Salmaſius *in epiſtol. ad Beverovicium* teſtatur, Galli, cum aliquem ægrotum ſternutare audiunt, Medicum ſuum ab eo dimitti ajunt. Dextra, ut cum Catullo loquamur, (juxta experientiam Noſtram) ſternunt approbatione

1. Catarrhalibus obnoxii affectibus ſub finem catarrhorum.
2. Ophthalmia correpti, quando collyria acria oculis ipſorum admoventur.
3. Odontalgia cruciati.
4. Cardialgia & ſingultu fatigati, unde noti verſus:

   Tollere ſingultum ſternutamenta, Platonis
   Conviva eſt nobis teſtis Ariſtophanes.

5. Mulieres hyſtericæ in ſuffocatione uterina.
6. Etiam Menſtruum penſum perſolventes, cum alias juſto parcior eſt fluxus.
7. Secundinarum remoram patientes.

His, & aliis pluribus, ut hoc tempore, & alias ſæpè experti ſumus, merito acclamaveris illud priſcum ζῶσεις. Cum formidine quadam ſiniſtri eventus adhibueris illud Gentilium chriſtiano ſenſu de Deo vero intellectum ζεῦ σῶσον, cum ægri ſternunt,

1. Senes vertigine correpti, nam ferè frequentia illa ſternutamenta apoplexiam præſagiunt, ut aliquoties obſervatum.
2. Epileptici.
3. Cephalalgia laborantes.
4. Ii, quibus magna adeſt in ſomnum propenſio.
5. Hydropici.
6. Pleuritide & aliis inflammatoriis affectibus viſcerum medii & infimi ventris exæſtuantes.
7. Urinæ fluxum, aut nullum aut impeditum ſentientes.
8. Hæmorrhagia narium correpti.
9. Hernioſi &c. &c.

Nondum experti ſumus, an aliquid veri ſubſit his Plinii verbis: *Oſcitatio in enixu lethalis eſt, ſicuti ſternuiſſe à coitu abortivum.* Dubium etiam eſt, quod tamen proditur, an calculi renum, in ureteribus hærentes, ſternutando poſſint expelli, quia illi muſculos lumbares contingunt. Prorſus autem futile eſt aſſertum, flavedinem ſcilicet cutis ictero in facie contractam, ſternutando discuti. Nec audemus definire, quid in febribus mali moris ex ſternutatione divinandum ſit. Probè edocti ex hiſtoriis novimus in ejus generis febribus ægros illos, quibus ſternutationes frequentes acciderunt, mortuos eſſe, ut patet ex Thucidide, Suffrido, Presbytero, Cardano, Carolo Sigonio & aliis. In malignis illis febribus, cum quibus Nos colluctati ſumus, alii ſternuentes mortui, alii iterum cum ſanitate in gratiam redierunt. Atque ita ab uberiori experientiæ luce, harum tenebrarum diſcuſſio præſtolanda erit, quemadmodum eo fine hæc hactenus allata fuere, ut pateret, quousque aliorum obſervationes noſtræ experientiæ ſint conformes, & alios ad plura obſervanda excitaremus. Hoc admodum peculiare in Sene capulari (qui jam annum ætatis 83. agit) obſervavit D. Helwich & in ſexagenario D. Pauli, quod ſternutamentum, quotiescunque vino incaleſcit (uti illud minime raro à prima juventute fit) Senem admoneat depontanum & alium ſatis prata bibiſſe, & finem compotationi faciendum illico, niſi crapulam gravi dolore capitis, vertigine, &c. die poſtero caſtigari velit, à quibus tamen moleſtiis eſt immunis, ſi, quamprimum ſternuerit, ab ulteriori hauſtu ſibi temperet. Cæterum requiritur etiam Medici conſilium in ſternutatione frequentiori, ſeu ex cauſis internis, ſeu incepto ptarmicorum hodie nimis frequenti abuſu excitata ſit, nam hac via quosdam ſenſum olfactus, quosdam etiam ſimul ſenſum viſus amiſiſſe, conſtat ex Hildano. Præprimis etiam ſternutamenta inania periculum minantur, quemadmodum conſtat ex Cardano & Salmuth. In ſternutatione nimia optimè hydragoga & evacuantia ex gialappa porriguntur. Suus etiam ſudorificis hic conſtat honos; à maſticatoriis, quæ commendat D. Blanckardus, merito

abſti-

abſtinemus, ne, dum his membrana pituitaria irritatur, ſimul ſternutamentum excitetur, quia membrana nares inveſtiens non ſecus ac illa matris duræ propago eſt, cum tamen evidens ſit, ſternutationem oriri ab irritatione tunicæ illius. Oleum amygdal. d., & butyrum non ſalitum non prodeſt, niſi quando externa irritantia naribus intruſa fuerunt, quo in caſu etiam lac, ut & aqua calida abluendo juvant & demulcendo. Laudani opiati efficaciam idem laudat Blanckardus, quo jure, nemo, niſi expertus, novit. Jonſtonus Noſter *in Idea Univerſ. Medic. Practic. l. 4. c. 3.* in fine: *Venulæ*, inquit, *in majori oculorum angulo naribus proximo fortius compreſſæ crebram ſternutationem ſtatim ſedant*, quia nimirum puncta lachrymalia in lymbo palpebrarum breves dimittunt canales in nares deſinentes, ut advertit Steno, canales vero illi conſtricti acris lymphæ deſcenſum impediunt. Nam longius petitum eſt, quod habent problemata ſub Ariſtotelis nomine à nobis in præcedentibus citata, quod calor fricatione concitatus diſcutiat calorem ſeri in naribus, aut, quod alii volunt, compreſſio ſenſum obtundat. Eximie verò præ cæteris juvant frictiones & ligaturæ extremorum, ut & V. S., nec non ſpiritus retentio.

Nullo non tempore mortalibus gravis eſt Hectica, imprimis autem tempore Autumnali. Compertum ſatis eſt, quod & juniores, ſanguinis evacuationibus aut conſumptionibus debitis aut conſuetis perperam intermiſſis ſeu oppreſſis, imò & poſt febres inflammatorias, corripiat, ut optime obſervavit Cl. Stahlius *in problemat. practic. de febb.* & ſenioribus inſidietur poſt febb. quartanas male curatas, & hoc etiam experientia docet, quod quamvis ætatem in hanc miſeriam potus frigidus, poſt æſtuoſum corporis motum avide ingurgitatus, conjicere ſoleat. Nec cauſa proxima hecticæ adeo nos latet. Conveniunt enim facile omnes in eo, quod tabificæ iſtiusmodi febres ortum ſuum trahant ab obſtructione lenta, ulceratione, eroſione, ac abſceſſionibus partium internarum. Nec enim adeo ineptum eſt, quod docet Screta *de febb. caſtrenſ. malign. p. m.* 60. ſcilicet *hecticas febres eſſe manifeſta ſigna internorum ſeu latentium viſcerum abſceſſuum*, modo vox abſceſſus in latiori ſignificatione pro vitio, organicam viſceris ſtructuram aliquo modo lædente, accipiatur, quamvis nullam hic inſectandi veteres rationem Screta habeat, prout optime oſtendit Celeb. Schelhammer *in genuina febres curandi method. part. 3. p.* 117. aliquanto tamen durius, quam par erat, in Scretam invectus. Ulterius ſigna quoque hecticæ neminem temere fugiunt. Ex chronica enim ejus duratione & lentè ſatis procedente (magis enim invaleſcit, & citius extenuatur corpus, ſi fortè febris hæc exacerbetur, aut evacuationes ſymptomaticæ ſubſequantur) tabe, vel à vulgo cognoſcitur. Sed verè ſcire, cujusnam viſceris labes febrim hanc excitet, utut Medici non parum interſit, ut poſtea intelligemus, arduum eſt, nec diagnoſtica ſigna ad hodiernum usque diem à quoquam ſufficienter enarrata. Quodcunque demum læſum fuerit viſcus, adeſt calor, & is quidem patienti non adeo moleſtus, niſi exacerbetur, quod ſumpto cibo & circa veſperam contingere ſolet, ubi tamen in volis

Hectica.

manuum potiſſimum ſeſe manifeſtat: adeſt perpetuò os ſiccius, & vel glutinoſa, vel, quod rarius fit, ſpumoſa ſaliva imbutum, &, ut creſcit potionis novæ potius quam conſuetæ deſiderium, ita ſummum urget cibi faſtidium, nam, ut notum eſt, dum ſummopere corpus languet, etiam appetitus ferè nullus, vel languidiſſimus, aut admodum nauſeabundus adeſt, aut ſi quando excitatior ſit, fere in dyſpeptos ac frigidos cibos fertur, unde niſi faſtidium ſatis cito capiat, ut ante ſatietatem deſiſtat, æger ferè tantum pejus habet; adeſt etiam ſomnus turbulentus, interruptus, & ob perpetuos ſudores, ſqualidus, ac laborem faciens, interdum verò premit vertiginoſa capitis debilitas, qualem experiuntur temulenti; hæc, inquam, & alia ſymptomata contabeſcentes fatigant, in quocunque tandem viſcere fomes tabificæ febris lateat, niſi quod, ubi nobiliora ſunt affecta viſcera, e. g. hepar, pulmones, longe atrocior ſit hectica, quàm ubi renes læſi eandem fovent. Quomodo vero hectica, v. g. pneumonica, ſive ea, quæ ſequitur læſos pulmones, diſtingui poſſit ab hepatica, ſplenetica, nephritica, ſeu quæ læſum hepar, ſplenem *&c.* excipit, ex his ſignis non cognoſcitur. Præclarè de ægris & Medicis mereretur, ſi quis accuratè hoc exequeretur, eundo per nobiliores hecticæ ſpecies. Obſervata à nobis breviter perſtringemus, omiſſa ea, quæ diffuſas, profundas, ac plurimum materiæ ſtillantes, ulcerationes externas conſequi ſolet; De qua legatur Morton. *Tr. de phthiſi l.* 1. *c.* 5. In pulmonari hectica adeſt tuſſis vehemens & valida, qua ſputum ſatis multum ac illud etiam ſæpè ſordidum, ſtriis etiam ſanguineis notatum & purulentum, nec non materia tophacea redditur, quam epulis ſumptis vomitio excipit, nam videas ejusmodi hecticos eousque concuti, dum cibus vomitu rejiciatur. Rauca quoque voce, clangoſa & exili, hectici illi ſunt præditi. Perpetuo in febre hac notare licet reſpirationem frequentem, aliquatenus moleſtam, difficilem, anheloſam, non tam à motu, e. g. levi deambulatione, ſed etiam à quibusvis aëris alterationibus. Porrò ægri hac tabifica febri affecti de pectoris gravitate, &, quæ ab infarctu pulmonum pendet, oppreſſione aliqua conqueruntur, & quoniam lobus pulmonum affectus præponderat, hinc fit, ut ægri in unum latus decumbentes, impetuoſiori vexentur tuſſi, quam ſi in altero cubent, quoniam dum in latere affecto jacent, glandulæ ſeroſa colluvie ſecreta turgidæ comprimuntur, ab his vero compreſſis, continua ſeri exſpuitio in bronchia pulmonum cum continua titillatione *&c.* ſequitur. Aliquando fixus genarum rubor adeſt. Quando ad extrema ventum eſt, prominent ſcapulæ, pulſus fit durus, defluunt capilli, ungues incurvantur, corpus prurigine afficitur, mens errare incipit. Ad pleraque hæc rectius intelligenda, Mortonum *in Tract. de phthiſi l.* 1. *c.* 3. conſulere juvabit. Multa hic cumulare exempla, eorum eſt, qui otio ſuo abutuntur, in praxi enim toto die occurrunt. Ac ne nauſeam creemus, in cæteris quidem hecticæ ſpeciebus in recenſendis exemplis occupabimur.

Hectica pulmonaris.

Hectica diaphragmatis.

Non dubium eſt, quin diaphragmatis inflammationes, vel in ſcirrhum, vel tumores & abſceſſus abire ac hecticæ cauſam præbere poſſint, ſed, quibus eam modis

modis cognoſcere liceat,id non usque adeo eſt obvium. Non à nobis adhuc tractata eſt,quantum ſcimus,ſed, impetuoſam eſſe eique adjunctam inſignem reſpirandi difficultatem cum tenſione præcordiorum ſpasmodica, nulli dubitamus.

Hecticam ex læſo hepate, ut indagaremus, varia egimus, & quæſivimus, an in latere dextro ſenſerit contabeſcens, antequam hecticam incideret, dolorem gravativum, qui ad jugulum usque pertigerit, & collum contraxerit, an exiguam tuſſim cum urina ſatis rubicunda, colore totius citrino, aut plumbeo? aut nunquid expertus fuerit ſingultum? an vomitu cum anorexia & ſiti ſatis magna preſſus? An aliquam tumoris ſpeciem obſervarit? An reſpiratio fuerit ſuſpirioſa, aut ſuſpirio luctuoſo ſimilis? Conf. Bartoletti *method. in diſpnœam lib.* 4. *c.* 23. Hæc enim & alia cum præceſſerint, probabile, licet non apodicticum, de hepatis inflammatione præbent argumentum. Quia vero hepatitis facile in abſceſſus hepatis vergit, operæ pretium eſſe duximus, ſolicitè ſciſcitari, an purulenta materia, vel per urinam, vel per alvum evacuata fuerit? & cujus illa coloris? an fuſca & eo conjuncta cum fœtore, quem alias amurca olei olivarum ſpargit? Saniem hepatis ad rubedinem vergere quidem aſſerit Avicenna, ſed experientia non invicte probat, quibus in caſibus etiam reſpiratio ſolet eſſe longè magis difficilis. Præprimis autem utile admodum eſt noſſe, an febri quartana patiens laborarit, & quomodo ab hac fuerit curatus? an æſtuanti corpore frigidam affatim hauſerit? Hoc enim cum fit, ſanguis coagulatur, hepar conſtringitur, & facilè oriuntur ſcirrhi. His, inquam, aliisque ſolicitè diſcuſſis ſymptomata ritè ſunt perpendenda, quæ, quantum nobis conſtat, in hectica, à labe hepatis oriunda, ſunt ſequentia: Ferè aliquam ſentiunt gravitatem in dextro hypochondrio, aſthmati obnoxii ſunt ſicco, colorem habent lividum ac flaveſcentem, (quaſi icterus cum hoc malo foret complicatus) alii vero ſub primum inſultum morbi crebra tentantur phlogoſi ac facies ipſorum rubet, præcipuè poſt potum, etiamſi is ſpirituoſus non ſit, cum tempore vero incipit palleſcere, niſi, quod pallor ille maculis floridis poſt cibum ſit diſtinctus. Urina, quæ mingitur pauca, colorem aurantiorum æmulatur, conſiſtentia autem ejus craſſa eſt, ac ſedimentum multum, illudque ſubmucidum, grave & ſpiſſum, ac roſei coloris exiſtit. Dejectiones jam nimium duræ, jam liquidæ cito diffluentes & conſiſtentiæ inæqualis, jam verò ſpumoſæ. In appetitu eſt aliqua varietas, modo nimis languet, modo autem fertur in cibum quendam incongruum *&c.* Quanquam vero ita res ſeſe habeat, non tamen putandum, quod ſemper, quando hepar male affectum, febris ſequatur tabifica. In autumno anni præterlapſi, Matrona, diuturna inappetentia, magna ſiti, dolore gravativo in hypochondrio afflicta, poſt aliquot ab ▽. bened. Rul. à Medico exhibita dies, inopinato moritur,quod D. Helwich. ultimo morbi die vocatus fore prædixerat. Anatomicæ inſpectioni cadaver patuit. Ventriculus aqua quaſi elotus videbatur, inteſtina flatu turgebant, viſcera reliqua ſine labe & ſine putrilaginoſa labe, in hepatis vero parte ima ſpectabatur corruptio, ac hepar præ ſiccitate friabile erat, & nihilominus nullo modo contabuerat.

Hectica hepatica.

Hectica ſplenetica. Hectica ex ſplenis vitio orta, nunquam hominem invadit, niſi præceſſerint ſeqq. 1. *Tumor in ſiniſtro hypochondrio* verſus anteriora protuberans, & hominem quaſi in medium cingens, quem, credimus, expertus leno ille apud Plautum, qui ita de ſe: *Nunc jam quaſi zona liene cinctus ambulo, geminos in ventre habere videor filios, nihil metuo, niſi medius diſrumpar miſer.* 2. *Palpitatio lienis* interdum ſatis vehemens, ut ab adſtantibus audiri queat. Vid. Tulp. *l.* 2. *c.* 28. 3. Febris conjuncta cum fervore in ſiniſtro hypochondrio, cibi faſtidio, ſiti. 4. Dyſpnœa, & oppido fallitur Craan, dum autumat, non tam ſpirandi difficultatem adeſſe, quam reſpirationis metum, ob ingraveſcentem ex reſpiratione dolorem, cùm in ejusmodi caſibus nemini ignota ſit aliqua diaphragmatis compreſſio. 5. Decubitus in dextrum latus moleſtior. 6. Durities ſub coſtis ſiniſtri lateris oblonga, ex acutiore principio in latus quaſi & arcuatum ventrem turgeſcens. Hæc, inquam, aliaque ejus generis ſymptomata febrim tabificam ſpleneticam anteeunt; hectica autem lento ſatis pede procedit, & cum hac ferè conjuncti ſunt maximi ſudores, color faciei & totius corporis luridus & ſublividus, pedis ſiniſtri intumeſcentia dura ac tenſa, fuſca & nigricans conjuncta cum dolore urente, vibratili, contuſorio, appetitus utplurimum non dejectus quidem, ſed tamen interdum absque evidenti cauſa faſtidioſus, oris ſiccitas, & tamen non usque adeo magna bibendi cupiditas, cum nauſeabunda hujus illiusve potus generis averſatione, urina ſublivida in virorem vergens, & interdum dilute nigricans, alvus utplurimum adſtricta, interdum aliquo modo concitatior. Ipſi verò contabeſcentes torpidi ſunt, taciturni, moroſi, & profundis cogitationibus defixi, anxii & mœſti, oculis ſuis concavis adſtantibus formidinem aliquam incutientes.

Hectica Pancreatica. Cum in Pancreate origo hecticæ hæret, quid fiat, vel ex ſolo Tulpio *l.* 4. *obſerv. Med. c.* 32. colligere eſt. Prudenter Vir Ille à pancreate ſupra infraque ut turgido & extuberante, ſic intus ſordido pure ac viſcida pituita impendio nimis infarcto juvenilis corporis emarceſcentiam, ſummas præcordiorum anxietates *&c.* deducit.

Hectica Nephritica. Hecticam Nephriticam præcedit 1. Nephritis, i. e. inflammatio renum, ſi propriè vocem accipias; nam nephritidem inter inflammationes recenſet Hippocrates *lib.* 1. *de morb. text.* 3. Nephritis vero cognoſcitur, ut notum eſt, ex dolore in lumbis præcipuè tamen in ſiniſtro, acuto, ardente, lancinante *&c.* (Unde & Auctor *Definition. Medicar.* ait, quod nephritis ſit inflammatio renum cum dolore vehementi *&c.*) ex motu illo febrili vago, horripilatione & æſtu, dyſuria, urina pauca modo tenuiori, modo autem craſſiori, fibroſa & veluti filamentis mucidis interſperſa, *&c.* 2. Sæpe etiam uberior calculi proventus aut tantum excretio ſabuli calculoſi, quod ſtatim cum urina erumpit, & ad ima matulæ præcipitatur. Febrim verò nephriticam comitantur & ab aliis hecticæ ſpeciebus diſtinguunt copioſa muci excretio, ſtriæ ſanguineæ vel muco vel urinæ intermixtæ, exacerbationes vehementiores poſt iracundiam, motum corporis violentiorem,

recur-

recurrentes, contabeſcentia lentiori pede, quam in aliis hecticæ ſpeciebus progrediens.

Omentum quoque hecticam fovere poteſt. Exemplum ejus occurrit in Warthonio in virgine cachectica. Illa per tres menſes ante obitum diarrhæa lenta per vices recurrente unaque frequenti materiæ porraceæ vomitu laboravit, pulſus erat languidus, urina pauca & incenſa, abdomen circa regionem umbilicalem duriuſculum, & ſubtumidum apparebat (quæ ſymptomata DD. Graſſius & Helwich etiam in ſeptenne puero Illuſtris proſapiæ, omento plane deſtituto, notarunt) decubitum in latus dextrum moleſtè ferebat, paulò poſt tuſſicula, ſpirandi difficultate, febricula cum linguæ ariditate infeſtabatur, ac tandem macie confecta fatis ceſſit *cap.* 12. *Adenograph.*; alias, ſicuti tumores omenti nulla arte à tumoribus meſenterii diſtingui valent aſſerente Riverio, ita nec hectica ex omento diſcerni poteſt ab ea, quæ ex affecto meſenterio oritur. Hectica Omentalis.

In Hectica tamen à Meſenterii vitiis oriunda, quæ teneriori ætati magis familiaris eſt, quam virili aut ſenili, febris ipſa eſt ſatis languida atque graviorum ſymptomatum exors, nec functiones ægri quotidianas interpellat, abeſt ferè ſitis, ſed anorexia premit tanto gravior, adeſt etiam tenſionis ac gravitatis ſenſus ſubter ventriculum, imo advertitur quoque aliquando contactu durities, (ita Fernelio oblata eſt ingens contactu durities à ventriculi fundo in utrumque hypochondrium diffuſa *in Conſil.* 67. & rurſus *lib.* 2. *pathol. c.* 7. teſtatur, usque adeò durum à ſe eſſe deprehenſum tumorem, ut penitioribus ſubter umbilicum partibus vel os, vel calculus concreviſſe putaretur: Ab Heurnio totum meſenterium quaſi ſaxeum eſt inventum *Commentar.* 6. *aphoriſm. Hippocr.* 7. Ejus generis tumores duros à Coitero, Hollerio, Cornelio Gemma, Paræo, Fabric. Hildano, aliisque ſunt obſervati.) Nonnunquam ejusmodi tumores non ſentiuntur, quod fit, cùm abdomen turgidum, ac ſenſim nimis protuberat. Alvi ſucceſſus inconſtans eſt, jam nimis lubrica exiſtit, egeſtionesque chyloſis non abſimiles cernuntur, jam verò dura & adſtricta eſt. Rupto abſceſſu, pus vel ſincerum, aut fæcibus permixtum, albi vel citrini coloris, citra dolorem enormem excluditur. Eſt tamen ubi abſceſſus iſti multorum graviſſimorum ſymptomatum, vomitus, nauſeæ, cruentarum alvi dejectionum, lypothymiarum, vigiliarum, ſitis clamoſæ &c. cauſæ ſunt, ut conſtat ex Donato *lib.* 4. *c.* 7. *hiſtor. Med. Mirab.* & Benivenio *de abdit. c.* 33. Hectica Meſaraica.

Nec dubium eſt, quin in febrim hecticam homines ex ſcirrhis & apoſtematibus ventriculi ac inteſtinorum incidant. Ita meminit D. Helwich, ante novem annos aliquem ſenſim Regiomonti extenuatum & ſummè languidum, ad mentionem cibi potusve præ faſtidio cohorruiſſe, & febri hectica contabuiſſe, in defuncto autem ad finem orificii ſiniſtri ventriculi inventus eſt abſceſſus per totam partem gibbam ad fundum usque in orbem exporrectus &c. ut ex Novis Litterar. *Ann.* 1701. *Menſ. Jul. p.* 197. cognovimus. Hectica ſtomachica & inteſtinalis.

Galenus

Galenus *lib. de different. febb. c. 9.* teſtis eſt, ſe vidiſſe, in coli inflammatione diuturna tabidam febrim ſecutam fuiſſe. Idem etiam de veſicæ affectibus perhibet. Ex ulceribus proſtatarum diuturnis in gonorrhæa maligna quid fiat, alibi eſt indicatum. Sed difficiliora ſunt ſigna diagnoſtica. Quando in craſſioribus inteſtinis labes eſt, ſemper adeſt aliqua, in deponenda alvo, difficultas. Meminimus Nobilem fœminam hæmorrhoidariam, poſt ulcus uteri, aſſeveraſſe, ſentire ſe, quaſi per anguſtum aliquem canalem aliquid ejiceretur, ſummis doloribus, quoties alvus eſſet exoneranda, fæces verò, quæ non ſine dolorificis illis ſedibus exibant, erant mucoſæ ſubcinerii coloris. Extenuabatur indies ſenſim cum calore circa noctem increbeſcente, atque hinc minime dubitamus, eam hectica inteſtinali laborare. Habet autem accuratior notitia viſceris, quod hecticæ oleum præbet, tum alias utilitates, tùm præcipuè hanc, quòd evitetur incongrua antiphthiſicorum in hypochondriaca hectica adminiſtratio. Nam cùm antiphthiſica pleraque ſint traumatica, & adſtringendi virtute gaudeant, non poſſunt non augere malum illius tabificæ febris, cujus origo ab obſtructione viſcerum in imo ventre dependet. Et ſanè veriſſimum eſt illud vulgatum: *Traumaticorum noxius abuſus Epitaphium hecticorum.* Imo inde à ſagacibus Medicis diſci poteſt, quibus viis & motibus Natura viſcerum quorumlibet corruptelas avertere laboret.

In omnibus hisce tabificis morbis, ut & in febribus acutis ſubinde frequentem & largum urinæ fluxum, qui diabeti quodammodo affinis, notavit aliquoties D. Helwich, ac operæ cenſet pretium tribus commemorare verbis, quibusnam ille evenerit, quo potiſſimum tempore, quidnam indicarit *&c.* Quantum autem recordatur, plerique eorum, qui hoc ſymptomate fatigati hactenus ſunt, conſtitutionis phlegmaticæ fuerunt, vix autem unus & alter cholerici temperamenti. Ex relationibus ægrorum didicit, in hisce læſæ ciborum concoctionis etiam ante morbum indicia ſeſe obtuliſſe varia; ita aliqui, priusquam in hos inciderent morbos, narrarunt, ſe compreſſivum ventriculi dolorem, Sodam etiam levi data occaſione, ſitim & absque Soda ardorem aliquem, quamvis non adeo ingentem in regione pectoris & ipſo etiam ventriculo variis temporibus percepiſſe, viſcera ſibi calidiora viſa, quæ pathemata induxerunt doctiſſimum Anglum, ut ſtatueret, ingeſtum potum quemvis vim contrahere *diureticam à ſtomachi & inteſtinorum ardore.* Ac ſanè nimis verum eſt, fruſtra nos laborare in moderando urinæ fluxu, niſi quodammodo ſuum ventriculo robur fuerit reſtitutum. Porrò retulerunt, cum antehac ad ſudorem fuiſſent propenſiores, dum commoda uterentur valetudine, eum inclinante ſanitate fuiſſe imminutum, ac ſenſim largius ſtillaſſe urinam. Ulterius plerique etiam incommoda aliqua circa regionem renum, ſive doloris punctorii, ſive gravativi nomine veniant, ſe paſſos fuiſſe commemorabant, ut non absque cauſa conjicere liceat, etiam renes ab omni labe in iis aut non fuiſſe, aut etiamnum eſſe immunes, quamvis ex circumſtantiis vix aſſequaris, an eorundem inflammatio accuſanda, an nimia pororum laxatio, aut an aliud quoddam ſubſit vitium? In omnibus autem hisce ægris, qui nimiam urinæ quanti-

quantitatem profundunt, magnum in ſanguine orgaſmum ac vehementem ebullitionem deprehendas, unde etiam Willis rarum illum affectum diabetem ſanguinis potius, quam renum affectionem eſſe, ſuamque originem ſumere à maſsâ ſanguinis in ſerum fusâ, credit, ratus ſanguinis craſin per acorem ita laxari & quadantenus diſſolvi, ut particulæ aquoſæ à craſſioribus contineri nequeant, quin illæ harum amplexibus evolutæ & ſalſedine imbutæ per tubulos renum excurrant. Sylvius quoque *ſali volatili & valde acri* ut & *acido acerrimo in ſanguine & lymphâ* tribuit vim fundendi ſerum & concitandi uberiorem urinæ fluxum; ex quibus manifeſtum eſt, quod etiam hi clariſſimi duumviri quandam in ſanguine eorum, qui ſæpe & multum mingunt, fermentationem obſervaverint. Imò ante multa ſecula accuratiſſimus Aretæus colliquationem humorum cum hoc affectu conjungi, acutè ut multa alia vidit, & illam hujus eſſe cauſam luculentè docet. Liquari verò atque inſigniter evolvi in ægris, de quibus nobis ſermo eſt, glutinoſam ac balſamicam ſanguinis portionem, imò & ipſam fortaiſe pinguedinem & carnem, colligitur ex macie totius corporis, ſanguine in venis fluidiori, motu cordis & arteriarum celeriori, mordacitate & acredine, quâ digiti tangentis offenduntur, vigiliis nimiis *&c.* Quando autem urinam reddunt in viis urinariis in ipſo effluxu lotii acrimoniam & ardorem ſentiunt. Verum eſt, quod ſcribit Liſterus *p. m.*28. ejuſmodi ægros habere *abdomen rugoſum, venas extantes, totumque habitum corporis gracilem, eſſe anxios ac animo dubios*, quando nimirum urinæ profluvium & ſitis jam inſigniter aucta ſunt; ſed non æquè adhuc compertum, num ante acceſſum & quando morbus *adhuc parturitur*, (quod longo tempore fieri opinatur) *os humore privetur, ſaliva albida ſit & ſpumans &c.* Ultimo etiam pedes intumeſcunt. Quod tempus concernit, obſervatum eſt, in conſtitutione aëris auſtrali humidâ æquè ac calidâ, quam aura frigidior excipit, ægrotantes illos & ſæpius & plus mingere; an verò hinc inferri queat, quod ipſe hic humidior aër in urinam abeat, in quam ſententiam Clariſſim. quondam Wittenbergenſis Medicus Schneiderus *lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 7. *de catarrhis* propendet, noſtri non eſt otii diſquirere; ſed illud addimus, etiam poſt iram, ad quam valdè proni ſunt noſtri ægri, terrorem aliaſque animi paſſiones concitatiori curſu ac uberiori quantitate ferri urinam, id quod etiam contingit poſt frigidum, quem avidiſſimè appetunt, potum, ac notatum eſt, quod tum reddant urinam, quæ parum ab aſſumto potu ratione coloris & odoris differt; & Trincavellus *lib.* 13. *de ratione curandi humani corporis affectus* omnino fidem meretur ſcribens: quod nobilis *ille Venetus, frater Cardinalis quondam Piſani febri correptus, poſtquam aſſumtis quibuſcumque gelidiſſimis* uſus eſſet, vinum non ſolum & aquas, ſed & *ſyrupos non alteratos minxerit.* Conf. *Dec.* 2. *A. X. obſ.* 155. In acutis febribus circa dies criticos potiſſimum ejuſmodi uberior fluxus urinæ cernitur: in diuturnioribus verò illis cum tabe conjunctis, quando de mordaciori calore viſcerum incipiunt ægrotantes conqueri. Eſt autem ejuſmodi urinæ fluxus ſymptoma certè in morbis illis graviſſimum, & vix ullam admittens medelam, niſi in primâ herbâ viribus ad-

huc conſtantibus debitis remediis, quæ hic invenire difficile eſt, ſuffocetur, ita tamen, ut ſemper ad morbum præcedentem, debilemque ventriculum habeatur reſpectus. Unicus caſus eſt, quo Medicus etiam in paulò uberiori urinarum tenuium fluxu per aliquot dies ſpectatorem agere tutò poteſt. Nimirum ſatis conſtat, quod in febribus quotidiè exacerbationem conjunctam habentibus primis ſtatim diebus ſubinde reddantur urinæ craſſæ ac planè perturbatæ, (in quibus grumi quaſi innatant) & quidem in exiguâ ſatis quantitate, quas aliqui in Praxi minus exercitati pro criticis venditare ſolent ſatis imperitè, cum harum ſedimentum ſit & *levius* & *magis unitum*, *compactum ac pendens*, iſtarum autem *aſperum*, *diſſolutum magis*, *fundo matulæ inhærens*. Urinas illas craſſas & paucas declinante febre excipiunt claræ ac tenuiores, quæ quò copioſiores prodeunt, eò citius febris ſubigitur. Et in his circumſtantiis, etiamſi ubertim urina effluat, & ægri etiam ipſi male ſibi ominentur, nihil quicquam ſiniſtri Medicus metuat, multò minus ſibi imponi patietur textu aliquo Hippocrat. ex *libro de judiciis*, qui in hunc ſenſum depravatè citari ſolet: ſi *ex craſſis omnino tenues fient urinæ*, *difficilis* & *inconſtantis ſunt judicii*: Sed potius rem omnem ſecuro animo naturæ committat. At in reliquis caſibus majori circumſtantia opus eſt. Nulla hic evacuantia locum habent, cum ægri hoc in affectu admodum debilitentur, ſatiſque per ſe evacuentur. Aliqui ad adſtringentia confugiunt, & modò *julepos* parant ex ▽. centinodiæ, burſ. paſtor. folior. querc. tormentill. biſtort. ac ſyr. myrth. cydon. corallior. granat. ac. de agreſt.: Modò *decocta* ex rad. tormentill. biſtort. roſar. rub. balauſt. bacc. myrth. nuc. cupreſſ. ſem. plantag. arill. granat. &c.: modò *Pulveres* ex coralliis, bolo armenâ, lap. hæmat. &c. exhibent. Enim verò certiſſimum eſt, quod adſtringentia in humores ipſos exiguam exerceant energiam, quam promptiſſimè in partes ſolidas exerunt; jam verò in hoc noſtro affectu vitium maximum hæret in ſanguine, utpote cujus partes connubio & nexu arcto non amplius conjunguntur. Hoc cum vident alii, id ſibi credunt dari negotii, ut humores contemperent, ſalium combinationes & ſanguinis fuſionem impediant &c. & ut deſtinatis ſuis potiantur, exhibent decocta hordei, emulſiones ex amygdalis, ex ſemine papav. albi melonum, cucumerum &c. ipſum etiam lac; Et ſanè non malè, niſi amplius his debilis offenderetur ventriculus, aut ſi ea dentur cautelâ, ut illum lædere non poſſint; neque ſic tamen ex toto aſſequaris, quod intendis. Neque ulla ex uſu Martialium in ægros redundat utilitas. Opiata tantum abeſt ut rem afflictorum reſtituant, ut potius perdant & anxietates enormiter augeant. Fruſtra etiam ab amylo, tragacanth. reſtitutionem mixtionis ſanguinis ſibi quiſquam fuerit pollicitus. Succinum aliàs egregium eſt medicamentum, ſed quod propter vim diureticam etiam hìc quodammodo eſt ſuſpectum. Maſtichina, niſi æſtum augerent, palmam cum thure reliquis remediis facile præriperent. Reſtant ergò quaſi unice blandiora quædam extracta & mitiores gummi-reſinæ, prudenter exhibita, quæ & ventriculo proſunt, accretiones ſalium, fuſionum autorem diſſolvunt, partium in ſanguine iteratum conſortium promovent ac balſamicâ

ſamicâ virtute corpori robur reſtituunt. De aquâ ſolutionis calcis vivæ & Tincturâ antimonii à *Williſio* commendatis teſtimonium ab experientiâ interponere non poſſumus. Externa, quæ Joh. Franciſc. le Conte *in cap.* 35. *de curatione ardoris in urina* recenſet, inefficacia ſunt.

In iis, ut hoc in tranſitu moneamus, perſonis, quæ affectibus ſpaſmodicis obnoxiæ vivunt, ac in mulieribus, quæ paſſionibus hypochondriaco-hyſtericis vexantur, copioſæ tenues urinæ quæ longè quantitatem potus ſuperant, certiſſime prænunciant, præ foribus eſſe novos inſultus aſthmatis convulſivi, epilepſiæ uterinæ, paſſionis hyſtericæ &c. In aliis autem, qui ab his affectibus immunes degunt, & nihilominus nimis copioſam urinam reddunt, ferè ſemper tutò prædicere licet, eos in hydropem præcipitatum iri, niſi maturè venienti occurrant morbo, ubi tamen plerumque ſurdis narratur fabula, ſicuti toto die experimur. Occurrit nobis aliquod rarum ſingultus exemplum, quod mereri credimus, ut illud paulò diſtinctius narremus. Nimirum tenerioris conſtitutionis puella annum ætatis 13 agens ex mœrore ob morbum matris periculoſum & ſuperveniente terrore ob imminentem ſorori lapſum in lipothymiam incidit, quæ crebrò redibat pertinaci alvi obſtructione, intenſiori æſtu, cephalalgiâ & anorexiâ ſtipata. Vocatus Medicus creberrimo uſu pulverem altero ♃no, altero ♂ali & tincturæ, quam dicebat auream, morbum profligaturus, effecit, ut lipothymiæ toties accederet ſingultus per dimidium horæ quadrantem ſæviens, quoties vel cibum vel potum aſſumeret. Cum itaque exhauſtâ ad luxuriem uſque auri ſpecioſâ Panacæâ & aucta pulverum mole indies augmenta ſumerent memorata pathemata, Medicus arcanis ſuis nimium forſan fidens, petulantiæ, in quam ſexus ſequior ætaſque juvenilis prona judicatur, adſcribere haud verebatur hanc malorum lernam juſtiſſimâ licet ægræ indignatione. Tranſactis lubrico ſub hoc ſolatio viginti, & quod excurrebat, ſeptimanis, ſingultus periodicus tandem degenerabat in continuum, nunquam niſi ſomni tempore inducias permittentem, quem præter alvi ſtipticitatem, æſtum, anorexiam & in deglutiendo ſonum (*) (*wie bey einem leeren Topffe*) paralytici œſophagi indicem, tanta ſubſequebatur virium proſtratio, ut nec artus, nec oculos movere amplius valeret miſerrima. Parentes credulitatis pertæſi & filiam verè agonizare animadvertentes conſilium auxiliumque poſtulabant à D. Klaunig, qui accedens externè pariter atque internè adhiberi curabat remedia, quæ judicabat deplorato ſtatui appropriata. Clauſæ alvo clyſmata, ſtomacho & pectori ſtomachica confortante inſimul & inprimis antiſpaſmodicâ virtute pollentia exhibebat omnis generis, internè quidem utplurimum liquida, quoniam ſciebat ægram pulveribus jam abundanter fuiſſe nutritam, externè verò applicari ſuadebat ſpiritus, fotus, emplaſtra motibus convulſivis & nervorum debilitati dicata. Tragœdiæ huic ſolus per aliquot ſeptimanas adſtabat D. Klaunig, morbo interim in eodem ſtatu permanente; quapropter ipſe autor erat atque ſuaſor, ut alius ipſi adhuc adjungeretur Medicus. Deveniebat hæc ſparta ad D. Helwich. Hi conjunctis viribus morbi ferociam aggrediebantur, uſque dum, continuato inſuper alterantium

(*) Inanis ollæ.

tium & ita dictorum ſpecificorum uſu, aliquid ſolatii invenirent in balneo tamdiu ſingultum auferente, quamdiu aquis immerſa ſedebat ægra. Cum de inſtante menſium fluxu ſuſpicio naſceretur, venæ ſectionem pariter in auxilium vocarunt, non tamen eodem exoptato ſucceſſu, quo gloriatur Th. Bartholinus in *Act. Haſn. vol.*1.*obſ.*73.*p.* 143. ſcribens: quod virginem quotannis per 14. dies continuò ſingultientem apertâ venâ integræ reſtituerit ſanitati. Generoſiora medicamenta propter acceſſum nimis tardum, cum ægram jam invenirent omnibus penitus exhauſtam viribus offerre non potuerunt. Interim famoſum illud ♁ epilepticum, quod blandis vomitibus cruditates in ventriculo latentes excutere ſolet, iteratis vicibus, in exigua tamen quantitate, exhibebant; poſtea verò re aliquoties in deliberationem vocatâ viſum fuit commodum juſtam ejus medicamenti doſin repetere. Hoc facto aliquot ſequebantur vomitus, quos graviſſimum excipiebat animi deliquium. Tandem horâ tertiâ ſequentis diei matutinâ tres ſingultus eæque vehementiſſimæ concuſſiones & vibrationes præter ſpem & opinionem ſingultui per 15 ſeptimanas continuò ſævienti totique inſimul morbo finem imponebant exoptatiſſimum.

Octobris initia benigno calore grata, reliqui autem menſis hujus dies turbidiores & propter pluvias ac frigus inamœniores erant. In Novembri temperato fruebamur aëre, uſque ad Plenilunium, poſtea autem nebuloſus ac pluvioſus corpora noſtra ambiit. Menſe ad finem vergente inconſtans ingruebat frigus, utplurimum tamen ſatis remiſſum. Decembrem inter nebulas, fluctus aëris (ita Verulamius ventos argutè vocat) & pluvias, ſicuti ferè apud nos ſemper fit, tranſegimus. Multi ſub hac aëris conſtitutione tuſſi infeſtabantur. Regnabant etiam febres cum mediocri calore, doloribus hypochondriorum, dorſi, ſiti immodicâ, exanthematibus ſeroſis, purpurâ, pleuritide, ictero & diarrhæâ ſingultuque conjunctæ, ac bezoardicis fixis & volatilibus, intermixtis anodynis, oppugnatæ fuerunt. Parcè data volatilia, & diarrhæa, quandiu pulſus conſtabat, aut exanthemata ſeſe oculis ingerebant, anodynis non eſt ſublata. In his febribus, ut aliquoties D. Graſſius cum aliis collegis obſervavit, non continuò ſingultus vitæ periculum eſt minatus. Quàm terrificum verò ſingultus in malignis febb. ſymptoma ſit, norunt Practici. Epiphanius Ferdinandus *hiſtor.* 27. DEum teſtatur, ſingultum in febribus malignis, tanquam characterem ſummè exitialem, ſibi ſemper obſervatum, & certè ſi delirium accedit, ferè de vitâ actum eſt. Hinc Hippocrates *in Coac.* 89. inquit: *Deſipientia, cum difficultate ſpirandi & ſingultu, mortem affert.* Quò in caſu veteres adeſſe inſignem & validam inflammationem hepatis ſunt ſuſpicati, quod ſuo relinquimus loco. Cùm verò in ſingultu primariò vel diaphragma vel ventriculus, & hujus ferè ſiniſtrum orificium patiatur, licet ventriculus diaphragma, & hoc, vice verſâ, illum trahat in conſenſum, unde divortium ſententiarum enatum, dùm hi pro ventriculo, alii pro diaphragmate pugnant, ipſimet nos fatemur, in noſtris patientibus magis ventriculum fuiſſe affectum, quia ſingultu imminente continuæ febres hæ in intermittentes, quarum focus in primis viis hæret, mutabantur. Et ferè ea Nobis ſedet ſen-

tentia,

tentia, quod ſingultus medicamentis in febb. acutis obtemperantes, ſedem ſuam primario in ventriculo habeant, atque hoc evidenter patet, ut fieri aliquando ſolet, ſingultus in febribus nonnunquam intemperatum Juleporum refrigerantium uſum ſequitur, & vel carminativis, vel vini potu tollitur. Quod etiam fieri credimus, cum enemata aut leniſſimæ evacuationes ſingultum compeſcunt. Id autem non rarò accidit, ut ex Rhodio aliiſque Obſervatoribus intelligimus. Hinc optimè Doctiſſimus Duretus: *Permulti*, inquit, *cum ſingultiendo frangerentur, ductâ alvo per* 5. *dies hierâ picrâ, ſingultiendo finem fecerunt.* Et in bilioſo illo juvene (de quo Timæus *Caſ.* 5. *lib.* 3.) cauſo laboranti cum ſingultu, qui ſolo nivis potu edomitus eſt, ubi mali fomes niſi in ventriculo? Optandum ſanè eſſet, ut præſto forent ſigna, quibus pars primario laborans exactè dignoſci poſſet. Aliqua in ſingultiendo occurrit differentia, quæ nec ſcribi, nec verbis ſatis exprimi poteſt, & à nullo, niſi exercitato in praxi, aurium judicio percipitur. In febb. malignarum ſingultu, in quo diaphragma afficitur, quicquid agas, ferè fruſtra agis, ut etiam hoc anno aliquoties experti ſumus. D. Pauli præerat curæ viri ſanguinei febri malignâ correpti, qui, ubi in ſingultus incidiſſet, Collegam ſibi adſcivit D. Helwich, ambo nulli pepercerunt labori, alexipharmaca in variis formulis propinarunt, initio quidem, poſt exhibitum bolum ex conſerv. ſcord. confect. de hyacinth., theriac. andromach. & bezoard. miner. cum ſaccharo paratum, & cataplaſma contra ſingultum Mynſ., aliaque topica aplicata, ſingultus remittere videbatur, ſed mox iterum priſtinam feritatem induens, nullis bezoardicis cum carminativis remixtis, nullis externis, etiam ſelectiſſimis, nec veſicatoriis demulceri potuit, & æger poſt triduum fatis conceſſit. Eandem tragœdiam in aliis ſpectavimus. Cæterum in febb. illis, de quibus jam ſermo nobis eſt, rarò purgantibus, V. S. vix unquam uſi ſumus. D. Graſſius emetico ſubinde primas vias expurgavit. Is ipſe etiam curavit hâc febri decumbentem viduam 40. annorum, cui menſes ritè fluxerant, ei non tantum vomitorium, ſed & purgans propinavit ac ſudoriferis ſudorem provocavit, cùm verò illa circa 12. nocturnam totius corporis pandiculationem, cum levi debilitate per aliquot noctes experiretur, tertium evacuans dedit, & morbi reliquias eſſent. abſinth. cum eſſent. cochlear. ſuſtulit: eo quidem effectu, ut jam ab epilepſia, cui antea fuit obnoxia, vivat immunis.

Jungebantur etiam his febb. paralyſes linguæ, & inſultus apoplectici, ſine evidenti periculo. Circa ſolſtitium hybernum iiſdem febb. etiam aſthma convulſivum ſupervenit, aliquando etiam parotides acceſſerunt.

Quartanas D. Preus emetico, ♂alibus & cortice Peruviano brevi curavit. Idem cum affectu paralytico-ſpaſmodico linguæ & lateris dextri ſæpiùs recurrente luctatus eſt. Paralyſin quoque febri ſuperveniente ſolutam vidit. In ſene quodam eâdem febri correpto, cum contumaciſſimâ narium ſiccitate, faucium ariditate, obauditione, vigiliis & inquietudine ſummâ, natura criſim moliebatur per ſputationem, & incredibili quantitate intra aliquot dies exturbabat pituitam, ſimilem liquori, quem alumen albumini ovorum con-

quaſſato ſolutum reddit, ut obſervavit D. Helwich, qui etiam illicò recordatus, ſimile olim fatum eſſe expertum poſt pertinaciſſimas lucubrationes, neglectum capitis muniendi, & tumultuaria per ſaxa, per ignes, intempeſtis noctibus, ſtridentibus auſtris & coris, itinera, æternum eruditæ Germaniæ decus ac Polyhiſtorem incomparabilem Thomam Reineſium, ſicuti Vir ſummus ipſemet teſtatur in *epiſtol.* ad Caſp. Hoffmann. *XI.* 26. atque hinc nominatus Collega noſter nullo modo naturam turbare voluit, & ferè tantùm egit ſpectatorem, præprimis cùm quotidie vires ægri creſcere videret.

Dolores parturientium ſpurii.

Parturientes in Autumno hoc, quas nobis noſcere datum, experiebantur dolores & ſpaſmodicas vellicationes ac contorſiones in diverſis locis, ut ambigui hæreremus, an Ileum, cœcum, aut meſenterium has afflictiones pateretur, an in colo mali hujus radix eſſet? Omnes ſurſum magis, verſus umbilicum, ſtomachum ac dorſum vergebant; uno verbo, ſpuriis fatigabantur doloribus, quos ex pomorum, pyrorum & aliorum fructuum ingurgitatione ortas eſſe autumamus. Opportuno tempore vocati, ac de ſpatio geſtationis informati, ut & de conditione orificii uteri interni, & ſitu fœtus certiores redditi, dolores illos ſylveſtres ſopire ſumus anniſi. Ac in cruciatibus his placandis, ſingularem exerunt efficaciam in phlegmaticis & melancholicis eſſentia carmin. D. Mich. & Wedel., cort. aurant., galang., zedoar., caſtor., croc., ſpirit. menth., pulegii, meliſſ. ſal. *ic. aniſ., anticolicus *&c.* pulv. ſtomachicus D. Birckmann., ſpec. diacumin. *&c.* In ſanguineis ſpiritus nitr., elix. citr. cinnabarina *&c.* Externè ſacculi paregorici, linimenta ex oleis carminativis, lauri, anethi, carv., fœniculi, juniperi, balſam. ſtomachale, balſam. embryonis cum pane mellito impoſitus, cataplaſmata ex ſpec. decocti carminat., emplaſtr. de bacc. laur. *&c.* Laudantur communiter hîc & diaphoretica, ſed ex eorum uſu æſtum majorem fuiſſe accenſum recordamur. Abſtinuimus etiam ab enematibus, ne ullo modo præcoci fœtus excluſioni anſam daremus, etiamſi aliàs minimè ignoremus, clyſteribus flatus diſcuti ac inteſtina corroborari quàm optimè. Hoc in caſu etiam rariſſimè V. S. apud nos celebratur, tametſi in ſanguineis, ubi ſanguinis depletio neceſſaria eſt, cum maximo ægrarum levamine adhiberetur. Toto verò hic die ab imperitis obſtetricibus peccatur, quæ cum ſummo matris & fœtus damno, præſentibus crudis doloribus, ad conatus pariendi & verbis, & incongruis remediis (nam & pharmacorum diſpenſandorum licentiam ſibi vendicat muliercularum iſtarum arrogans ſimplicitas) gravidas compellunt, quo ſtolido auſu ſæpè optimus ſitus fœtus in periculoſum convertitur, & hanc temeritatem mater aut proles ſæpè morte ſuâ expiat; Interea illa, quæ fœtum roborant, minimè ſunt negligenda, & potiones analepticæ cæteris interponendæ remediis.

Urinæ ſuppreſſio in gravidis.

Noſtrum quoque conſilium expetitum fuit in urinæ ſuppreſſione cum ardore genitalium conjuncta, qua fortè ob compreſſionem ſphincteris veſicæ ex grandiori fœtus mole ultimo geſtationis tempore nonnullæ infeſtantur. Cautè hîc mercandum

cum

cum diureticis, & vix à nobis potuimus impetrare, ut propinaremus ſpiritum ſalis, tinct. nephritic. Ammelungi, malvat. juniper., tartar. vitriolat., juſcula cum petroſelino parata *&c.* ac ferè unicè externis contenti fuimus. Balneorum virtus hic eximia eſt. Pectini quoque & perinæo cataplaſmata ex rad. alth., herb. malv., cherefol., parietar. naſturt., apii, bacc. laur., ol. ſcorp. optimè applicantur. Mulierculæ cæpas butyro frixas apponunt, non ſine levamine. Cùm verò ſermo noſter inciderit in affectus gravidarum, non abs re fuerit paucis delibare, quomodo in ſpaſmis & teneſmo earum removendis fuerimus verſati. Spaſmi vicinarum partui, quantum nobis quidem conſtat, ex compreſſione & extenſione fibrarum ac nervorum, dùm uni lateri diutiùs incumbunt, oriuntur. Ac ita quidem fert uſus communis, ut in hoc affectu juncturæ ſecundum nervorum ductum, eſſent. caſtor., elix. uterin. aqu. apoplectic. & epilepticis variis, articulari Mynſicht., ſpir. formic. vel unguento nervino illinantur; enimverò tantùm abeſt, ut hinc mitigatio ſpaſmi ſequatur, ut potius intendatur. Calidum lac hic omnibus reliquis faſtum fecerit medicamentis. Imò ipſam ▽am calidam ſpirituoſis omnibus, duce experientiâ, præferimus, minimè cæteroquin inficiantes, quòd pedilavia cum emollientibus & blandis nervinis remixta, optato etiam gravidas exhilarent eventu. In remediis, quæ teneſmo utero ferentium opponuntur vulgò, nihil eſt, quod deſideremus. Apprimè ſatisfaciunt expectationi fotus ex fol. querc., florib. thapſi barbat., chamæmel., roſar., ſem. lini, linar., furfure tritico, in lacte, vel vino, pro re natâ decoctis. Nec minùs ritè ſe gerit ſuffimentum de verbaſco Mynſ. in ſellâ ano exceptum. Internorum hoc in caſu non adeò magnus eſt uſus, niſi ab hoc cenſu oleum amygdal. d., cujus ſpectatæ in demulcendo vires ſunt, excipere velis, quod & nos non adeò nauſeabundis ordinavimus. Spaſmus & teneſmus gravidarum.

In hoc autumno frequenter obſervavit D. Helwich artuum tumores à ſcabie ſolis externis unguentis præpoſterè curatâ; hi, partim laxantibus, partim ſudoriferis & ☿ialibus unicè tolluntur, externa, cujuſcumque etiam generis ſunt, ſive adſtringentia, ſive diſcutientia, nullum effatu dignum hic præſtant effectum. Ab emplaſtro diaſulphur. grave damnum idem in ejus generis tumoribus notavit; nimirùm cum antea appetitus optimus eſſet, & reſpiratio liberrima, poſt hujus emplaſtri applicationem dejectum appetitum, & reſpirationem impeditam & anxietates præcordiorum natas vidit.

Notabile exemplum paralyſeos linguæ habuimus, hodieque adhuc habemus in Viro generoſo temperamenti ſanguineo-cholerici. Is in juventute itinera plurima quovis cœlo peregit, & errores plures in victu, cibo & potu commiſit. Poſtquam ex itineribus illis in patriam reverſus eſſet, initio quidem per aliquot annos ſatis bene vixit, ferè verò jam à tribus luſtris aliquam in loquendo difficultatem ſenſit, quæ tardè ſua ſumpſit incrementa, donec non niſi dentibus fortiter conſtrictis vocem quaſi inarticulatam ederet, an in utroque latere mandibulæ fragorem inter loquendum perciperet. Linguæ Paralyſis.

Fati-

Fatigatus à malo, varios fatigavit Medicos, donec in aliquem 7 Vratislaviâ milliaribus diſtantem incideret, qui perfectam mali curam promiſit, balneiſque ex nervinis & aliis id aſſecutus eſt, ut non tantùm jam verbum nullum, niſi fortè aliquando manè, quod tamen modò fit rariſſimè, clarè ac diſtinctè proferre poſſit, ſed & obambulandi & corporis movendi facultatem amiſerit, lingua ipſi gravis & continuò ſalivâ abundat. Initio locum affectum meritò credimus fuiſſe nervos paris ſeptimi, ſecuta deinde plena paralyſis non nervos tantum, qui motum organis ſermonis impertiunt, ſed etiam linguam & muſculoſas vicinarum partium partes afficiens. Dentium iſta conſtrictio omninò etiam magis paralyſi, quàm motui convulſivo maxillæ inferioris muſculorum tribuenda videtur, &, ſi quid videre nobis datum eſt, muſculi maxillæ inferioris deorſum trahentes invalidiores ſunt ſurſum trahentibus & os claudentibus, atque veriſimile eſt, eos magis robore ſuo deſtitutos eſſe. Fragor, quem olim inter loquendum percepit, à mucosâ ac glutinosâ humiditate ipſam articulationis cavitatem occupante, ortus eſt ſine dubio. Nec falletur, qui hujus paralyſeos cauſam conjecerit in ſerum, quo magis, quam par eſt, nervi & fibræ muſculorum ſunt irrigati, copia autem illa ſeri fortè originem trahit à diætæ erroribus, motibus corporis cœlo vel nimis fervido, vel nimis algido, abuſu vini, catarrhis *&c.* Obſervatum etiam aliàs à nobis eſt, non magnam ex balneis nervinis nanciſci paralyticos utilitatem, ſed majorem fere præſtare effectum ſacculos ex lavend. ſalv., hyſſop., thymo, roremarin., majoran., chamædr., betonic., fl. prim. ver., lil. conv. calidè & ſiccè impoſitos, aut ſanè epithemata non adeò madida. Ad hunc virum nuper vocatus D. Helwich, is, conſiderata habituali in eo paralyticâ, non tantùm in linguâ, ſed & in artubus debilitate, quæ per tantum tempus profundè radices egit, perpenſo etiam torpore, ſomnolentiâ ac fere ſtupiditate Viri, rotunde, non eſſe in artis poteſtate, hîc auxilium aliquod tàm afflictis afferre rebus, faſſus eſt, & cùm inſtaretur, nodulum ex carminativis & nervinis jamjam memoratis admovit, ut ita alvi inſolitæ ſiccitati per 7 & 8 dies fere & ordinario duranti ſuccurreretur. In ſolatium etiam ægri, morſulos cephalicos, linimenta, mixturas cephalicas *&c.* præſcripſit, ac autor fuit, ut ceratum de galbano afflictorum muſculorum principiis & potioribus tendinoſis inſertionibus applicaretur, his ſaltim apoplexiam, quæ merito metuitur, pro virili averruncaturus. Quâ occaſione tacere non poſſumus, nullam prorsùs ſpecialem efficaciam in paralyticis obſervatam fuiſſe ex uſu olei vulpini, lumbr. terreſtr. pingued. caſtor. externo, eſſentiam quoque caſtorei cum ſpirit. lumbric. internè minùs expectationi ſatisfacere. Ubi à refrigeratione mali initium, ibi oleum ſuccini, laterinum, ſpic. carv., ſerpill. therebinth. *&c.* non contemnendi uſus ſunt. Decoctum ex lumbricis, rad., valerian., herb. betonic., ſalv., majoran., ſummitatibus roriſmarin., fl. lavend., ſem. milii ☉lis, melle *&c.* debitâ quantitate & tempore, corpore evacuato, præmiſſis etiam reliquis, eſt remedium ſatis præclarum in imminentibus paralyticis debilitatibus & fatigationibus. Non tamen diſſimulamus, quod in pulvere ipſo lumbricorum virtus longè ſit præſentior, quàm in omnibus præparatis.

Creber

Creber etiam affectus erat hiſce diebus inflatio ventriculi interdum ſatis enormis, quam ructus, difficultas deglutiendi, orificii ventriculi diſtenſio, comitabantur. Ructibus ſuppreſſis, tendebatur regio epigaſtrica, & ſenſus diſtenſionis ejus ad pectus, collum atque dorſum ſeſe diffundebat, non ſine magna præcordiorum anxietate, ſpirandi difficultate, dum ægri cubabant ſupini; epigaſtrica regio percuſſa ſonum edebat, ac dum ab uno latere ſe in aliud ægri provolverent, motum flatulentiarum percipiebant. Facilis erat parata his medela in evacuantibus & carminantibus, non tamen nimiùm calidis, quibus pituita ſtomachalis facilè in flatus reſolvitur. Egebat tamen hæc cura ſuis cautelis. Nam flatibus torquebantur etiam illi, qui flatulentis & diſpeptis corpus non repleverant, ſed ut hypochondriaci ſolent, acida cruditate abundabant, quibus purgantia non conveniunt, ut rectè jam monitum eſt à Sylvio. Inflatio Ventriculi.

Alii hoc Autumno corripiebantur Lienteria, ac aſſumptos cibos nihil alteratos ſtatim poſt prandium dejiciebant. Sublevabantur hi egregiè ſtomachicis præprimis ex mentha & abſinthio paratis, niſi, quod aliquando eveniebat, cum ictero, hydrope, febribus tertianis lentis eadem complicaretur. Quidam cibos in pulticulam reſolutos non diu poſt prandium egerebant, uno verbo, cœliaco laborabant fluxu, atque hoc vitium iisdem, quibus Lienteria, remediis ſuperabatur. Lienteria.

Exempla etiam Aſthmatis Stomachalis nobis offerebantur, ſive cruditates in flatus reſolutæ diaphragma comprimerent, ſive ventriculus, à contentis ſuis in ſpasmum concitatus, contiguum ſibi diaphragma ſimul afficeret. Hujus aſthmatis nulla ſunt certiora ſigna, quam quòd ab aſſumptis alimentis paroxyſmi recrudeſcant, & humoribus vitioſis vomitu rejectis ſedentur ac compeſcantur. Imò unum alterumve datum fuit exemplum febris anheloſæ & aſthmaticæ, quam deſcribit Sylvius *lib.* 1. *prax. c.* 30. Invadebat illa cum magna abdominis diſtenſione atque præcordiorum anxietate, quæ tamen decreſcebant flatibus ἄνω ἢ κάτω, effractis repagulis, cum ſonitu erumpentibus. In eumetis, ubi circumſtantiæ permittunt, cura vomitorio expediri poteſt, quod in ejus generis affectu non ſine cauſa Platerus, Sennertus, Riverius, Timæus aliique commendant. Aſthma ſtomachale. Febris anheloſa.

In Viro quadragenario circiter chyloſam urinam, qualem deſcripſit Timæus *l.* 3. *caſ.* 43. vidimus; qualem non meminimus à veteribus notatam. Certè Caſp. Hoffmannus, in veteri Medicina ſine exemplo verſatus, cum poſt viſitationem pharmacopolii torpore corporis & animi correptus conniveret potiùs quàm dormiret, & vomitu dejeciſſet pituitam lentam, quæ ſenſum præbebat ſui quaſi pertranſeuntis lardi *&c.* ac urinæ hujusmodi tantillum ſingulis penè quadrantibus mingendo reddidiſſet, vix habuit, quod reſponderet ad verba hæc uxoris: *Lac minxiſti hac nocte.* Et Archiater ejus, cùm oſtenderetur urina iſta, dubitavit, an quicquam tale vacuaſſet Hoffmannus, donec his verbis rei veritatem æger adſtru- Urina chyloſa.

xiſſet: *Quam vere hic jaceo, inquam, tàm vere hæc minxi.* Unde Medicus amplius admirans, abiit dubius, ut ipſe teſtatur Hoffmannus in epiſtolâ quâdam ad Reineſium. Cùm verò hujus urinæ natales nuſpiam cum majori veriſimilitudine quæri poſſent, quàm in ventriculo (nam dùm hoc primæ coctionis organon in operatione ſua deficit, cruda & minus cocta non tantùm ad inteſtina, ſed & ſanguini miſta, ad reliqua viſcera, ipſosque renes confluunt, & magnâ ſalium vi iterum à ſanguine, cum quo ad breve tempus erant confuſa, præcipitantur) cura ad vitioſam digeſtionem emendandam convertebatur, hâcque correctâ corrigebatur etiam urina. Huic non adeò abſimilis eſt urina puerorum gulæ nimis deditorum & ſe cibis ſapidis quibusvis infarcientium, quæ etiam reliquis anni partibus non prorsùs inſolens eſt, & ex eodem fonte, cruditate ſcilicet ventriculi, oritur, quam cùm ſuſtuliſti, etiam urinam mutari videbis.

Ulcera calloſa & ſinuoſa.

Conſilium noſtrum non minùs hoc tempore à Chirurgis requiſitum fuit, quomodo in ulceribus ſinuoſis inveteratis interne ortis & oblongis, exterius verò calloſis, ritè ſeſe gerere deberent. Hæc enim ulcera tùm aliis temporibus apud nos, tùm maximè in Autumno Chirurgis crucem figunt. Et hic optandum quidem eſſet, ut Chirurgi noſtri Italos imitarentur, & ubi res patitur, totum ductum fiſtuloſum diſcinderent, at fruſtra iis, nec minùs ægris hæc cantilena canitur. Difficultas autem curandi fiſtulas cum oriatur & à ſuperficiei calloſitate aut fungosa deturpatione, & à fibrarum abſumptarum reſiduo, tandemque vaſorum per ejusmodi tractus diſſeminatorum eroſione, ac ultimo, ſi diutiùs ulcera duraverint, oſſium carie, nec enim novum eſt, quod recenſet Muys, quod ex ulcere fiſtuloſo aliquot fragmenta oſſium pertraxerit. Nos hos fontes malorum convenientibus obſtruere remediis ſategimus. Ad calloſam horum ulcerum cavitatem tollendam, & fibrarum reſiduas partes abſumendas, ſeptica commendavimus. Ac ſane hìc ærugo egregium præſtat effectum, modò ad oſſa & tendines fiſtuloſa corruptio non pertingat, ibi enim grave infert damnum. Ut notabili exemplo tùm edoctus D. Helwich in Viro eccleſiaſticâ dignitate conſpicuo, poſt febrem ardentem parotide correpto, hæc non debitè tractata fiſtulæ maxillari ſub dentibus molaribus inferioris maxillæ erumpenti occaſionem dederat. Poſtquam itaque dentem Chirurgus evulſiſſet, rectè credens absque evulſione hac nullam ſperari poſſe curam, improvidè admodùm unguentum Ægyptiacum non tantùm injectionibus admiſcet, ſed & locum ab evulſo dente vacuum eo infercit, ratus, optimè ſe rerum ſuarum ſategiſſe, ac perſuaſus ſordes ita detergi, ſpongioſam carnem abſumi hoc unguento, quod aliàs quidem verum eſt. Sed quid hic fit? Non tantùm poſt applicationem hanc pura effluebat lympha in quantitate inſigni, unde corpus ad maciem redigebatur, pedes intumeſcebant, ſed & pars maxillæ abſcedebat. Inter diſceptationes, unde effluxus ille lymphæ ortus eſſet, & quænam cauſa, cur receſſiſſet pars illa maxillæ, ordinario quidem Medico Chirurgum accuſante, quod ☿alibus, ſe inſcio, uſus eſſet, Chirurgo vero id ſtrenuè negante, æger facilè contabuiſſet; D. Helwich

Helwich advocatus facilè videbat, ſtillicidium illud lymphæ non aliunde ortum, quàm ex læſione glandulæ Warthonianæ & ſeceſſionem partis illius maxillæ ab incongruo unguenti Ægyptiaci uſu profectam eſſe, ac id agebat, ut modò ſpiritus vini rectificatus, modò eſſentia ſuccini debitè adhiberetur, quæ medicatio ægro tandem etiam ſalutaris extitit. Cæteris indicationibus in curâ fiſtularum, præprimis autem conſolidationi promovendæ, primario inſerviunt balſamica, externè verò etiam diſcutientia & nervina applicata proſunt, non neglectis ſuccinatis interne ad avertendum ſeroſorum humorum affluxum propinatis. Quo ſcopo etiam vulgaria lignorum decocta non inutiliter commendantur. Alii etiam multa in laudem variorum traumaticorum ſcribunt, inter quæ tamen hedera terreſtris, bellis arvenſis, ſanicula, reliquis palmam præripiunt. Novimus quendam, qui multa ab uſu ſulphuris hic ſibi pollicetur, quod quidem facilè admittimus illo in caſu, quo humores ab ulcere in corpus regreſſi turbas cient, tùm enim ſulphuratis iterùm ad ambitum corporis propelluntur, & turbæ ex retropulſis humoribus ortæ ſedantur. Si à carie oſſium conſolidationi obex ponatur, parùm ſanè ſpei in medicamentis reliquum eſt, ſed hîc neceſſariò partes corruptæ ſunt abradendæ, quod ubi factum, eſſentiæ balſamicæ rectè ad integritatem oſſium conſervandam, ulterioremque corruptionem avertendam adhibentur.

In communi iſta morum labe, quâ major Europæ pars contaminata eſt, omni tempore oculis obſervantur nobis in praxi gummata Gallica, ſed, ut compertum eſt, maximopere circa autumnum ſæviunt, ac pravam ſementem non niſi meſſis ſæviſſimorum dolorum excipit. Conſpiciuntur, ut notum eſt, hi tumores non tantùm circa articulos partium, ſed & in media fibulâ, ac in medio cubito, ac nonnunquam ſerta ſunt, quibus capita horum procorum (an porcorum) coronantur. In partibus mollioribus poroſioribus non adeò nidulantur, quàm in membranaceis & glanduloſis. Materia horum viſcida ac lenta eſt, & quidem lymphaticoſalivalis, ut patet ex fœtido & ſummè putredinoſo odore, qui ſufficiens mucido-pinguis ſubſtantiæ, qualis lymphaticus eſt humor, ſignum præbet. Hinc etiam fit, ut in ambitu horum ulcerum inſignis durities offendatur, quæ vel ex fiſſuris eluceſcit; nam notum eſt, quòd ſero-ſalivales humores tenaciſſimi morâ & quiete reddantur. De hâc origine horum gummatum etiam teſtimonium perhibet inſignis ille pruriginoſus ardor, qui moleſtus ægris eſſe ſolet, nam hic non aliunde, quàm ab acri lymphâ eſſe poteſt, ſi enim à ſanguine eſſet ardor, eſſet inflammatorius. Non rarò cùm his oſſium corruptio combinatur. Et experientia teſtis eſt, quod Gallicis illis ſtaſibus oſſa arrodantur, & nigro imbuantur colore. Ejusmodi ♀eos nodos non impetu quodam aggreſſi ſumus, quem materia lenta ac viſcida vix admittit, ſed lentè in curâ iſtorum feſtinavimus. Et primò quidem ante omnia ſanguinis depurationi ſolerter intenti fuimus, ac mundato ſanguine ad curam gummatum illorum progreſſum fecimus. Aliquando Clar. D. Sorbait imitati, applicavimus empl. Gummata Gallica.

empl. diachyl. c. gummat. & ☿io, aut de ran. Vigon. c. ☿io, aut alio modo putrefactionem tumorum horum procuravimus, ac cauſtico aperuimus. Mundificationem inſtituimus unguento baſilico, cui parum ☿ii præcipitati admiſcuimus. Circa partem affectam in ambitu emollientia emplaſtra, ☿ialia remedia, rariùs lamellam plumbeam ☿io dealbatam appoſuimus; omnia tamen fruſtra adhibentur, quando oſſa carie infecta ſunt, niſi huic malo eô, quo ante dictum eſt, modò occurratur. Hoc tempore etiam hæmorrhoidem oris, à Medicis prætermiſſam, obſervavit D. Helwich, quam fuſius deſcriptam in Ephemeridibus noſtris proximè èdendis legere licebit.

Nobilitate generis & virtutis inſignis fœmina, temperamenti ſanguineo-cholerici, Anno ætatis quinto & trigeſimo, cæteroquin aliquot prolium mater, poſt abortum maximo ſanguinis profluvio illi fere funeſtum, iterum concepit, & ſub dimidio geſtationis tempore œdematoſo pedum tumore correpta fuit, tanto quidem, ut difficili greſſu incederet. Neque tamen vaſa in pedibus tumentibus, ſicut alias in gravidis, valde fuere conſpicua. Hæcque, licet procedente tempore magis magisque laſſa redderetur, & de lumborum & femorum dolore ac gravitate, aliisque incommodis quereretur, fortiter tamen ſatis omnia, ut erat animo generoſo, pertulit. Imminente verò partûs tempore, cùm, comitantibus Amicis, quos manè convivio exceperat, & cum Domino Marito, ad captandum liberiorem aërem extra mœnia vecta, corpore carpento leviter concuſſo ſubitò ad reddendam urinam ſtimularetur, humorque aquoſus ante fœtum efflueret, illa neceſſitate coacta domum rediit, ubi languidiori dolore, perque longiora intervalla repetenti ſtimulo afflicta, tandem puellam, qua tenerior non viſa, per Dei gratiam enititur. Poſt partum vomitibus fatigata gravibus puerpera D. Helwich vocari juſſit, qui in circumſtantias cauſasque inquirens, admiſſum frigus, & negligentiorem obſtetricis in circumponenda abdomini faſcia manum, accuſari percipit. Præſcribitur ab eo potiuncula ex ▽. pulegii, artemiſ. meliſſ. carminat. polyophel. Cinam. borrag. eſſent. carminat. elix. uterin. D. M. & ſyrup. meliſſophyll. ad ſedandos vomitus, compeſcendos flatus, & promovenda Lochia. Externè illinitur ▽a Panis cum Vino Malvatico deſtill. & eſſent. Croc. ex his vomitus conquieſcere cœpit; aſt Lochiis ſegniùs fluentibus neceſſum videbatur tale remedium, quod & debili ventriculo ſuccurreret, obſtructionem alvi tolleret, & illorum ſimul fluxum augeret, hujus generis eſt elix. propriet. P. s. acid. c. eſſent. myrrh. tartariſ. ex ejus uſu & externa applicatione cum ▽. virtut. cordial. citr. balſam. vit. & aliis contra deliquia, omnia ex voto fluebant, niſi quòd cereviſiam ex tritico coctam minùs benè ferre poſſet, ejusque in locum decoctum ex hordeo, rad. polypod. ſcorzon. &c. ſurrogari permitteret.

Sexto à partu die tuſſis noſtram adoriens, mox pectoralibus, ſuccinatis, & decocto ex rad. altheæ, liquirit. farfar. fruct. ſiliq. jujub. ſem. aniſ. &c. oppugnata facilè cedebat; ingens tùm malacia erat, in ingentes impoſterum naufragio infames tempeſtates deſitura. Quippe poſt menſem exhibiti ordinario

dinario Medico tumentes Pedes terrorem incutiebant, dùm facilè prævideret, tumorem hunc aliquid monſtri alere, nec eſſe ex eo genere aliàs gravidis ſolito, qui lochiis ritè procedentibus, ſicuti in noſtra factum, ſenſim evaneſcit, hic enim majus augmentum capiebat. Quid conſilii? Lactatio infantis, vires partus labore exhauſtæ, motuumque in corpore variæ ataxiæ, nec draſticis purgantibus, nec validioribus diureticis, nec fumoſis ſudoriferis hic agendum eſſe ſuadebant. Calculo probe ſubducto & demonſtrata ablactationis neceſſitate, ſupra nominatus Medicus curam auſpicabatur pilulis ex extract. angel. helen. helleb. n. gran. chermes, ſuccis abſynth. ſcord. card. b. gummatibus juniper. heder. arbor. &c. Quibus ad tempus adhibitis progreſſus eſt ad electuar. ex rob. juniper. ſambuc. ſale. abſynth. geniſt. ☿ diaphoret. ♂tial. c. ſyr. d. ſpina cervin. adjunctis enematis ad ſeroſam colluviem educendam. Tumidis pedibus circumpoſitum cataplasma ex rad. plantag. bryon. herb. calamenth. origan. ſalv. chelidon. major. ſummit. abſynth. flor. chamom. melilot. balauſtior. ſem. leviſtic. baccar. juniper. laur. in vino decoctis. Inter quotidiana de ablactando infante monita, poſt uſum multum & aperientium, anticacheticorum e. g. ♂tial. tartareor. & pepticorum, carminativorum in formis variis, ſanè opportuno tempore datorum & ſæpius repetitorum, providè factus fuit progreſſus ad evacuantia, puta, nodulos.

1. Ex rad. galang. calam. aromat. pimpinell. fol. agrimon. abſynth. ſenn. ſſ. flor. perſic. centaur. min. rhabarb. ſem. cartham. ebul. fœnic. dauc. cret.

2. Ex rad. apii, petroſelin. leviſtic. imperat. pimpinell. cord. median. ſambuc. guajac. herb. marrubii. fol. menth. &c. addito ſal. tartar. Et cum ſubinde corpus ad ſudorem inclinaret, diaphoretica interpolata diebus ab evacuatione liberis, imò & diuretica in uſum vocata, e. g. lixivia ex ciner. geniſt. ſtipit. fabar. juniper.; non omiſſis corroborantibus: vino nempe abſynth. enulat. ut & trageis; quibus & topica varii generis diligenter adhibita, annumeranda. Et quo major ex horum remediorum uſu ſperari poſſet effectus, potus & alimenta virtutibus hydragogis gravida præſcripta fuerunt. Et hæc enarrata methodus tam proficua Noſtræ videbatur, ut hac appetitum ad tempus redire, pedes detumeſcere, ſitim & dyſpnœam remittere ſentiret. Aſt dolenda gaudii hujus brevitas; quippe denuò creſcens pedum tumor, ad femora usque protendebatur, nec non circa lumbos extravaſati ſeri indicium præbebat leucophlegmatica inflatio, ita ut omnibus in pejus ruentibus D. Pauli in conſilium ſimul vocatus fuerit, qui rebus optimè perpenſis, & ablactandum infantem, & in prædictis medicamentorum generibus pergendum eſſe monuit. Noſtra dictis patientiſſimè audiens, nullatenus tamen convaleſcebat: Hinc tertius arceſſitus Medicus multus quidem in celebrandis hactenus adhibitis remediis, fortiora tamen ſuadebat purgantia. Nos conclamatum hujus ſtatum videntes, indeque facilius tertio conſentientes, poſt quartam validiorum ejusmodi pharmacorum doſin ægram longe pejorem magisque longè diſtentum abdomen obſervavimus. Quatriduo hinc ante mortem paracentheſi,

centheſi, cujus mentionem fecit tertius, & à Nobiliſſimo Marito, tanquam unico ſervandæ uxoris remedio, approbatæ, jam dies & hora deſtinabatur, ſed prævenit eam hydropicæ mors, formidine operationis maturata, nam ſub veſperâ ſatis bene adhuc reſpirans, & cum Dn. Marito cœnans, primo diluculo exſpiravit.

Subditum manè luſtrationi corpus, properante cultro peritonæo pertuſo, aqua, cui inteſtina innatârant, ex ſanguinis tincturâ ſubflaveſcens, aſt minime fœtida, decem congiorum circiter promanabat. Profectione ulteriori factâ, obiter inſpicientibus illæſa videbantur viſcera, præter duriorem lienem, qui non videbatur juſtam magnitudinem adeptus. Quanquam Malpighius *in Reſponſ. ad oppoſit. centenas in Triumph. Galeniſtar. p. m.* 238. *in oper. Poſthum.* providè moneat, tùm in aliis, tùm in pulmonibus ipſis adeſſe poſſe internam rupturam pulmonum, quæ ſufficiat necando homini mediâ laceratione vaſorum & ſubſtantiæ pulmonum, & conſequenter inflammatione ac motu impedito totius ferè ſanguineæ maſſæ *&c.* & eam tamen agnoſci non poſſe à Profectoribus etiam accuratiſſimis in Theatris Anatomicis omnia diligentiſſimè & oculis microſcopio armatis rimantibus; ut proinde nulla his tribus Medicis inferretur injuria ab eo, qui iis de integritate viſcerum, vel vaſorum in iis contentorum lymphaticorum in hoc cadavere teſtibus fidem derogaret. At verò, Laus Deo, benè factum, quod in hac feſtinante inſpectione omentum benè inſpectum, quod diſruptum, friabile, putridum ac omni pinguedine deſtitutum, hincque ſeroſæ iſtius colluviei intra abdomen collectæ ſcaturigo, conſequenter cauſa mortis hujus eſt inventum. Nec prima eſt Nobiliſſima Matrona, quæ propter omenti læſionem obiit, ſed propter eandem cauſam Virgo mortua legitur apud Theophil. Bonet. *in ſepulchr. l.*3. *Sect.* 21. *Obſerv.*33. *p.* 1127. Omentum quippe duplicatum, emiſſis aquarum 46 menſuris, omni ex parte ſanioſum repertum, cæteris officinæ naturalis viſceribus optime conſtitutis. Propter ſimilem omenti defectum obiit alter ille, de quo Warthon. *in Adenographiæ c.*12. conſulendus, nec non mulier alia hydropica, apud Barthol. *Centur.* 1. *Obſervat.* 2. Acuratiſſimus Stenonius ſecuit Rangiferum ex hydrope demortuum, ac unicam morbi & mortis cauſam lynceis manibus in omento offendit teſte celeberrimo Borrich. *in Act. Med. Hafnien. An.*1673. Quin Volckammerus noſter, Practicus experientiſſimus, veram hydropis aſcitis originem omento aſſignare audet *in ſchol. obſervat.* 18. *&* 19. *decur.* 1. *Ephemerid. noſtr. p.* 64. eamque in duobus cadaveribus Norimbergæ ad oculum ab ipſo demonſtratam vidit D. Pauli. Idem accuratiſſimus Anatomicus D. Hartmann confirmat *decad.* 2. *&* 5. *Obſervat.* 72. *p.* 166. *noſtr. Ephemerid.* Jam verò ſi rupta ſaltim vel tenui quâdam omenti fibrâ vel ſubtili canaliculo guttatim aquoſitas in cavitatem ventris ſtillet & augeatur, optimè annotante *l. c.* Volckammero, quid fiet, ſi non tantùm margines extremi ſint lacinioſi, ſed & reliquæ partes diſruptæ; an forte non ſatis conſtat, quod epiploon vaſis amplis & evidentibus conſperſum ſit? Mittamus, quæ ex Hippocrat. *lib. de loc. & Sect.* 7. *Aphor.* 57. afferri ſolent. Quis

ignorat,

ignorat, quod habeat vaſa à ramis cœliacis & meſaraicis, eaque ſatis ampla & numeroſa, conf. *Medic. Phyſiolog.* Linden. *p. m.* 59. Bartholinus *in Anatom. reform. p.* 62. Rectiſſimè Clar. Diemerbrock. *lib.* 1. *Anatom.p.*28.hoc peculiare omentum præ reliquis membranis habere, ait, quod venis copioſis inſtar retis intertexatur. Quibus vaſis etiam glandulæ ſunt interſtratæ, obſervante Veslingio, & Warthono *in Adenographia c.* 12. Plurimas in eo veſiculas multo refertas humore vidit Boſchius & Malpighius in *Exercit. d. oment. pingued. & adipoſ. ductibus Tom.* 2. *oper. p.* 232. Quem ab alimentis ſeparari & per aliqua vaſa in omentum derivatum in cavitatem ventris depluere rectè affirmat, atque hinc cum Hippocr. hydropis originem petit. Et in quantâ copia colluvies confluet, adeo copioſis vel omnibus vaſis ruptis & liquorem, quem vehunt, in abdominis cavum, effundentibus (ut in noſtra aſcitica factum) ſi ex uno canaliculo juxta Volckammerum, vel veſiculis quibusdam juxta Malpighium, hydropicó tumore venter intumeſcit? Et in ſtatu tali quid emolumenti miſera noſtra ex celebratâ paracentheſi (cujus terribile nomen ſanè illius fata præcipitavit) capere potuiſſet? Memorem enim oportet eſſe Medicum effati Hippocratis, etiam tyronibus noti 6. *Epidem. Tom.* 7. Paracentheſin inſtituendam eſſe, quando ægri ſunt εὔσπλαγχνοι, viſcera ritè conſtituta habent, ac viribus integris gaudent, niſi forte animam cum aquis effundere cupiat. In noſtra proinde hydropica ob tantam omenti læſionem vaſorumque ruptionem ejusmodi operationi nullus erat locus, indeque teſtibus celeberrimis Medicis, ac iterata noſtra experientia veriſſimum manet: quo plus ſubtractæ, plus cumulantur aquæ; dum vulnera illa interna nullis balſamis conſolidare, nullis vinculis conſtringere licet.

Ultimò ecce Lector numerum eorum, qui mortalitatis legem impleverunt hoc anno. Nimirum ad meliorem, ut ſperamus & optamus, vitam tranſlati ſunt:

In Januario - -	102.	Julio - - -	80.
Februario - -	121.	Auguſto - - -	106.
Martio - -	178.	Septembri - -	134.
Aprili - -	163.	Octobri - -	95.
Majo - -	120.	Novembri - -	91.
Junio - -	86.	Decembri usque 24. d. - -	66.

Summa 1342.

HISTORIA MORBORUM,

QUI

ANNO MDCCI.

VRATISLAVIÆ GRASSATI SUNT,

ADORNATA A

LEOPOLDIN. ACADEM. NATUR.
Curioſ. Collegis VRATISLAVIENSIBUS.



I. N. J.



ORdo jam nos deducit ad Hiſtoriam Morborum, qui Anno ſupra millesimum ſeptingenteſimum primo, in Sileſiæ Metropoli haud paucos fatigavere. Eâ verò, quam hactenus obſervavimus, in illis deſcribendis Methodo iterum uti non dubitamus. Exordium laboris, ſub divinis auſpiciis, à conſtitutione aëris ducimus. In Januario variæ erant ratione frigoris viciſſitudines. Modo enim aër liqueſcere & quodammodò diffluere, ac in ampliora ſpatia ſe diffundere videbatur, modo autem frigore conſtipatus in anguſtum cogebatur. Finem verò menſi imponebant nebulæ illæ inſalubritatum fomites. Februarius tùm his, tùm etiam nivibus (niſi has cum aliquo florem brumæ, lætamen, quo ſtercorantur agri, plumas, quibus foventur, & à frigore defenduntur ſegetes, eſſe velis) & variis ventorum mutationibus horridus erat, nonnunquam tamen quodammodo placidus & æquabilis aëris fluxus obſervabatur. Sub initium Martii frigidiuſcula aura ſubitò cum blandiori aëre commutabatur; nec tamen Menſis ad finem ſine nimbis, grandine, variis ventorum tumultibus decurrebat, ſic tamen, ut blandus ſolis calor, in his aëris varietatibus nonnunquam Sileſiæ incolas exhilararet.

Conſtitutio Aëris in Menſe Jan. Febr. Mart.

Menſe Januario Febres continuæ periodicæ, variis ſtipatæ ſymptomatibus, præprimis autem cardialgiâ, vomitu, ſpaſmis hypochondriacis *&c.* non paucis erant moleſtæ. Graſſabatur etiam pleuritis ſpuria; erant, quos eryſipelas capitis in periculum vitæ conjiciebat. Lumbago quoque iis, qui Baccho & Venere delectabantur, moleſtiam creabat. Nec minùs febb. petechiales ſatis erant frequentes, quæ etiam ad domeſticos, incautè cum ægris converſantes, præprimis, ſi hi eſſent meticuloſiores, per contagium propagabantur. Tractati fuerunt hi morbi non ſine felici ſucceſſu eâ methodo, quam in

Hiſtoria Morbor. An. 1699 & 1700 adumbravimus. In Febribus malignis & contagioſis iterum V. S. omiſſa fuit. Nec in his curandis calidiora alexipharmaca fuerunt adhibita. Multò minùs calidiſſimo regimine ad eliciendos profuſos ſudores uſi ſumus. Ex hoc capite à nonnullis, ut accepimus, reprehenſi fuimus. Jure ne an injuriâ id factum, ut eluceſcat, liceat nobis, bonâ Lectoris veniâ, ſummam eorum, quæ de morbis contagioſis, à Collegâ quodam noſtro, alio tempore accuratiùs diſputabuntur, hic breviter ſiſtere, & quidem eo fine, ut patefiat, non rejiciendam eſſe methodum, quâ in debellandis contagioſis morbis uſi ſumus. Exordiamur autem rem ab ovo, ſed, ut diximus, ſumma tantum capita perſtringemus. *Per Contagium*, à quo morbi contagioſi denominantur, *hoc loco intelligimus verbo Hippocratis* ἀποῤῥοίαν νοσώδη, ſive *morboſum defluvium corporis ægri, quod in aliis corporibus ſimilem morbum producit.* Neque enim propriè loquendo vel iſte morbus, à quo alius originem trahit, vel ille, qui ab alio oritur, contagium, ſed uterque tam inficiens, quàm ab inficiente propagatus, rectius à contagio dicitur contagioſus, tametſi uterque eò, quòd ſimiles morbos procreet, non raro contagium vocetur. Unde etiam patet, quòd à propoſito noſtro aliena ſit illa contagionis ſignificatio, qua quævis gravior ægritudo, quæ inter viventia ſtragem edit, (quam nos Germani vulgò *eine Seuche* appellamus) uſitatâ loquendi conſuetudine denotatur. *Contagium hoc*, de quo nobis ſermo eſt, *corpuſculum eſt*, (adeoque ſubſtantia quædam) *quod effluit ex corpore ægro.* Nam non eſſe qualitatem quandam putridam, quod Eraſtus quondam alicubi ſtatuiſſe videtur, res ipſa loquitur, cum, accidentia ex ſubjecto in ſubjectum aliud non migrare, etiam pueris notum ſit. Quoniam verò corpuſcula ejuſmodi vel ſolida, vel fluida, vel amborum, potiſſimum autem horum, ἀποκρίσεις eſſe queant, cujuſnam generis ac indolis ſint, id porrò indagandum erit. Hoc ut fiat, brevibus præcipui morbi, qui communi ſuffragio noſtris in oris contagioſi ſunt, erunt percurrendi, & quodnam illud medium ſit, quo ægri ſanos alios inficiunt, diſpiciendum.

De Contagio.

Contagioſi autem morbi alii σποραδικοὶ alii verò κοινοί. Priores ſunt nobis notiores poſterioribus, & inter illos partim nimiâ frequentiâ, partim etiam turpitudine ſuâ infames, lues venerea, ſcorbutus, ſcabies, tinea, ophthalmia, conf. Schenck. *l.* 2. *p.* 279. Thoner. *l.* 3. *obſ.* 4. Ballon. *Epidem. l.* 1. *p.* 11. phthiſis, hydrophobia, *&c.* Inter hos potiſſimum ſunt ἐπιδήμιοι, e. g. febres malignæ petechiales, quæ in civitate hâc per aliquot annos populariter ſunt graſſatæ, ut & dyſenteria. Hi morbi, quomodo inficiant, videamus.

In *hydrophobiâ* omnium maximè in oculos incurrit, quomodo per morſum canis rabidi rabies propagetur canina, id nimirum fit, dum ſaliva à ferociente cane in vulnus hominis demorſi inſtillatur. Nec minùs obſcurum eſt, quâ ratione lues, impudicorum amorum flagellum, hodie quidem communiſſimè alios inficiat. Cùm enim lippis & tonſoribus conſtet, in moderna morum licentia vix alibi quæri oportere ejus natales quàm in συνουσίᾳ cum infectis; præterea verò etiam ſatis notum ſit, ejus generis perſonas defœdari ſolere vel *gonorrhœâ malignâ*, i. e. effluvio ſanioſo tetro, putrido & fœtenti

fœtenti varii coloris ex interiori pudendi virilis parte, vel *fluore*, quem vulgô *album* vocamus, etſi ſit diſcolor, (nam non raro flaveſcit, vireſcit, & inſtar chamæleontis colorem mutat,) qui genitales mulierum partes excoriat, adurit, in tumorem attollit ac inflammat; facile intelligere licet, quomodo, dùm partes Veneri inſervientes incaleſcunt, putriformis materia patentibus & exæſtuantibus genitalibus illapſa ſeſe diffundat, & in innoxios ſæpè luis conſortium derivet. Hic modus communiſſimus eſt, quo lues venerea propagatur, magis dubius, quo per impudica oſcula, in partibus oris mollibus defigi inquinamenta, vel per neſcio quem contactum poculorum, lectorum, veſtium, *&c.* ſerpere creduntur. Non abnuerimus tamen, quod aliquoties nobis compertum, & lactantes à ſugentibus, & hos ab illis, & per ipſum lac infectum & per contactum papillæ nutricis & tenerrimi oris lac haurientis infici.

Scorbutum ex contagio propagari, obſervatum eſt à peritiſſimis hujus labis ſcrutatoribus, Severino Eugaleno *obſ.* 59. *p.* 398. Salomone Alberto *N.* 65. Diſſeminatur autem in alios, judice Sennerto Noſtro, & per ſalivam, & per halitum, & per lac, *Tract. de Scorbut. c.* 5. Et profectò ita eſt, ut ſcribit Charleton *libr. de Scorb. c.* 2. *art.* 5. *Fuere, qui chariſſimis communicarent conjugibus morbi ſeminio oſcula inter & amplexus, transfuſo. Nec deſunt nutricum ex numero, quæ cum lacte in ſubrumantia pupulorum ora inſtillarunt: quos alere ſuſceperant, lentâ morte lactarunt. Tacitè ſerpit inſidioſum virus ab hoſpite in hoſpitem ſpiritus, lecti, menſæ, poculorum communione* (id quod tamen nobis intellectu aliquantò eſt difficilius) *imò poſt mortem, quoque vivit vigetque nonnunquam dira lues, ipſis eâ extinctorum cadaveribus exhalante veſpilonumque & diſſecantium Chirurgorum vitalia inficienti, toxicorum ad inſtar, fœtore, &c.*

Seculi decimi ſexti ſcriptores narrant, Anno 1591. in Sileſiâ Stomacacen & Scelotyrben verno tempore ita fuiſſe graſſatam, ut humi reptantium ægrorum corpora paſſim ſpectarentur; gingivis violentiâ luis eroſis plurimi occumberent, hanc verò deducunt ex lacticiniorum crebro apud nos uſu; ea autem tùm meritò fuiſſe ſuſpecta, eò, quod verno tempore aliquoties venenatus ros, cujus viroſâ ſævitie detonſi arborum vertices, flores cum foliis ambeſi, deciderit, ac pabula animantium infecerit, ex illorum verò paſtu armentis ſemina morborum infuſa lactis uſum reddidiſſe formidandum & vehementer noxium.

Nam nulla apparebat cauſa, unde cum veriſimilitudinis quâdam ſpecie malum illud deduci poſſet, ſiquidem auſter interjectu nemoroſiſſimorum ſudetum, qui Sileſiam meridionali parte prorſus ambiunt, excluditur, ſcabræ melancholicæque nautarum dapes hic penitùs faſtidiuntur; terra non ſtagnis, non lacunis, ſed fluviis irrigatur, ut diſputat Coberus *Tract. de lact. & pultibus*, aliique plures, quæ tamen alibi ſcorbuti fontes ſunt.

Neque dubium eſt, quin *Scabies* contagio propagetur. Tametſi non ſola converſatio cum ſcabioſo in ſcabiem præcipitet, compertum tamen eſt, quòd ſordes ſcabiei contagioſæ per communem lectum, veſtimenta, mantilia, *&c.*

promptè excipiantur; unde ambigendum non videtur, quod illa viſcida & lenta humiditas, quæ in ſuperficie cutis ſcabioſorum obſervari ſolet, illud ipſum ſit medium, quo ſcabies alteri affricatur. Cui rei argumento etiam hoc eſt, quod ſcabies humida ſit magis contagioſa quàm ſicca.

Idem, quod de ſcabie aſſeruimus, etiam dicendum de *tineâ*. Nam & illa per ichorem illum ſubcruentum, qui, tenerrimâ cute eroſâ vel abraſâ, extillare ſolet, quomodocunque exceptum in alios transfunditur.

Paulò obſcurius eſt, quomodo *ophthalmia* poſſit inficere alios & contagio ſe extendere. Nam utut hoc negare videatur Plempius *in Ophthalmograph. l.* 5. *c.* 2. extra controverſiam tamen eſt illud Poëtæ:

Dùm ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Et ſanè non adeò intellectu arduum eſt, quomodo in inflammatione tunicæ adnatæ oculi cum rheumatiſmo humorum conjunctæ halitus elevari & halituoſa effluvia aliorum inquinare valeant oculos.

De contagio *Phthiſeos*, illam & eruditi & vulgus fovent opinionem, quod illud & ad veſtes (qua de re memorabile recitatur in Ephemeridibus noſtris exemplum de Phthiſi per uſum tegumenti manuum tempore hyberno in conjugem phthiſicè defunctæ in toro ſuccedentem propagatâ) cameras, lectulos ac tabulata univerſumque cubiculum tranſeat, ut conſtat ex Maſſar. Fracaſtorio, *&c.* eoque minus res habebit admirationis, ſi inter conjuges per amplexus & baſia, ut notavit Septalius, virus hoc ſerpere comperiatur; nam ſive graveolens ſputum, ſive ſudores copioſi, ſive tandem halitus hujus infectionis ſtatuatur medium, illi, qui cohabitant, tantò illud promptius excipere poſſunt, ut non abs re jam ante tot ſecula monuerit Galenus *lib.* 1. *de different. febb. c.* 2. conſuetudinem eorum, qui tabe laborant, minus eſſe tutam.

Febres malignæ virus ſuum vix alio modo in corpora ſanorum diffundunt, quàm ſub halitus aut vaporis formâ. Hinc etiam ipſum vulgus omni modo præcavet, ne ſudore ægrorum pars quædam corporis imbuatur. Imò fugit & pocula ægrorum & cochlearia *&c.* perſuaſum, & quidem non immeritò, quicquam ſalivæ iis adhærere & contagium ad alios hâc etiam viâ apportari poſſe. Halituosâ formâ ſeſe in corpora inſinuare venenum, crediderunt Medici in Germaniâ, ab illo uſque tempore, quo febres hæ innotuere, quod factum poſt medium ſeculi decimi ſexti, cùm Maximilianus II, ſacratiſſimæ memoriæ Imperator, bellum contra Turcas gereret. Nam tum in caſtris ad Comorram & Jaurinum invaluerunt. & à milite exauctorato domum ad ſuos properante, per omnem Germaniam, non alia, quam diximus, ratione propagatæ fuerunt. Conf. Thuanus *lib.* 39. *ad An.* 1566.

Dyſenteriam Helidæus Paduanus teſtis eſt per fiſtulam clyſmaticam, quam adhibuerat torminoſus, in corpus ſani eſſe transfuſam. Lac dyſentericæ infeciſſe infantes, apparet ex Ephemerid. *Dec.*2.*An.*6.*obſ.*195. Et quivis ferè abhorret ab excre-

excrementis, ſupellectile, & præprimis accubitu dyſentericorum, eo, quod compertum ſit, quanta noxa ſanis immineat ex effluviis & halitu dyſentericorum.

Et hæc, quæ hactenus allata ſunt, ſatis oſtendunt, corpuſcula contagio gravida debere natales ſuos, non ſolidis partibus corporis ſed humoribus. Evidens verò eſt, non à quibusvis humoribus, ſed ſuo modo corruptis miaſmata emanare.

Jam indagandum, quinam illi ſint humores à quibus corruptis ἀποκρίσεις contagioſæ oriuntur. Hoc ut fiat commodius, affectiones quaſdam contagii, per ſeculorum experientiam cognitas breviter luſtrabimus & quidem in morbo omnium maximè contagioſo. Nimirùm

1. Id certum eſt, quòd corpuſcula ejuſmodi contagioſa adhærere queant veſtibus, e. g. induſiis, caligis, tibialibus, linteaminibus, lanis etiam ut & goſſypio, culcitris, funibus, pellibus, omnibuſque iis, quæ poroſa ſunt, rara, laxa & foraminulenta. Ita cùm Imperator Maximilianus Veronam obſidione premeret, & peſte duo hominum millia perirent, compertum fuit, viginti quinque milites unâ pelliceâ veſte ordine infectos ac mortuos eſſe, exuſtâ verò hâc veſte peſtem factam eſſe mitiorem. Et hæc ſanè cauſa eſt, cur à ſuſpectis locis in ſalubriora invectio ejuſmodi rerum prohibeatur.

2. Nec minus exploratum eſt, quòd, ubi à primo infecto in fomitem ſeceſſerunt, illuc diutiſſimè perdurare ſervarique incorrupta poſſint. Quâ de re præprimis memoratu digniſſima extat hiſtoria apud Trincavell. *l.* 3. *conſil.* 17. quâ edocemur, Juſtinopoli, poſt ſæviſſimam peſtem, funes, quibus mortui ad ſepulturam deferebantur, poſt capſulam quandam projectos fuiſſe atque ibi per annos viginti aut plures latuiſſe, quos, cum ſervus loco poſtea moveret, incidit in peſtilentialem febrim, contagioque illius reliqui infecti ſunt, ut 10000 homines hoc, ut ita loquamur, incendio perierint. Alexander quoque Benedictus ait, ſe audiviſſe patris ſui ætate, in urbe Venetâ, culcitram peſtilentiæ tempore ſuſpectam, in interiorem domûs partem cujuſdam Patritii ejectam, ac poſt ſeptennium requiſitam, quam cùm Materfamilias diſcuti juſſiſſet, ſervos ſubita peſte fuiſſe correptos. Et ejuſmodi hiſtoriæ alibi paſſim recitantur. *Et profecto admirationem non parvam præbent lectuli, veſtes, ligna, & id genus, quæ phthiſici tetigere, ſæpiſſimè vidimus virus illud per duos & tres annos ſervatum*, ut loquitur Fracaſtorius *lib.* 1. *de Contag. c.* 4. *p.* 106.

3. Sed præterea per ejuſmodi fomitem ac receptaculum non raro ad longiſſimè diſſita loca corpuſcula ejuſmodi, quæ ſeminaria morborum meritò dixeris, deferuntur.

Et ſanè minimè vanus eſt Liſterus in ſcitiſſimo libello, quo Sanctorii ſtatica Medicina clarius elucidatur, cum ſcribit μιάσματα peſtis per 200 milliaria Londinum fuiſſe advecta. Hujus rei etiam ſatis conſpicuum eventum præterlapſo ſeculo ſenſerunt Siculi. Nam cum à piratis quibuſdam præda, quæ in Alexandriæ tractu capta erat, ab iis emeretur, haud multò poſt peſtem magno hominum rerumque impendio ſenſerunt, ut narrat Fidelis *de relation. Med. lib.* 1. *cap.* 6. Ægyptum quoque quotannis octo integros anni menſes

menſes peſtem pati è Græciæ Syriæque ac Barbariæ locis per contagium delatam, idem ex Proſper. Albino *de Medicin. Ægyptior. l.* 1. *c.* 17. refert. Plura in hanc rem exempla peti poſſunt ex libello D. Ewich *de officio fidelis & prudentis Magiſtratus tempore Peſtis*, *c. X.* Ex his aliiſque colligi poſſe videtur, quod

4. Μιάσματα ejuſmodi ſint ex cenſu viſcoſorum & glutinoſorum; nam id genus corpuſcula; cùm ſenſibilem atque notabilem ſucci portionem contineant, facilè aliis rebus adhærere & cum illis circumferri poſſunt, diutiùs verò vis eorum perſtat infracta, eò quòd abundent partibus igneis; ignis autem, ut nos quidem putamus, non globulis rotundis, ſed filamentis conſtat, quæ, ut alia, ita præprimis viſcoſi corporis partes continere apta nata ſunt. Conf. Honorat. Fabr. *Phyſic. Tract.* 2. *libr.* 4. *propoſ.* 28.

Porrò & hoc 5. ex ante dictis fluit, quòd eximiâ polleant ſubtilitate effluvia contagioſa; nam tametſi glutinoſa eſſent, non tamen per tot annorum decurſum incorrupta ſervarentur, ſi vi aëris externiſque alterationibus liberrimè paterent, unde ratio dictitat, quod propter ſubtilitatem etiam minima penetrent & in receſſibus ac foraminibus aëris promptæ incurſioni haud undique ſubjectis recondantur, in quibus deinde ad multos perdurant annos. Et ſanè niſi effluvia hæc adeò forent ſubtilia, comprehendi minimè poſſet, quomodo ab uno homine infecto integræ civitates & circumjacentia loca hoc malo afflari poſſent, quod tamen multæ teſtantur hiſtoriæ. Ita novimus Anno 1556. Patavinam civitatem ab uno Studioſo, qui Venetiis rediit peſte infectus, totam fuiſſe contaminatam. Peſtem etiam ſævam & atrocem, quæ Hamburgi An. 1566. graſſata eſt, ab unius hominis, qui Dantiſco illuc venerat, contagio originem habuiſſe, annales referunt. Bremenſis etiam Reſpublica unius polluti hominis, qui Hamburgo æger eò venerat, vitio, eodem anno pauciſſimis diebus fuit infecta, ut nullus fere vicus ab iſta lue eſſet liber. Utut verò corpuſcula hæc mole ſint prorſus exigua, ſummæ tamen 6. exiſtunt efficaciæ & agilitatis, quod præcipuè eluceſcit in febribus contagioſis. Nam μιάσματα illa in motu ſubtiliſſimo conſtituta eſſe, penetrare, ac ſubtiliſſimas ſanguinis particulas è mixtione ſuâ dimovere & corruptionem promovere, extra controverſiam eſt. 7. Sed nec dubitari debet de vi miaſmatum multiplicandi, nam dùm in mixtione ſuâ primas ſanguinis partes turbant, eaſdem extenuant, ſimilem, quam habent corpuſcula contagioſa, corruptionem & labem iis imprimunt, iiſque eundem, quem ipſa habent, motus gradum communicant. Humor autem, ex quo ejuſmodi corpuſcula, qualia jamjam deſcripſimus, effluere poſſunt, ſerum ſine dubio eſt, in latiori ſignificatione, quâ & lympham & ſalivalem laticem comprehendit. Hoc, quàm facilè concreſcat & in gelatinam abeat, coctio ejus in aquam calentem infuſi facilè probat, ut dubium nullum ſupereſſe queat, partes ejus viſcoſas eſſe, & vi adhærendi pollere, adeoque facilè ad maximè diſſita poſſe transferri loca. Conſtare etiam ſerum ex tenuiſſimis & ſumme ſubtilibus particulis, certum eſt, nam ex illo calente exhalat halitus, qui acri & ſalsâ mordacitate palatum & linguam ferit.

Et

Et certè ſaliva, igne incaleſcens, abit in bullas, non ſecus ac ſpiritus vini in vaſe ab aëre evacuato repoſitus ebullire ſolet: & negotium chyliſicationis abundè evincit, quod in ſalivâ, præter partes aqueas, etiam adſint ſubtiles & penetrantes. Si Salivæ aliquot unciæ evaporaverint, in capite ejus mortuo invenies plurimas particulas ſcintillantes, quæ ſalem in ſe continere vel hinc elucеſcit, quod ad Mercurii mortificationem ſaliva non ſit inepta. Nec minus cognita eſt vis ſalivæ in fermentando. Huc referenda eſt fermentatio potûs illius, quem ex fruge Maiz nonnulli populi parant in Inſula Mocha, quæ eſt è regione Chili Americæ Meridionalis parte; deſcribitur autem illa ab Auctore de mirabilibus locorum Auſtralium verbis ſeqq. in lib. Meibomii *de cereviſiis cap.* 17. *paragr.* 15. *Anus edentulæ Mayz ſuum gingivis comminuunt, & in aquam exſpuunt, ubi à ſalivatione fermentari incipit, & tùm in cupas infunditur & Cica nominatur. Quo anus ſunt magis vetulæ, eo potus melior habetur. Hoc ad ebrietatem ſe invitant, ſaporis autem eſt boni & acidiuſculi.* H. I. Zaſius etiam Auctor eſt, panem biſcoctum comminutum, & ſalivæ probè mixtum, fermentare maſſam farinaceam, ſi ei addatur. Hactenus ergò conſtat, in ſero reperiri eas in genere proprietates, quas in corpuſculis contagioſis tot ſeculorum experientia deprehendit, ut dubitandum minime ſit, quin effluvia vi inficiendi prædita ex ſero corrupto oriantur.

Et profectò ad oculum patet, pleroſque contagioſos morbos eſſe ſeroſos. Peſtem ipſam & febres malignas ac contagioſas eſſe ex hoc genere.

1. Probat hoc, quod ab ipsâ naturâ materia peccans in glanduloſas partes congeratur; enim verò niſi foret ſalivalis proſapiæ, non ab humoribus reliquis tàm promptè ſecederet in colatoria lymphæ, nec natura à laborioſis motibus remitteret, poſtquam ad glanduloſas partes corruptela hæc depoſita fuit. Notorium enim eſt, quod furor peſtis in hoc vel illo individuo conquieſcat, ſi bubones maturè & promptè erumpant.

2. Evincit & hoc, quod largis ſubdoribus ſub initium fluentibus atrociſſimus morbus finiatur.

3. Demonſtrat & idem mors eorum, qui peſti & aliis malignis morbis ſuccumbunt. Nam certum eſt, quod miſeri pereant, quibus nulli ſudores aut bubones debitò tempore erumpunt, vel, ſi hoc fiat, iterum mox retrocedunt, translatâ, ut fere fit, materiâ ad interiora ſecretiora & excretiora organa, unde vomitus, conatus vomendi irritus, diarrhææ, ſingultus, cardialgiæ, urinæ diſcolores, aphthæ, anginæ &c. ſupervenire ſolent. Symptomata varia in puſione ex ſalivâ vetulæ quartanâ laborantis pulmento immixtâ recitat Clariſſimus Ledelius *in Ephemerid.* Nec de lue venerea aliter ſentiendum eſſe, & in ſeri depravatione illam conſiſtere, cura mali felix per ptyaliſmum facilè ſuaſerit. In ſcorbuto magno conſenſu hodiè ut craſſior ſanguis ſtagnans circa extrema corporis, artûs, inquam, gingivas, os, &c. ita viſcida & acida ac ſalſa lympha accuſatur. Et ulcerationes ſub cute leniter colliquativæ in ſcorbuto de vitio ſeri non contemnendum præbent argumentum. In phthiſi quoque ſerum peccare nemo ignorat, vel hoc indicio eſt, quod

ſæpè catarrhos ſalſos excipiat. Et hinc tanto minus mirandum, quòd phthiſica, ſicuti in miſcellaneis noſtris legere eſt, ptyaliſmo ſpontaneo ſeptem dies perdurante, ſine ullâ mercurialium medicamentorum exhibitione reſtituta fuerit. Notum præterea etiam eſt, quod phthiſeos imminentis ſigna ſint, ſapor ſalſus, ſtimulus ad tuſſiendum, ſudores nocturni *&c.* quæ omnia nos non obſcurè de ſeri vitiis commonefaciunt. Non facilè etiam reperias, qui ſerum in ſcabie, ophthalmiâ, hydrophobia *&c.* non accuſet. Cum itaque contagioſi morbi ſint ſeroſi, & præterea ſerum ad ſuſcipiendas illas impreſſiones, quas in corpuſculis contagio infectis deprehendimus, maximè aptum ſit, non videtur amplius dubitandum, quin corpuſcula contagioſa ex ſero, tanquam fonte ſuo, ſcaturiant.

Accedit tandem & hoc, quod, tùm partes iſtæ, à quibus proximè contagia effluunt, tùm etiam illæ, quæ recipiunt, ſero ſint quam maximè irriguæ. Ita ore ejuſmodi exſpirari ac recipi effluvia contagioſa, certum eſt. Jam autem, ut in vulgus notum eſt, tot glandulæ, jugulares, inquam, buccarum, labiorum, maxillares, ſublinguales & palatinæ ac parotides, variis ductibus laticem ſuum in os exonerant, ac humore ſalivali illud lætè imbuunt. Nec minus manifeſtum eſt, cum ſudore per poros cutis maligna illa corpuſcula ex ægri corpore elabi, ac iterùm per poros patentes in corpus alterius irruere.

Enim verò iterum ex ſolertiſſimi Stenonis obſervationibus conſtat, cuivis poro ſuam ſubjacere glandulam, ex quâ exſurgit vaſculum excretorium ad eliminandum ſudorem, in cutem deſinens. Porrò pudenda muliebria & virilia conſtituunt illam ſentinam, ex quâ putrida miaſmata, quæ ſanos inficiunt, exhalant. Quis autem ignorat, etiam has partes lymphatico humore uberrimè irrorari? In toto certè ductu vaginæ reperiuntur multi pori ſeu meatus, non tantùm exigui illi, ſed & aliquantò majores in parte ejus inferiori circa exitum meatus urinarii, ex quibus fœminis vivacioribus in florente ætate conſtitutis, magna liquoris ſeroſi quantitas ad humectandas partes illas extillat. Idem verò etiam dicendum eſt de oculis, à quibus & ad quos derivatur ophthalmia, etenim & illi ſuis non deſtituuntur glandulis. Abſque dubio autem vana eſt ſententia Fracaſtorii, qui ophthalmiam per radios propagari credidit, quo nomine etiam jure merito fuit reprehenſus ab Hieronymo Cardano *lib.* I. *de venen. c.* 13. *p. m.* 891.

Tàm multa ſunt, quæ perſuadent, ἀποκρίσεις illas contagioſas debere natales ſuos ſero. Evidens autem eſt ſerum illud, quod contagia ſpargit, eſſe corruptum.

An verò ita corruptum ſit, ut putridum vocari mereatur, & num exhalet ſeminia contagioſa itidem putrida, in quæſtione poſitum eſt. Affirmativam tuentur Montanus, Fracaſtorius, Mercurialis, Augenius, Eraſtus, Crato. Negativam cum multis aliis defendit Cl. Melchior Sebizius & Diemerbrock. Noſtra parum refert hæc curioſius diſcutere, cum lis tantum de nomine eſſe videatur, & in hoc conſpirent omnes, laticem illum, qui diffundit, ὑπεκκαύματα, non poſſe non eſſe corruptum, in mixtione ſuâ varie turbatum, unde

non

non incommode μίασμα hoc ab Hippocr. *lib. de natur. hominis* vocatur νοσερὴ ἀπόκρισις; Et neſcio, an non de hac inſigni humorum depravatione ipſe pulſus teſtimonium perhibeat. Simon Pauli in doctiſſ. digreſſione de febb. malignis narrat, quod manus ſibi pulſu in maligne febricitantibus explorato, aliquoties ita prurire cœperint, ac ſi urticâ Rom. vel etiam marinâ eſſent perfrictæ. Multò minus eam ingrediemur diſputationem, an illa putredo viva & animata ſit, unde non niſi viva effluere poſſunt μιάσματα. Placuit hæc ſententia admodum Kirchero, juxta quem omnis putredo inſita ſibi ad animalium generationem quædam ſeminaria habet, quæ mox externo & opportuno calore in vermium colluviem erumpunt, tantò quidem periculoſiorem, quantò ipſa putredo ex peregrinâ & ſpuriâ quâdam degeneratione virulentior eſt. Placuit eadem quoque, ut notum eſt, Langio, & nuper quoque eandem ſententiam argumentis quibuſdam novis confirmare aggreſſus eſt Clariſſ. Paulini; ſed, ut diximus, hanc litem non facimus noſtram, nec magnam ex deciſione in clinicâ praxi nobis pollicemur utilitatem.

Arduum autem prorſus eſt, varias humoris ſeroſolymphatici depravationes accuratè explicare. Et, niſi omnia nos fallunt, vitia lymphæ, *tum in quantitate*, niſi quòd defectus ejus in longâ inediâ & atrophiâ ſatis notus ſit, *tum in qualitate* nondum exactè à quoquam detecta ſunt. Id quod etiam dicendum de ſalivâ, etiamſi inficiandum non ſit, quòd Clar. Nuckius *in Sialographiâ* non inutilem hîc poſuerit laborem. Experimenta ejus ad indagandam penitiùs ſalivæ naturam facta cum variis liquoribus, variiſque ſpiritibus ipſe recenſet *l. c. p.* 44. *& ſeqq.* Nec adeò multa *in eodem tractatu* ejus vitia pandit. *Saliva*, ait *p.* 49. *à naturali conſtitutione multum quandoque deflectit, & pro inſipidâ fit ſalſa vel amara, vel dulcis, vel acida: Subinde etiam colorem deponit, & ex albo fit crocea, pro aqueâ & craſſâ viſcoſa evadit, imò & vermiculi in eâdem viſi ſunt, ut teſtatur Clar. Doleus.*

Lymphæ depravationes guſtu perceptibiles omnium maximè in ſcorbuticis ſunt manifeſtæ, quorum querelæ de ingrato Salivæ ſapore neminem latent. Obſervationem præcipuè meretur hoc, quod Saliva in morbis contagioſis ferè deprehendatur ſpumoſa. Nam rariùs & ferè extra artis uſum eſt, quòd ſemel fortè lactea, aut in calcem excreſcens fuerit viſa, quâ de re idem Nuckius *l. c.* agit. Nec ſanè apparet, quâ viâ exactè vitia laticis ſeroſo-lymphatici detegi queant. Certè laudabili ſtudio quidam Viri Celeberrimi chymica hîc inſtituerunt experimenta, ſed nondum ea, quam cordati Viri optant, hinc conſecuta eſt utilitas. Et ſi quæ inde ad Medicos rediit, ferè nulla eſt alia, quàm ut ςοχασμὸς in eligendis remediis aliquantò ſit certior. Si enim v. g. mihi ſit cognitum, quòd ſerum hydropicorum mixtum c. ſpir. ſalis coaguletur, cum ſpir. vitriol. aut nitri inſtar gelatinæ per plures dies remaneat, è contrario verò in fluore perſeveraverit remixtum cum ſpir. ✱ci, ſi hoc, inquam, ſcio, facilè colligo, minùs tutum eſſe uſum vitrioli & nitri ac fortè aliorum acidorum in hydrope, ac his præſtare volatilia. Dubius tamen ſum, an idem interne datus ſpir. ✱ci præſtiturus ſit, & ſerum in fluore ſervaturus, quod

præſtat ſero extra corpus hydropicorum infuſus, ac nihil niſi conjectura probabilis, experientiæ lance examinanda, inde remanet. Id quod dicendum etiam de aliis, quæ à famigeratiſſimis Viris, Malpighio, Vieuſſeno, Majore, Bohnio, Ettmüllero, Rivino, aliiſque adducuntur. Neque credendum eſt, humorum vitia magis innotuiſſe ab illo tempore, à quo Chymici à productorum Chymicorum ſimilitudine humores corporis vane denominarunt, imò, abſit invidia verbo, plurimi hîc eorum naturam magis obſcurarunt, qui non tantùm nitroſos, aluminoſos, vitriolatos ſales, ſed & tot tartareos, tot Mercuriales, *&c.* in humoribus contineri ajunt, quorum naturam ne ipſi quidem illi Doctores aſſequuntur.

Quid Anatomia ad hoc uſque tempus ad intelligendam fluidorum conſtitutionem ejuſque varias depravationes adjumenti attulerit, itidem in aprico eſt. Meritò extollimus induſtriam Cl. à Leewenhock, aliorumque exantlatos labores, at nullius microſcopii adminiculo minimorum conſtitutivorum magnitudinem, figuram, ſitum & motum nos poſſe aſſequi, verè monuit Leonhardus Capuanus, cujus ſcepticiſmum alias minime probamus. In vitiis verò etiam obviis perpetuò ambigui hæremus, an ad claſſem cauſarum morbificarum, an verò affectuum morboſorum pertineant?

Cùm verò ita cum vitiis & deturbationibus laticis feroſo-lymphatico-ſalivalis comparatum ſit, & ea adhuc abyſſo naturæ immerſa majori ex parte lateant, facile patet, fruſtra eſſe eos, qui à nobis requirunt, ut μιάσματος contagioſi naturam omnem & differentiam præprimis aut modum, quo in corpore ſymptomata varia excitat, exponamus; nam liberè fatemur, oculos noſtros hîc caligare non ſecus quàm veſpertiliones ad clarum diei jubar. Nec fraudi nobis debet eſſe hic candor. Nam, qui inquinamenta illa ajunt eſſe arſenicalia, mercurialia, ♃alia, napellina, quid aliud dicunt, quam ſibi ſeminarii iſtius naturam eſſe ignotam? Et quam nihil hîc prorſus agatur, eluceſceret, ſi vanitas eorum, quæ de ſingulorum contagioſorum corpuſculorum naturâ à Doctiſſimis prodita ſunt Viris, oſtenderetur. Sed hoc nimis prolixum. Miaſmatis Venerei enodationem tentarunt multi, & inter celebriores ſeculi hujus Doctores Magnum in Medicinâ nomen Sylvius. Huic, & multis ejus ſequacibus, præprimis autem Blegny, Lemery & aliis fermentum hoc acidum eſt, medicamenta Siphyllidos malo oppoſita, & inter ea ipſe mercurius alcalinæ naturæ, quâ de re mentem ſuam Clar. Sylvius uberius in peculiari de lue venereâ libro exponit. Et licet ſpecioſè ſatis dolores, puſtulæ, ulcera, gummata & tophi ab acido deducantur, non tamen propterea illud venereum inquinamentum in acore conſiſtit. Nec enim ullo pacto repugnat rationi credere, quòd μίασμα, poſtquam corpori illapſum intercedente motu humorum, quem fermentativum multi credunt, acrimoniam illam humorum excitet. Deinde quis unquam ab acido, fortiſſimo licet, tales effectus in cor-„ pore noſtro oboriri vidit, quomodocunque etiam corpori & quibus ejus„ partibus communicetur? Quotidie enim Chirurgi partibus externis cor-„ poris etiam maximè ſenſibilibus & poroſis„ acidiſſimos, nec unius generis„ ſpiritu

ſpiritus admovent, unde, niſi in parte illâ, effectus nullus, aut ſi propter affe-„ ctas fibrillas nerveas alibi in corpore quid obſervatur, nihil cum lue venerea id commune habet, ut optimè alicubi Clariſſ. Medicus & Polyhiſtor. Henricus Meibomius, qui etiam ingenioſa alia hypotheſi huic objectat. In Febribus malignis Doctiſſimus Simon Pauli & Tilingius, de febre petechiali, miasmata credunt eſſe ſalia volatilia, naturâ temperiei corporis humani inimica; ab illis, utut ſub aliquo colore, ebullitio in ſanguine, dolor capitis, deliria, deduci queant, alia tamen ſymptomata, enormem illam laſſitudinem, appetitus dejectionem, obſtructionem alvi, cardialgiam, *&c.* fruſtra hinc arceſſere fueris conatus.

Illis igitur inutilibus theoriis ſepoſitis magis è re fuerit, *primo* diſpicere, quidnam unumquodque fermentum (nam unius generis non eſſe, ex multiplici inquinamentorum illorum operatione innoteſcit) in corporis humoribus operetur, quod in Hiſtor. Morbor. Anni præcedentis factum. *Secundò*, quomodo ejus energiæ efficaciter occurri queat, quod alibi Deo dante exequemur. Cùm verò occaſione febb. malignarum in hunc de contagio ſermonem inciderimus, hâc vice ſuffecerit oſtendiſſe, quod natura contagii, quatenus nobis cognita eſt, noſtrum malignas febres curandi modum luculentè ſatis comprobet. Non probatur in febb. contagioſis nobis V. S. niſi in circumſtantiis planè ſingularibus. Non, ex noſtrâ mente, locum in illis habent purgantia fortiora, nec calidiora alexipharmaca, & ubique, præter multiplicem experientiam, huic curandi methodo prælucere rationem in propatulo eſt. Hæc enim apertiſſimè dictitat, materiam, quæ ſub halitus formâ in quantitate prorsùs exili in corpus irrepſit, nec per venæ, ſcalpello aut lanceolâ apertæ, vulnera, nec per volumina inteſtinorum, quæ craſſiorum excrementorum emunctoria ſunt, ex corpore exterminari poſſe, inutilem quoque eſſe prorsùs profuſam ſeri per ſudores nimios excretionem. Moderatum adhibuimus regimen & temperatiſſima diaphoretica & bezoardica, eorumque uſum continuavimus, rati, hoc pacto auctiorem nos impetrare poſſe exhalationem & miaſmatis vaporoſi ſeſe latius diffundentis & multiplicantis excluſionem, quam non impetu quodam, ſed ſenſim tentari debere, mechanicæ, ut innuimus, circumſtantiæ contagii evicerint. Talis autem blandus mador temere expectatur, ſi remedia illa vulgò decantata, e. g. ſpirit. C. C. ſal. vol. viperar. camphora, tinct. bezoard. doſibus majoribus & frequentioribus obtrudantur ægris; nam hâc viâ medentes nihil aliud conſequuntur, quàm ut majorem in ſanguine ægrorum excitent commotionem, quæ placidæ excretioni, dum nimis propere latex ita commotus poros effugit, aut præterlabitur, repagula ponit, imò declinante æſtu, poſt exhibita ejuſmodi acria & calida, non partes halituoſæ illæ fermenteſcentes, ſubtiles, *&c.* ſed aqueæ exprimuntur, unde ſanguis redditur viſcidus, & halituoſorum μιασμάτων diſcuſſio difficilius obtinetur. Ulterius potum conceſſimus ægrotis noſtris ſufficientem, & vidimus, quòd iterum ſana firmat ratio, jugem inde excretionem facilius ægrotantibus eveniſſe, quo accedit & hoc, quòd, ſufficienti potu conceſſo, alvus liberius, optimis

febricantium rebus, ſuo fungatur officio. Rursùs tùm hoc, tùm præteritis annis, dedimus medicamenta in majori æſtu ſubacida in ſanguineis, nitroſa tùm his, tùm cholericis & melancholicis, quâ arte nimiam humorum efferveſcentiam, quæ remoram excluſioni miaſmatis ponit, ut dictum, compeſcuimus.

Intumeſcentia abdominis poſt partum.

Quam infeſtum ſit puerperis, poſt exantlatos partûs dolores, frigus, quantumque noceat neglecta arctior ventris compreſſio, tùm ſæpè alias, tùm etiam hoc tempore vidimus. Nam, præter alia incommoda hinc in puerperas redundantia, ſæpè in illam prolabuntur miſeriam, ut ventrem admodùm inflatum ac diſtentum per totum, quod reliquum eſt, vitæ ſpatium circumferre teneantur. Tympanitide illas laborare, aut uterum gerere crederes, ita abdomen eſt expanſum ac tumidum. Sed præter deformitatem vix alia adeſt corporis læſio aut dolor, eoque ipſo differt illa abdominis inflatio à pneumatoſi hyſtericâ & flatulentâ ejuſdem diſtenſione, in quâ dolores à pectine per abdomen uſque ad mediam ventris regionem excurrentes, & lumbos etiam ac dorſum fatigantes, & caput in conſenſum trahentes, ſentiuntur. Quomodò tum frigus, tùm omiſſio arctioris, poſt partum, compreſſionis, ad hunc affectum concurrat, ſanè non adeò evidens eſt. In eò ferè omnes conveniunt Anatomici & Medici, quòd uterus à partu non illicò recuperet ſtatum illum, quem antè habuerat. Aliqui etiam eò uſque progreſſi ſunt, ut affirmarent, primogenito fœtu nonimeſtri vel ſemel expanſum atque ſpiſſatum ad priſtinas anguſtias ac tenuitatem ſeſe nunquam revocare. Atque adeò intellectu facilè eſt, abdomen faſciis poſt partum comprimi, ut uterus, poſt illam à partu expanſionem, ſenſim magis magiſque ad figuram priſtinam accedat, *& hiulca vaſculorum oſcilla, hâc ipsâ contractione ſtrictiùs atque ſtrictiùs concludantur, ac omninò ſolideſcant*, ut Clariſſ. Drelincourtii verba faciamus noſtra. Quid verò dicendum de frigoris energiâ? An credemus, aëre frigido ſubtilia evibrari corpuſcula, qualia è nive aut glacie cum ſale contritâ in circumfuſam aquam illabuntur, eamque non ſolum congelant, ſed partibus ejus arrectis & rigefactis magnâ nonnunquam violentiâ in amplius extrudunt ſpatium? Sicuti de frigore poſt P. Honorat. Fabri philoſophatur Cl. du Hamel. Non abſona hæc planè eſſe, ſuſpicari quiſquam poſſet ex eo, quod orificium uteri tùm hiet & ipſe uterus exundet colluvie humorum, cui frigus violentam inducere quietem, eamque ad firmam condenſare immobilitatem aptum eſt. At perpetuus calidi ſanguinis allapſus in vivo corpore hanc opinionem facile evertit. An fortè dicendum erit, quod aëris ſubtilis in uterum ſeſe inſinuantis pondus gravitate ſuâ impediat, quo minus iterum ſeſe contrahere poſſit ad ſolitas anguſtias. Hanc ſententiam vix reprehendent aſſeclæ acutiſſimi Perraltii, qui laudatiſſimus naturalium ſcrutator effectus omnes, qui frigus in corporibus frigefactis ſequuntur, à gravitate aëris ſubtilis deducere *in tentamin. de duritie p.* 41. ſategit. At neque eam hîc locum habere, difficultas curæ, quæ omnis fruſtranea eſt, ſi non in primâ herbâ malo occurras, facile evicerit. Non aliud occurrit,

currit, quod majori probabilitate ſe nobis commendet, quàm quod per admiſſum frigus tonus & robur membranacearum uteri partium labefactetur, quâcunque etiam agendi energiâ frigus hanc vim exſerat. Cura, ut jamjam dictum eſt, variis implicita eſt difficultatibus. Nullus hic locus eſt purgantibus, quæ tantum abeſt, ut proſint, ut potius concitatis variis turbis malum augeant. Omnia, quæ modeſtè lochiorum, vel, ſi etiam hoc tempus jam elapſum ſit, menſium promovent fluxum, aliquam præſtant utilitatem, ſi cum judicio carminativa iis jungantur, & opportuno tempore exhibeantur, non neglectis tamen topicis, ut & enematibus ac injectionibus uterinis. Aliquod notabile incommodi redundantis in puerperas ex frigore externo & poſt partum neglectâ abdominis per faſcias conſtrictione, præter multa alia, notavit exemplum D. Samuel Graſſius. Scilicet, mulier 40 annorum, multorum liberorum felix mater, dùm incautiùs frigori ſe exponit gravida, poſt partum, & expurgata lochia, ſenſit intumeſcentiam abdominis reſtitantem inſtar utriculi, indies increſcentem, quæ, cùm per aliquot ſeptimanas, nullas, vel admodum exiguas ei afferret moleſtias, ſucceſſu temporis tamen in immenſum extollebatur tumorem, cum doloribus circa regionem hepatis & umbilici enormibus, quibus jungebatur preſſio moleſtiſſima circa pubem in dextro latere, & tandem aſcites. Appetitus in principio non erat dejectus, deinde verò languebat, nonnunquam erratica febricula aderat, ſomnus cæteroquin placidus, vixque de aliquâ re, præter ſitim & dolores in abdomine conquerebatur. Succedebat poſt 18 ſeptimanas mors.

Nihil non tentatum eſt, quo ægræ ſuccurreretur, & pro recepto, proh! dolor, apud nos more, agyrtæ, Cingari, & carnifices, & fures & mulierculæ Medicaſtræ cum Medicaſtris in conſilium vocati ſunt, non ſine notabili ægræ damno & dilapidatione æris. Conceſſa tandem tamen eſt cadaveris ſectio, ubi ingens quantitas purulentæ & ſanguinolentæ materiæ cum particulis carneis in cavo abdominis reperta fuit, omentum planè corruptum erat, ipſos etiam abdominis muſculos putredo corripuerat, & necroſi diceres tactos, peritonæum per totum abdomen hydatidibus purulentis erat repletum, & in meſenterio hinc inde ſcirrhoſæ glandulæ ſeſe offerebant, teſtis dexter cum tubâ Fallopianâ ſaxeam induerat duritiem, & in fine Peritonæo accreverat, ulcuſque magnitudine nucis juglandis fovebat. Hepar prægrande, ſed ſine ullâ labe, uno lobo lienem attingebat. Ventriculus, propter tumultuarium & nimium uſum medicamentorum, flaccidus inveniebatur, pancreas planè erat corruptum, cætera viſcera nullo polluta erant vitio.

Quid verò de causâ malorum hujus ægræ dicemus? Eſtne probabile, quod lympha in muſculis abdominis & in aliis corporis partibus, frigore externo in motu impedita, & per ſtagnationem acrior reddita, & minuta aut ſuppreſſa tranſpiratione, & reductione per vaſa ceſſante, contraxerit tandem acredinem tantam, quæ vaſa lymphatica & partes fibroſas erodere potuerit? An verò potiùs accuſabimus inflammationes, & has credemus abiiſſe in ulcera, hæc autem & vaſa lymphatica & ſanguifera exediſſe, hanc verò vaſorum corruptionem ſecutam fuiſſe effuſionem humorum in abdomen?

Hernia Umbilicalis.

Vix quidem fieri poteſt, ut non Practicis quovis anni tempore, & ſingulis propè diebus occurrant variæ herniarum ſpecies; hâc tamen tempeſtate potiſſimùm meminimus Herniam Umbilicalem à nobis fuiſſe tractatam. Vulgò affectus hic noſter deſcribitur per prominentiam umbilici, & ὀμφαλὸν in infantibus potiſſimum affici, extra controverſiam eſt. At in adultis res ſecus habet Nam prolapſus omenti & inteſtini fit non tàm in umbilicum, quàm in hujus loca finitima, rarius ea, quæ ſuper illum ſunt, & ad ſcrobiculum cordis ſeſe extendunt, frequentius in partes ad latera umbilici poſitas, aut eo inferiores. Ex omphali cauſa eſſe poſſunt quivis motus violentus, caſus, percuſſio, ſaltatio, equitatio, vomitus, tuſſis, *&c.* Obſervavimus tamen multoties, quòd graviorum onerum, per ſcalas ſtatim à prandio ſumpto, geſtationes, huic malo præbeant occaſionem. Dùm enim ingentia pondera humeris impoſita per ſcalas deportantur, fieri non poteſt, quin diaphragma deprimatur verſus abdomen, quod eſt cibis diſtentum, & ab ingeſtis turgidum, quo in caſu quàm facilè Peritonæum laxari poſſit, in aprico eſt. Peritonæum rarius (non autem cum Clariſſ. Munnick *in Chirurg. p. m.* 170. dixerimus *impoſſibile eſſe, ut valida hæc membrana dilacerari ac rumpi poſſit; aut in hernioſis poſt obitum nunquam rupturam, verùm dilatationem peritonæi ſemper obſervari)* violentiâ externâ rumpi, vel inde colligere eſt, quòd rariſſimè, ſicuti peritonæo rupto fieri neceſſe erat, omentum, vel inteſtinum in ſedem umbilici ſtatim poſt ejuſmodi caſum incidant, ſed ſæpè poſt dies aliquot & integras ſeptimanas Omphalocele in ſenſum incurrat, licet exquiſitæ puncturæ ſenſus ſtatim ab initio in regione umbilicali adſit. Cùm tumor ſeſe exerit, ferè ovi columbini magnitudinem æquat. Quando ab omento eſt, mollis exiſtit ac indolens, nec color cutis mutatur. Poſt cibum ſumptum tumor creſcit, ſed ægro ſupino aliquantum minuitur, quod etiam fit, ſi leniter comprimatur, & ad interiora digitis adigatur, ubi ſine murmure reſidere ſolet. At aliter res habet, cùm ab inteſtinis tumor oritur, nam etiamſi evaneſcat quadantenus, quando comprimitur, non tamen ſine murmure diſparere ſuevit. Præthereà etiam magis eſt inæqualis, ſi ipſa excidant inteſtina, ſi autem illa quoque incarcerentur, & ex compreſſione & ſtrangulatione inflammentur, magna adeſt æſtus & ſitis intenſiſſima, & facilè iliaca paſſio ſuccedit, quæ meritò metuitur tanquàm inſtans, cum adeſt nauſea, conatusque vomendi cum ructibus. Ab Omphalocele ſine difficultate diſtinguuntur tumores *à flatu* ſub unguibus tinnientes inſtar tympani, ac *lividi ab extravaſato ſanguine, ut & duri à carneâ mole* aut ecchymoſi oriundi, qui ultimi omnem chirurgicam pariter & medicam opem eludunt. In curâ eò noſtra collinearunt conſilia, ut partes prominentes blandè in debitum (remotis per enemata aut levia cathartica, carminantia, cataplaſmata & fotus *&c.* impedimentis, inteſtinorum, inquam, infarctu diſtenſivâque à flatibus expanſione *&c.*) reponerentur locum, quod faciliùs ſuccedit reſupinato ægro, ita ut caput pendulum deorſum vergat. In hoc enim corporis poſitu, ſi blandè hernioſus exſpiret, diaphragmatis muſculus, eique annexa verſus thoracem trahuntur.

huntur. Quando ergò digitorum accedit miniſterium, promptiùs, ut diximus, repoſitio perficitur. Enim verò eo etiam eſt annitendum, ut partes repoſitæ in loco ſuo retineantur. Quod ut obtineas, neceſſariò per aliquot ſeptimanas corporis imperanda quies eſt in ſitu corporis ſupino; nam hoc pacto ea, quæ exciderant, verſus dorſum vergunt, & dilatatio faciliùs claudi ac corrugari poteſt. Deinde ab omni retrò tempore, ad conſtrictionem & fibrarum divulſarum aut laxatarum unionem laudata ſunt externa adſtringentia & remedia glutinantia, è quorum cenſu ſunt variorum emplaſtra ad herniam, præprimis autem nobile illud Barbet. *in Chirurg. p. m.* 30. Nobis non infeliciter ceſſit uſus compoſitionis à Blegny excogitatæ, quam, ut ipſe memorat, *p. m.* 232. *in arte herniarum curatrice*, confecit ex *duabus* partibus maſtiches & ſuccini *unâ*, gypſi & vitrioli calcinati ad albedinem, contritis & commixtis æquis partibus viſci & ichthiocollæ in forti aceto diſſolutorum. Infantibus meminimus cum ſucceſſu applicatum emplaſtrum ex tritis cochleis, thure & albumine ovorum & exuviis anguillæ recentis. Nihil ſolidi ſubeſt Crollianæ deprædicationi de efficacia malorum in foliis quercus propendentium menſe Majo collectorum in vitro ſoli expoſitorum & per ſe reſolutorum in aquam. Nec majori utilitate tentatum fuit experimentum Digbæi, juxta quod ſtercus vaccinum linteo inductum & cumino aſperſum calidè repetitis vicibus applicandum venit. Experiatur, qui volet, an vera ſint illa Fabri verba: *Curantur herniæ ſucco depurato herniariæ, qui admixtus farinæ fabarum & parti applicatus per* 15 *dies ægro in lecto quieſcente perfectiſſimè curat herniam.*

Nos etiam hoc promiſſum fefellit. Res autem ipſa loquitur, quanta hîc ſubligaculorum & perizonarum neceſſitas ſit & utilitas. Internè admodum commendantur vulneraria medicamenta ex conſolida utrâque, tormentillâ, ſaniculâ, hyperico, perſicariâ, vincâ pervincâ, ariſtolochiâ, bardanâ, *&c.* Solenander laudat pulverem lunariæ minoris in decocto conſolidæ vel vino per aliquot tempus diligenter adhibitum. Ari radicem ſingulari virtute hernioſis auxiliari Doctiſſ. Laurenbergius ait; ſed nos ex experientia didicimus, nullum inde ad ægros redundaſſe fructum, imo potiones vulnerarias cum damno ægris propinari plus ſimplici via obſervavimus. Nam ut de aliis incommodis non dicamus, adſtringunt alvum, quam liberam eſſe omninò ægris expedit. Nulli etiam erimus Auctores, ut ad imitationem vel Blegny ♁ artificiales cum alumine & vitriolo paratas, vel Fallopii chalybem præparatum cum ſaccharo exhibeat, etiamſi vel maximè magneticum emplaſtrum in ſubſidium vocare animus ſit. Dehortamur etiam ab uſu famoſi remedii juſſu Regis Galliarum orbi communicati, ſc. ſpiritu ſalis, quem Abbas per 20 dies in vino rubro dedit gradatim aſcendendo à ſcrupulo uno uſque ad enormem drachmarum duarum doſin, quam ſummè ægris noxiam eſſe, noverint ii, qui ſpiritum hunc abſque interruptione per aliquot tempus ægrotis dederunt.

Januario hujus Anni pariter ferrarius quidam circinorum faber per multos jam annos enterocele dextri lateris laborans, quæ commodo ſubliga-

 culo

culo intra cancellos abdominis hactenus cohibita eſt, ex inæquali violentaque corporis commotione prolapſum denuò inteſtini in ſcrotum patitur, tàm diuturnum, ut decennii ſpatio nullis remediis, nec internis, nec externis quicquam auſcultaret, quin imò cum obſtructione alvi pertinaciſſimâ & doloribus colico-iliacis atrociſſimis vomitus ſtercoreus quoque accederet.

Quo rerum in ſtatu tandem vocatus D. Preuſs, cùm nec clyſmata blanda, nec fotus per cataplaſmata emollientia & ſacculos nervinos diſcutientes aliquid proficere, ſpaſmoſque inteſtinorum flatulentos maximam partem ſubeſſe ſentiret, propinatâ ſæpius eſſentiâ ſtomachico-carminativâ cum anodyna remixtâ, & epithemate calido à chirurgo herniæ frequenter applicato ex aq. calcis vivæ, ſpiritu vin. camphorat. & eſſentiâ carminativâ balſamico-nervinâ, DEi gratia eò rem brevi redegit, ut, ſpaſmo prolapſi inteſtini rigidiſſimo remittente, manu peritâ chirurgi illud iterum in cavum abdominis blandè reponeretur, mediante ſubligaculo ibidem firmaretur, ſicque æger ab interitu vindicaretur.

Quemadmodum is eodem quoque tempore œnopolam ex podagra per agyrtam retropulsâ, ut vocant, colicâ nephriticâ truculentiſſimâ laborantem, aliis omnibus fruſtraneis, ex voto ſanitati reſtituit uſu alternis diebus modo tincturæ tartari, copioſum cum urinâ ſabulum educentis, modò hauſtuli tepidi unciarum 3 vel 4. miſturæ ſequentis diuretico-laxativæ:

℞. Decoct. emoll. contr. calc. Foreſti.
Aperitiv. Major. an. unc. jv.
Aq. contr. calc. Conrad.
Fragor.
Cinam. bugl.
Syrup. Regii.
Byzantin. an. unc. j. M.

De catarrhis, tuſſibus ferinis, aliiſque morbis, qui tùm graſſati ſunt, dicere jam non attinet, quia de iis in Hiſtor. præcedentis anni eſt actum; id ſufficit verbo monuiſſe, quòd hoc tempore opiata catarrho & rheumatiſſimo laborantibus minimè profuerint.

Conſtitutio Aëri. in Menſ. April. Mai. & Jun.

Menſe Aprili admodum inclemens erat aëris conſtitutio, & miris ventorum, frigoris, grandinum, nebularum, nivium, pluviarum viciſſitudinibus, etſi ad teporem nonnunquam inclinaret, ingrata. Nec in Majo veris fruebamur deliciis, ſed ſub turbido & nebulis obducto ac pluvio cœlo per majorem menſis partem egimus; eoque gratior erat blandus in Junio ſolis calor, qui tamen & ipſe pluviis & tonitru ſubinde turbabatur, quo ipſo id conſecuti ſumus beneficii, ut minùs æſtu ſolis exureremur.

Febris ſemitertiana.

Hoc tempore omnis generis febres graſſabantur. Præprimis crucem figebat nobis illa, quæ typum talem obſervabat. Primo die horror ſatis gravis homines catarrho obnoxios & craſſiori victui aſſuetos, aëriſque injuriis crebro expoſitos, aut ad tabem pronos invadebat, horrorem ſeque-

ſequebatur calor valdè inæqualis, pulſus autem ferè debilis erat; æſtus per horas modò pauciores, ſeptem, inquam, novem, modò plures v. g. 12. 14. &c. perſeverabat, poſt quem aliquibus ſudores effluebant, quibus manantibus, utut febris remitteret, plenè tamen non ceſſabat. Vidimus, qui poſt calorem nondùm ſopitum, eôdem die, denuò horrore & frigore concuterentur, ac illis jam dicto die vomitus erant moleſti, iis præprimis horis, quibus febris intendebatur. Die ſecundo perſeverante adhuc calore denuò eâdem propemodùm horâ, quâ primò, miſeros opprimebat, alius horror, aliudque frigus & tandem etiam calor, qui ſenſim augebatur, ſed tamen longè adhuc aberat à ferociâ ejus, qui primo die ægros exurebat, ſed neque tot horis, quàm ille continuabat. Tertio die eadem, quæ primo, ludebatur fabula; Quarta iterum ſecundo reſpondebat. Verbo, ſemper uno die febris erat gravior & quaſi compoſita ex tertianâ & quotidianâ, altero autem erat levior, typum unius quotidianæ referens. Solvebatur intra 14 aut 20 dies per diarrhæam, mutabatur etiam in tertianam duplicem, in aliquibus ſcabies ſuccedebat per totum corpus diffuſa. Cadunt etiam hæ febres adhibitâ ordinariâ methodo noſtrâ curandi, quam alibi adumbravimus. Lenia evacuantia eximiè proſunt ſecundo aut quarto die imò & aliis diebus paribus etiam repetitis vicibus exhibita. Omnia ſymptomata erunt leviora, ſi illis diebus, quibus unus tantùm affligit paroxyſmus, ſub declinationem blanda dederis alexipharmaca. Ante paroxyſmos præcipitantia cum ſalibus alkalicis & nitro rectè etiam morbo huic opponuntur. V. S. non celebravimus.

Præter has febres occurrebant etiam, quæ itidem tertio quoque die, ut priores ingraveſcebant, ſed abſque rigore & horrore ſtata obſer- Febris Tritoph.
vantes tempora. Et hoc ipſo differebant à præcedentibus, quæ exacerbationes habebant horriferas, atque ſtatas. Hæ enim etiamſi rigoribus non carerent, illi tamen ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως inordinatè & erraticè, non unà cum paroxyſmo invadebant. Non mali videbantur eſſe moris ab initio, ſed procedente morbo ferè in pejus ruebant, ac criticis præſertim diebus excandeſcebant. Aderat morſus ventriculi, aliaque ſymptomata maligna, in his lethargus, in aliis vigiliæ c. deliriis conjunctæ. Impeditus erat urinæ fluxus eo tempore, quo rigebant. Satis erant contumaces hæ febres nec nullos interimebant. In curâ nihil peculiare à nobis obſervatum, niſi quòd è re ſit ſuperato rigore ad æqualem ſanguinis diſtributionem ob-
tinendam diaphoretica & alexipharmaca propinare. Cæteræ febres ferè Otalgia.
omnes conjunctæ erant cum Otalgiâ, quæ certè & ægris & Medicis facesſit negotium. Emetica, quæ in aurium dolore ab Auctore *lib. de affectibus* commendantur, hic locum non habent. Idem ſentiendum ferè de purgantibus, quæ ab Hippocrate de *locis in homine*, damnato vomitu imperantur. Nec V. S. placuit nobis, conſilium Ballonii *lib. 2. epidem. & Ephemerid. p.* 234. ſecutis. Expertiſſimus ille Practicus, *ſi*, inquit, *vena ſecatur & aliquid eſt egreſſum è vaſis & aliquid paratum eſt adhuc in partem fluere, retardamus ſuppuratum, refrigeratur & crudeſcit materia; ſic occaſio ma-*

jorum poſthac dolorum datur. Si dolor in profundioribus hæreat partibus, etiam ea, quæ in aures inſtillantur, parùm proſunt. Nam cùm ad tympanum uſque tantum pervenire queant, interioribus partibus affectis exiguum afferre ſolatium apta nata ſunt. Prorſus autem improbamus conſilium Galeni, qui opium auribus indi jubet, tametſi non uſque adeo evidens ſit, quòd opium, ſicut credit Schneiderus, peculiariter ſenſui auditus ſit infeſtum. Ex internis ea elegimus, quæ aliàs in viſcerum & meningum inflammationibus præſcribi conſueverunt. Inter externa potiſſimum linimenta ſpirituoſa, & hæc quidem camphorata & crocata elegimus, eademque ſæpius applicari imperavimus. Aliquod etiam in pediluviis eſt ſubſidium, ſi dolor ille, quod tùm temporis vidimus, ſolitarie abſque febri affligat. Otalgiam alias in hemiplegiam, quæ tamen & ipſa adhiditis debitis remediis ceſſit, eſſe mutatam in virgine plethoricâ meminimus.

Dolor dorſi in puerperis. Primiparæ habitiores lautioris conditionis, imò & aliæ puerperæ partûs laboribus defunctæ, hiſce diebus ferè omnes conquerebantur de dolore compreſſivo ſatis vehementi in dorſo, quem nec mulierculæ ſuis remediis domeſticis, nec Medici ſelectis etiam pharmacis depellere poterant. Acerbiores erant cruciatus earum, quæ juſculis conſummatis, ut vocant, lapſas reparare vires geſtiebant, præprimis ſi infantes eſſent debiliores, & in uberibus ſolicitandis negligentiores. Nihil æque his profuit quàm victus tenuior & evacuatio lactis ex mammis liberalior, evidenti certè argumento, dolorem hunc non aliundè pendere, quàm ex vaſorum lacteorum, ipſiuſque ductus thoracici chyloſam materiam pro lactis generatione advehentium repletione ac nimiâ diſtenſione. Quòd ſi itaque, quæ in dictis canalibus hæret, eo, quem intimavimus modo, evacuetur materia, & caveatur, ne vitio gulæ alimenta euchyma affatim ingurgitando, chylus nimis augeatur, non adeò difficilis fuerit medela.

Vertigo. Præcipuè autem hoc tempore communes de vertigine querelas audiebamus. Occurrebant ſatis multi, quibus caput & viſus objecta circumagi videbantur. Nec nulli erant, quorum oculis tenebræ, aut intra tenebras ſplendida quædam obverſabantur, & caput in turbinis modum circumduci videbatur. *Horum auribus etiam murmur veluti delabentis cum ſtrepitu fluminis inſonabat, aut tanquam ventus flatu vela percutiens, aut tibiarum fiſtularumque cantus, aut veluti ſtridor plauſtri currentis obſtrepebat*, ut noſtra faciamus verba Aretæi ex *lib.* I. *de morb. diuturn. cap.* 3. Hoc autem malo vidimus vexari eos, qui in otio viventes liberaliùs ſubindè ſe vino invitarant, aut qui antea hæmorrhagiam narium, vel fluxum hæmorrhoidalem experti, his evacuationibus per tempus aliquod caruerant; aut qui aliàs catharſi fuerant aſſueti, eandemque omiſerant. Mulctat etiam fumus nicotianæ ſuos amatores vertiginoſâ capitis debilitate, ut non malè alicubi Helmontius, ab immoderato tabaci uſu, initia apoplexiæ derivet. Poſt opiatorum uſum non ſemel vertiginem obſervavimus; nec incongruè Sylvius *lib.* 2. *prax.* notat, homines ex aſſumptis nimiâ

miâ quantitate narcoticis in apoplexiam incidere. Nec minus vertiginem patiuntur ii, quos ſtupor aut paralyſeos prodromi infeſtant. Cæci etiam hîc ſuos patiuntur manes. Eſt autem vertigo hæc conjuncta non tàm cum dolore & debilitate capitis ac pulſatione arteriarum, ſed & ſubinde cum tremore, & ingenti circa os ventriculi preſſione & manifeſta ſtomachi inflatione, ac anxietate præcordiorum, quam ii potiſſimum experiuntur, qui cibis flatulentis delectantur. Videas etiam vertigini obnoxios ſubinde ſine omni causâ mœſtos & præter conſuetudinem antiquam ſubtriſtes, ac quarumvis propemodum, quæ contigerunt, rerum immemores. Non defuerunt, qui, quoties ipſos vexat vertigo, quamcunque in partem caput flecterent, in eam veluti cadere ſibi viderentur. Atque hîc gradus vertiginis, quamvis aliquanto rarior, ſummus eſt, quando totum corpus vertiginoſi vacillat, & niſi fulcro alicui innitatur, in terram corruit. Ad hanc ſcotomaticorum claſſem etiam referendi ſunt illi, quos, neſcio quis timor, cùm ſedere cupiunt, occupat, aut quibus, quando obambulant, terra fugere videtur, ac pedibus ſeſe ſubducere. His in partibus corporis ſuperioribus nonnunquam ſudor ſponte erumpit. Vertigo omnis creſcit, quando ex alto in inferiora viſum defigunt, aut ubi velocem rapidi fluminis motum, aut gyrum rotæ circa axem vel flammam latè ſe diffundentem vertiginoſi intuentur, item ſi onus humeris geſtent, proni incedant, aut ſi ex improviſo intentos audiant clamores.

De vertigine à compreſſione cranii & cerebri ab immoderatis, ſub æſtu ſolis, exercitiis, irâ, ſomno prolixiori *&c.* non eſt, cur verba faciamus. Notum etiam ſatis eſt, quod diuturnæ vertigini, quæ focum in primis viis, hypochondriis & utero non habet, ſuccedat apoplexia, vel epilepſia, quod etiam olim notavit Hippocrates *l.* 4. *acutorum.* Cura difficilior eſt, quam credunt minùs experti. Nec adeò indicationes in promptu ſunt, eo quod cauſa ἄμεσος mali latuerit. Novimus, communiter accuſari confuſum ſpirituum animalium motum, & vulgò doceri, quod tum excitetur vertigo, quando ſpiritus non æqualiter influunt, ſed rotantur & nutant, eos autem tum in ordinato ſuo motu turbari, quando aut liquidum nervorum in vortices abit, quod vult Williſius, aut ipſi ſpiritus vapore quodam heterogeneo & maligno inquinantur, & charactere peregrino notantur, quod, juxta acroamata Sylvii, tùm potiſſimum contingit, cum bilis & ſuccus pancreaticus vitioſi efferveſcunt, juxta Hornii autem doctrinam, quando pylorus patet & ſordes ex inteſtinis attrahit. Quæ omnia captu ſatis difficilia ſunt. Nos autem cùm veriſſimum eſſe arbitremur illud Pitcarnii *in Diſſert. Med. p.* 106. *In omni morbo, cujus Phænomena æque poſſunt oriri à motu liquidi in arteriis impedito ac à motu liquidi per nervos venaſque ſublato, ſemper putandum, potius peccari intra arterias quàm intra nervos aut venas*; jam à multis annis credimus vertiginem idiopathicam oriri à dimotione quâdam retinæ, aut nervi per diſtenſionem arteriarum oculi; quandoquidem facilè intelligi poteſt, quòd, quando vaſa ſanguini in oculo intumeſcunt, ſive illud fiat *per copiam ſanguinis*, ſive *per copiam alicujus ex humoribus*, ſive *per calorem rarefacientem*, *adeoque vaſa*

 exten-

extendentem, cum impetu in retinam & nervos nitantur & partes eas loco moveant, ut optimè expoſitum à Clar. Bellin. *lib. de morb. cap. p.* 594. & motu hoc vertiginem excitent. Illuc ſanè oculos in cura convertimus.

Atque hinc primas ſanè V. S. ferè ſemper detulimus, edocti ab Hippocrate *in coacis*, quòd *tenebricoſas vertigines ſanguinis ex naribus fluxio ſolvat*, cujus oraculi ſenſum Noſter Jonſtonus *in notis p.* 280. minimè eſt aſſecutus. Nec frictiones & ligaturas neglēximus. Suus etiam relictus fuit locus pediluviis. Præmiſsâ V. S. etiam non tàm ἐγκοπρώτικα, quàm fortiora eleginus pharmaca. Raró emetica adhibuimus in plethoricis, etiamſi adeſſent ructus & rugitus, aut ſi quando juxta 4. *Aphoriſm.* 17. id factum eſt, exemplo Langii delegimus ſal vitrioli, quod non tantum evacuat, ſed & humores fundit ac diſſolvit. Inter ſudorifera hoc in affectu tinct. bez. D. M. omnium minimè expectationi ſatisfecit. Carminativa aromatica, ſi ſolicita inſtituatur óbſervatio, non parùm nocent. Idem ferè dicendum de ſpiritibus apoplecticis ex vegetabilibus cephalicis & nervinis, ut moris eſt, paratis. Nec melius ſe gerunt martialia, & inutilia magiſteria perlarum, corallorum, ac inanes fæcularum fæces. Nec aliquid peculiare præ reliquis obtinet ſpecificum Mich. ungul. alc. præp. Viſc. Colurn. ppt. ſaphir. ppt. ſmaragd. ppt. Aliquantò major virtus eſt in ſuccin. ſpec. de hyacinth. Maxima autem inter uſitatiora in cinnabari nativâ, quamvis nec ab illâ miracula ſint expectanda. Nullius pretii eſt ſpiritus vitrioli cephalicus, prout vulgò paratur. Rad. doronic. ſem. coriandr. cubeb. aliquid faciunt operæ pretium. Salviæ laudes non immeritò in vertigine celebrat Paulini *in Salv. p.* 74. *& ſeqq.*

Peculiare tumoris genus.

Non poſſumus etiam, quin ſingulare recenſeamus exemplum de apoſtaſi κατ' ἀπόςθεσιν, ut medicinæ Parens vocat, in ſcirrhum ſanguineum degenerante cum doloribus atrocibus & aliis mali moris ſymptomatibus. Ubi in anteceſſum jure meritoque notamus, quod aliàs notum eſt ex Hippocraticâ doctrinâ, apoſtaſi ſeu abſceſſione per ſepoſitionem ſignificari materiæ morbificæ è nobilioribus partibus ad ignobiliores depulſionem, non autem plenam è corpore excuſſionem, quod, licet principium movens corporis intendat, propoſito tamen ſuo hìc fruſtratur, vel, quòd vires corporis fatiſcant, & ad ſecretionem non ſufficiant, vel materia ad motum inepta excluſioni reluctetur, vel etiam viæ minus patulæ obicem ponant. Atque hinc fit, ut non penitùs ex corpore proſcripta materia ſed ad extremas partes detruſa, ibique altius impacta, etſi mole non magnâ, tanquam ſomes facilè novos morborum ac dolorum faces accendat, quod in Matronâ ferè quinquagenariâ plethoricâ, ac turgido corporis habitu prædita expertus eſt D D. Helwich & Graſſius. Hæc genere & virtute Illuſtris in ſterili matrimonio vivens, periculorum ex diætæ legibus contemptis ſecura, cibos etiam maximè noxios avidiùs ingeſſerat, quod non fieri oportuerat, quia & menſes, ſtatis quidem temporibus fluentes, ſed haud raró admodum dolorificos antehac experta & varias ejuſdem menſtrui fluxus ataxias autumno & hyeme ultimum morbum antegreſſis ſenſerat, & diros calculi labores ſæpiuſcule

ſcule jam pertulerat, quoties dyſpeptis ventriculum præter modum & omnem menſuram diſtenderat. Nec ignara etiam malorum, quæ hæmorrhoidalem fluxum ex licentiâ hâc, quam in victu ſibi indulſit, impeditum ſequi ſueverunt. Non minus etiam ſordidis apoſtematum moleſtiis aliquoties præterlapſis annis divexata, ſed tot tantisque malis nondum ſatis edocta cœca hâc indulgentia in alios ſubinde morbos ſeſe tempore præcipitavit, ac aliud grave tormentum ſibi accerſivit. Scilicet rediens ex dynaſtiâ ſuâ Vratislaviam circa veſperam, poſt cephalalgiam aliquot dierum, horrore febrili, quem æſtus ſatis intenſus, per totam noctem durans, excepit, concutitur. Æſtu iſto intepeſcente, immani dolore in digitorum manus ſiniſtræ internodiis corripitur, qui miſeram per 5 horas, niſi fallor, atrociter afflixit. Cùm ſub veſperam cruciatus abſque omni febris indicio recrudeſcerent, vocatus D. Helwich accurrit & vix compotem mentis præ dolorum atrocitate invenit, inter muliebres de ineffabili articulorum dolore ejulatus, quam ſingultiens, ut enormiter tenſivum, vibrativum ac vellicativum & lancinatorium deſcribebat, ſcrupuloſæ indagini nullus erat locus, quamvis vivendi ratio ejus, & pleraque, quæ ſcire medicorum intereſt, illum non fugerent. Dolores illos videri arthriticos affirmat, nec adſtantes abnuebant, & inter has vidua podagrico olim juncta, eandem jam ante acceſſum ejus cantilenam cecinerat. Abſque morâ etiam poſt ſeverè injunctam diætam accuratiorem, medicamenta ipſi in arthritide familiaria præſcribit, pulveres nimirum nitroſo cinnabarinos, ad aliqualem ſanguinis diſtributionem obtinendam, tincturam aliquam diaphoreticam. Etſi enim procul abſit ab opinione eorum, qui calidiſſimis in arthritide medicamentis ad proliciendum ſudorem ſanguinem exagitandum eſſe cenſent, diapnoica tamen manè exhibita amat quàm maximè. Poſtero die redeunti narratur, noctem inter cruciatus, quibus ferendis humana natura non par ſit, eſſe tranſactam, & ſimul oſtenditur manus, quam dum accuratius intuetur, in pulposâ digitorum carne maculas deprehendit lividas, ac in atrum vergentes colorem, quales cernere licet, cùm tubercula, quibus tendines, qui digitos contrahunt & extendunt, annectuntur, incautè durioribus corporibus gravius alliduntur, læſis enim his partibus, acutiſſimo ſenſu pollentibus, excitatur criſpatura, quâ ſanguinis puncta ad ambitum eorum ſubſiſtunt. Interrogata, an caſu quodam cubitum offendiſſet, negat iſtud contigiſſe, ne quidem ſe credere, quòd in ſomno irrequieta partes dolentes contudiſſet. Medicamentorum continuationem ſuadet. A topicorum uſu, præprimis conglutinantium, pinguium, oleoſorum uſu dehortatur, ac in ſpem meliorum labantem ſuffulcit animum, at verò horæ, dies ac ſeptimanæ labebantur, & tamen tantum abeſt, ut tormenta dolorum ceſſarent, ut potiùs quotidiè per horas aliquot diurnas, quod primis diebus non contigerat, & nocturnas vagis paroxyſmis repeterent, & eam indignè mulctarent. Itum fuit obviam dolori huic omni remediorum genere (nam cùm laudata ante medicamenta non mitigaſſent, alia ſubinde, ita volente ægrâ, ſubſtituebantur) evacuatum blandè corpus, vena pertuſa, cucurbitulæ applicatæ, blanda diaphoreſis, cùm eò vergeret natura, inſti-

inſtituta, humores antiſcorbuticis aliiſque accommodatis, quantum fieri poterat, correcti, antiſpaſmodica verò prora ac puppis erant, nec, quod tamen in ejuſmodi caſibus rariùs ipſi in more, opiata fuere neglecta; at ne hilum his omnibus dolores mitigabantur. Tribus elapſis ſeptimanis, tumor in carpo exoriebatur, ex quo alii in ſpem erigebantur, fore, ut brevi dolores demulcerentur. Medicus verum eſſe ajebat, quòd, quando tumores arthritici in conſpectum prodeunt, dolores miteſcant, imò id etiam docuiſſe experientiam, diutiùs eſſe à paroxyſmo, quibus ejuſmodi tumores tardius diſſolvuntur, immunes, ſed tumorem hunc non videri ex genere eorum, qui arthritidi ſuperveniunt, ſed propiùs accedere ad phlegmonem, nam eſſe ſtaſin inflammatoriam in amplum & quantum apparebat etiam in profundum diffuſam, cum ardore & æſtu conjunctam, ſola duritiei abſentia à phlegmone differre. Atque tùm facilè intelligebat, affectum non eſſe verè arthriticum, quamvis dolores arthriticorum cruciatibus ſimillimi eſſent, ac tumorem hunc magis magiſque conſiderans, & ægræ corpus, nec non motus animi perpendens, manibus quaſi palpabat, ſcenam hìc apperiri Hippocraticarum apoſtaſεων. Quia tamen etiam hæ periculo minimè vacant, ac tumores phlegmonodes etiam in ſphacelum præcipites feruntur; commendabat cum D. Graſſio externa, lenem materiæ noxiæ diſcuſſionem promoventia, & interna diapnoica ac antiſpaſmodica præſcribebant; ſed, quod dolores ex eorum uſu non ſtatim ſopirentur, emplaſtra, neſcio quæ, erant imponenda, quibus id, ut eventus docuit, effectum eſt, ut craſſiores ſanguinis partes poris altiùs adigerentur, ſecedentibus ſubtilioribus partibus ſeroſolymphaticis, grumoſa ſanguinis ſtagnantis condenſatio ſequeretur, uno verbo, ſcirrhus ſanguineus, *ein harter braun-rother Buckel*, neque tamen, quod aliàs fieri ſolet, malacia cruciatuum obtingeret. Hic duo Medici illi gnari, quàm facilè in ulceroſas, gangrænoſas aut ſphaceloſas corruptiones ſcirrhi ſanguinei abeant, omnem chirurgo ſollicitudinem commendabant. Is verò, ut fieri ſolet, utroque abſente, ſcirrhum aperiendum eſſe contendit, pollicitus fore, ut, factâ levi apertione, dolor omnis conquieſceret. Fit ita. Extillant tres vel 4 guttæ ichoris, & cruciatus quaſi incantamento ſublati omnes per 24 horas ſuſpenduntur. Hìc nobis ægra cum conſanguineis inſultare, quod reluctati eſſemus huic tumoris inciſioni, nos quidem, abſque jactantiâ benè facere & malè audire, jam aſſueti, jubemus in vulnuſculum, lanceolâ factum, inſtillare liquorem balſamicum vulnerarium, & precamur, ut gaudium hoc ægræ ſit diuturnum. Sed vix elapſæ 24 horæ, ubi infandi iterum eam dolores corripiunt, qui incertis paroxyſmis eam per tres adhuc ſeptimanas aggreſſi ſunt, ubi poſt multa antiſpaſmodica interna, & camphoratorum uſum externum, primò languidè, tandem prorsùs conticuerunt. Circa ſcirrhum nihil temerè movendum eſſe, conſtans noſtra erat aſſertio, edocti, citra magnum ægrorum incommodum ejuſmodi ſcirrhos, niſi paſſionibus animi, præprimis verò excandeſcentiâ, abuſu vini, violentiori corporis motu imprudentibus refrigerationibus occaſio novis punctoriis & æſtuatoriis doloribus præbeatur, in corpore circumgeſtari. Dùm verò dolores

res remittere incipiunt, novo terrentur ſymptomate, nempè incipienti quaſi aridura, à nimia fibrarum tenſione, cujus tamen progreſſum fotibus, cataplaſmatibus, unguentis ac ſpirituoſis linimentis facilè inhibuerunt, atque ita ægram diuturnis dolorum fluctibus concuſſam, ſub auſpiciis divinæ gratiæ, in portum ſanitatis perduxerunt. Ejuſmodi effectus ſatis frequenter abſque dubio in praxi occurrunt, dum larvam dolorum arthriticorum, ſub quo ſchemate incedentes etiam oculatis imponere poſſunt, conjunctam habent, & ſub nomine dolorum articularium, podagricorum, chiragricorum aut certè rheumatiſmi, occultantur. Manifeſtum verò ſatis eſt, ſævos illos dolores excitari, dùm humor, præprimis verò ſanguis motu vegeto tenſis fibris illiditur, adeoque hos cruciatus eſſe ex claſſe ſpaſmodicorum, eos etiam credimus eſſe cauſam tumoris, & hunc ipſum, propter dolores illos formari ac colligi, non propter copiam materiæ per apoſtaſin rejectæ, quippe quæ non adeo magna eſt, ut ſenſus docet. Res etiam ipſa loquitur, quod ſepoſitâ ejuſmodi materiâ vix maturationem admittat, ac ſcirrhi exulcerationes, ſi quando eveniunt, genuini imperitiæ chirurgorum fœtus ſint.

Rectè Sydenham *in diſſert. epiſt. p.* 485. ait, paſſiones hyſtericas inter chronicos morbos omnes frequentiſſimè occurrere, eaſque, ut *p.* 486. innuit, chronicorum partem mediam eſſe. Nos quidem hoc jam non agemus, ut totam mali illius hyſtoriam Lectori ſiſtamus, quam non malè deſcripſit Paſchalius *l.* 1. *d. cur. morb. c.* 57. attamen licebit, opinor, nobis deſcribere affectum, qui ſatis frequenter corripit fœminas ſanguinei temperamenti, impedito menſium fluxu laborantes, non ad aliam morborum claſſem, ut judicamus, commodiùs referendum; is verò ſequens eſt: Mulieres quædam, cum imminet tempus, quo tributum menſtruum ſolvendum eſt, primo quidem experiuntur anxietates præcordiorum, cordis palpitationes, anxietates miras cum artuum laſſitudine & cephalalgiis, deinde poſt varios ſpaſmos hypochondriorum, & dolores tenſivos in dorſo & oſſe ſacro ac regione pubis tandem erumpunt in quantitate non magnâ menſes, iſte verò fluxus apud has paucis durat horis, apud alias diurno, aut longiori adhuc ſpatio circumſcribitur, at infra tempus debitum atque juſtò citiùs ſiſtitur. Ceſſante verò fluxu exquiſitiſſimi dolores vibrantes & lancinantes per dorſi longitudinem ad cervicem uſque diffuſi ſeſe exerunt, in abdomine autem acutiſſimi dolores flatulenti adſunt. Ex dorſo irruunt acutiſſimi iſti dolores punctorii in caput, & tempora occupant, atque hinc ſingulis momentis exacerbantur. Dùm autem caput dolore graviſſimo, diſtendente, gravativo ac punctorio torquetur, facies inflatur, malæ rubore ſuffunduntur, ac vultus mediocriter ardet. Nonnunquam dolor acerbiſſimus in certo pericranii punctulo, quod tranſverſo pollice contegi poſſet, tantùm hæret, non minus tamen eſt penetrans, quam ſi clavus ferreus in caput vi adigeretur, ut optime deſcribit Sydenham *p.* 487. & 499. unde etiam affectui nomen clavi hyſterici indidiſſe videtur. Dolorem illum aliquando etiam comitantur enormes vomitus, plerumque vero cum illo conjuncta ſunt febricula, agrypnia, laſſitudo ar-

Affectus Hyſtericus.

 tuum,

tuum, alvus adſtricta, horror per intervalla recurrens, extremorumque frigus. Poſt aliquot dies inclinat morbus, & ſymptomata miteſcunt.

Initium curæ fecimus ab enematibus, quæ bis etiam in die applicari juſſimus. Paregorica & diſcutientia capiti applicata aliquam præſtant utilitatem. Cæterum vulgaria anti-hyſterica & nervina internè data, tantùm abeſt, ut opem afferant, ut etiam dolores intendant. Dedimus eſſentiam carm. Mich. Wedel. elix. uterin. utriuſque, ut & Crollii, at illud tantum his laudatiſſimis medicamentis aſſecuti ſumus, ut dolores augerentur, & diutiùs protraherentur, mens vacillaret, membra ſtuperent & alvus pertinacius obſtrueretur. Multum noſtrâ experientiâ hîc præſtant temperantia, ſalia digeſtiva, pulveres nitroſi & ſalini. Superato paroxyſmo opera à nobis data, ne affectus repullularet. Hoc autem multoties obtinuimus iis remediis, quæ fluxum menſium promovent, ſtudioſè caventes à cortice Peruviano, quem in affectibus hyſtericis immeritò Sydenham tantopere extollit. Quodſi ſanguis viſcidior & ſpiſſior impediti menſium fluxûs cauſa eſſet, aut etiam ſanguinis orgaſmus, curam à V. S. auſpicati ſumus, & deinde poſt uſum leniter evacuantium, emmenagoga mitiora doſibus exiguis juſto tempore, &c. exhibuimus. Cujus commendatæ methodi efficaciam ſingulari epilepſiæ uterinæ exemplo D. Pauli magis confirmare potuit. Erat tum temporis Nobilis cujuſdam uxor, lautiori & liberiori diætæ addicta, ſanguineo-melancholica, venerea, concubitum tàm ob prolis numerum, quam ingratam mariti auſteritatem, fugiens. In partu filioli mortui, quem ante biennium enixa fuit, paralytica facta quoad manum ſiniſtram & tranſacto puerperio lumbagine quâdam rheumatica, maximâ ſæpè, quanquam per intervalla, cum moleſtiâ tentari cœpit. At vero paralyſi ſequenti anno thermarum Hirsbergenſium uſu ſublatâ, lumbago uſque remanſit. Alias menſtrua ipſi hactenus in debitâ & quantitate & qualitate, ordinarioque tempore fluxerunt; attamen faciem pallor & tumor veræ cachexiæ ſigna occupant. Decimo Maji eam invadebat febris continua cum ingentibus ſpaſmodicis & capitis & totius trunci doloribus, agrypniâ, magnâ ventriculi nauſea & frequenti vomitione, atque inſigni virium proſtratione. Febris hæc temperatis bezoardicis, & ſalino-nitroſis oppugnata, ac poſt nonum diem diſſipata, ſimulque dolores prædicti penitus extincti proſperam valetudinem promittebant. Verùm poſt duas hebdomadas ſpes decollabat; dum ſubſequentis lunaris fluxûs initio hæc ex improviſo epilepſia ſic dicta uterinâ corriperetur, cum perpetuis vomendi conatibus, & copioſis involuntariiſque urinæ excretionibus. Dies fermè præteribat, priuſquam afflicta ſenſum reciperet. Fluxus prædictus menſtruus poſthæc ſtatim ceſſabat, eumque impoſterum prorsùs emanſurum conjectare licebat. Interea quilibet vel ſeptimus vel nonus dies novorum ſemper epilepticorum inſultuum, vomituum ſenſuumque omnium abolitionum periodus erat, quam acceſſuram ex limpidiſſimâ & albiſſima urinâ per ſeſquidiem ſemper prædicere licebat. Data in paroxyſmo impetuoſa ſalia volatilia, ſternutatoria, dolorum capitis vertiginoſorum, febrilium commotionum, mentiſque majorum abalienationum cauſæ erant, ideoque

ideoque ægra pedetentim abſque externis excitantibus ad ſe redibat; poſtque paroxyſmum partim lenes clyſteres, partim blanda laxantia, nervina cum carminativis offerebantur. Præſervativè martialia doſibus parvis, ſed repetitis ante & poſt menſium tempus uſurpabantur, ſed abſque minimo effectu. Quippe omnimodam menſium emanſionem ſpaſmodici & dolorifici ſenſus in toto corpore comitabantur. Proinde ad nimium in ſanguine commotionum impetum mitigandum, cinnabarina; ad acrimoniam verò humorum contemperandam ſalia tartareo-nitroſa; inſtante vero menſium tempore eſſent. myrrhæ c. ſpir. ✳ aniſ. tanto cum effectu propinabantur, ut deſideratæ excretiones in debito ordine redirent; ægraque ſub finem curationis accepto nodulo anticachectico optatæ ſanitati reſtitueretur.

Præterea multorum infantum corpora hiſce diebus motibus convulſivis concutiebantur, quorum non pauci à parentibus ſuis per mortem avellebantur. Imitatus hic Noſtrûm aliquis curam Hieronymi Cardani, qui cùm vocatus eſſet ad infantem convulſione acerrimâ correptum, non deſinente acutâ, quâ laborabat, febre, *perfuſionem, & lintea madefacta ex oleis lini & liliorum adhiberi juſſit, præterea infantem molliter tractari, nutricem etiam à carnibus, lactantem ab omnibus aliis potibus ac cibis, præterquam à lacte*; *cujus moderatum uſum* permiſit, abſtinere voluit, & *ægrum puſionem in cunis & loco calido habendum, ac perpetuo ſed leviter, donec ſomnus obreperet, agitandum eſſe* edixit, eo cum effectu, ut infans intra quatriduum prorſus convaleſceret, ſicuti Cardanus ipſe narrat *in lib. de Vit. propr. p.* 90. & ſeqq. Enimverò hanc medicationem hîc Vratiſlaviæ nullus felicior eventus exhilaravit. Plebs noſtra multum fiduciæ collocat in ungulis alcis, & regnat etiam alibi in multorum animis hic error, in ipsâ etiam Norwegiâ, quem ſcitè redarguit Autor *der Nordiſchen Reiſe*, hoc Anno Lipſiæ editus. Iſte, cum ei Nobilis offerret dono pedes alcis,& in laudes virtutum ejus antepilepticarum excurreret, ſubridens, reſpondit: Se ſibi perſuadere non poſſe, (*) *daſs dieſer Fuſz ſo viel Krafft habe, indem ſich das Thier, ſo ihn ſtets an ſich trûge, damit nicht zu curiren vermôchte*; Nobilis reſponſionem argutam perpendens, non tantùm advenæ ſententiam probavit, ſed & faſſus eſt, multis morbo caduco detentis, fruſtra à ſe ungulas illas eſſe datas. Imò cum alces ſæpè convulſionibus laboret, Auctor non abſurdè arbitratur, (†) *daſz das von dieſem Thier gegeſſene Fleiſch ſolche fallende Sucht verurſache*, ut legere licet *p.* 12. & 13. Et propterea tantò magis miramur, qui Clar. Charleton *in Onomaſt. Zoic. p.* 9. ſcribere potuerit, quòd ungulæ hujus animalis *epilepſiæ & hyſtericæ affectioni ſummoperè opitulentur.* Epilepſia Infantum.

Nec minus frequenter tùm infantes infeſtabantur ranulâ, quam Græci Batrachion vocant, Germani *das Frôſchlein*, à figura, credo, quam exhibet frequenter, tametſi illa non ſemper eadem ſit, & nonnunquam globuli rotundi ſpeciem referat. Tumor hic imam linguæ partem obſidet, Ranula.

(*) Alcem pedem aliis tam ſalutarem ſibi ipſi minime medentem circumgeſtare.
(†) Quod qui ejus carne veſcantur, convulſivis motibus concutiantur.

det, arteriiſque veniſque, quas raninas chirurgi vocant, accumbit, ut jam innuimus. Modò phlegmonis, ſæpius autem œdematis mollis laxique figuram repræſentat. Si aperias, ut ſanè etiam crudum aperire juvat, vel mucus albumini ovi non abſimilis extillat, vel pus & ſanies emanat. Sed quia perſæpè timiditas parentum chirurgi manum non admittit, in ſubſidium vocatæ fuerunt in ranulâ œdematosa collutiones ex decocto ſalviæ, hyſſopi, plantaginis, origani, menthæ, majoranæ, ſummitatum anethi, in inflammatoriâ ad ſuppurationem tendente ex lacte, cui pro re natâ fuerunt emollientia incocta. Sive autem ſponte ſive arte aperiretur humor, quod relictum fuit ulcus, eluimus decocto veronicæ, marrubii, agrimoniæ, cicerum, melle roſato, ſyrupo è roſis ſiccis, capillorum veneris, betonicæ *&c.* Multoties autem obſervavimus, quod, niſi cyſtis, quæ humorem continet, abſumatur, tumor iterum iterumque repletâ vomicâ reſurgat. Contingit tamen etiam, ut effluente pure cocto pellicula putreſcat, & totum ſimul excernatur, quod morbum facit.

Inter omnes, qui hiſce diebus ex febb. ardentibus moriebantur, vix inventi aliqui fuerunt, qui non nigritie ac ſcabritie linguæ infeſtarentur. Prunellam vocat vulgus Medicorum à temporibus Paracelſi, fortè quod herba Prunellæ optimè ipſi, ex ſententiâ Theophraſti, medeatur. Cùm vero vulneribus etiam aſperæ cuticulæ ſubnigræ, ſimiles iis, quæ in lingua conſpiciuntur, facile ſuperveniant, hinc idem Paracelſus non abſurdè Prunellam vulnerariam ſtatuit, ut colligere eſt ex *Chirurg. Magn. Tract.* 1. *c.* 6. *p. m.* 6. Indicat autem talis lingua inflammatorium viſcerum æſtum, & nihil boni portendit, ut jam olim obſervavit ex Hippocrate Prothus Caſulanus in opuſculo de *linguâ* quà *maximum eſt morborum acutorum ſignum l.* 3. *c.* 12. *p.* 110. Mitigant, ſed non tollunt affectum mucilagines ſem. Pſyllii, cydoniorum c. aqu. ſemper vivi factæ; ut & miſturæ ex ▽. prunell. phlegmate vitrioli aut tinct. roſar. violar. Nobis præ aliis placet lapis Prunellæ in ▽. appropriata diſſolutus. Nec aſpernendum eſt remedium Wittichii ex oleo olivarum vitrioloque, ſi porrigatur in quantitate nucis avellanæ. Hartmannus in *Praxi Chimiatr.* agens de anginâ, laudat non immerito corium *de lardo aſſulatim*, ut vocat, *inciſum*, *& ex eâ parte, quâ adhuc lardum eſt, linguæ impoſitum*, *& aliquamdiu ore detentum.* At in his ipſis remediis unicam ſpem ponere, omiſſis internis, temerarium eſt. Hi duobus circiter diebus ante mortem febricitantes, cùm biberent, potus iis deſcendebat quodammodo in præceps cum ſonitu, quaſi in vacuo & inani deſcenderet, & obaudiebatur murmur & borborygmus circum præcordia, quod phænomenon doctiſſimi inter veteres Medicos à ſiccis laryngis muſculis deducere ſolent. Meminit ejus in Coacis ipſe Hippocrates.

Prunella.

Sub illud tempus, quô fraga & ribium baccæ paſſim apponebantur, & avidè, ut fit, ingerebantur, alii diarrhoea corripiebantur, alii autem Cholera, præprimis, ſi vinum in glacie refrigeratum ingurgitarent. Cholerici non tantùm ſursùm & deorsùm magno cum impetu humores bilioſos egerebant, ſed & ingenti ſiti torquebantur, & aſſidua corporis jectigatione fatigabantur. Mens eorum percellebatur, aderant vigiliæ & partium extimarum refrigerationes; quæ ſymptomata, niſi ſtatim ab initio blanda data abſ-

Cholera.

tergentia aut leviſſima evacuantia ac præcipitantia cum diaphoreticis & diſcutientibus, ipſa mors excipiebat.

Varii oculorum affectus in praxi etiam tùm nobis occurrebant. Nonnulli laborabant *epiphorâ* & tenuis humor, calidus & mordax lachrymarum ſpecie in oculos irruebat. Ex his aliqui in febb. intermittentes lapſi non modo moleſtiæ levamen ex febre ſupervenienti non ſenſerunt, ſed & dolorem augeri eo, quod forte acerrimum remaneat, diſſipatis humidis & aquoſis particulis, crebrò conqueſti ſunt. Alios *acres & ſalſi humores cum rubore & palpebrarum exulceratione gravi* afficiebant tædio. *Inflammationes* quoque oculorum aliæ aliis erant pertinaciores. Interdum oculi ſatis erant ſqualidi & vaſa ſupra modum extumeſcebant, & tamen totum malum remediis debitis facilè tollebatur; nonnunquam verò inflammatio multò minor erat, & tamen, quicquid etiam ageretur, fruſtra tentabatur. Erat autem hoc in caſu cum ophthalmia dolor capitis diuturnus indiſſolubili nexu conjunctus, qui ſatis oſtendit, in conſortium mali meninges & intimas cerebri partes trahi, quod etiam ſubinde in aliis fieri morbis patet ex Clar. Baglivii ſcripto de *Fibrâ motrice*. Viſus autem eorum, qui ita affecti erant, indies magis obſcurabatur, nec in minimo cœcicatis ſecuturæ periculo verſabantur. Id creberrima nos docuit experientia, alvi profluvium ſive ſponte naturâ motum, ſive pharmacis excitatum ophthalmicis eſſe admodum utile, ſicuti prius inculcavit Hippocrates *& in Coac. & 6. aphor.* 17. poſterius autem ſubinnuit *lib. de capit. vulneribus*, ſcribens, *quibusdam vulnerato capite, ophthalmias ſupervenire, quæ purgatione conquieſcant.* Nihilominus ſummâ curâ ſaluberrimum Galeni ſuadentis, ne toto *fluxionis tempore in revulſoriis acquieſcamus*, ſed & *doloris ſedandi rationem* habeamus, præceptum erit obſervandum. Affectus oculorum.

Porrò ſæviebant etiam maximoperè brachiorum dolores, qui omnem remediorum applicationem eludebant. Præprimis autem admodùm rebellis cruciatus erat, qui noſtrum alicui curandus imponebatur. Scilicet, implorabat Medicam opem Vir quinquagenarius, habitu corporis athletico præditus & venationi deditus, qui in juventute & virili ætate ſtrenuè in caſtris Bacchi militaverat. Iſte, cum ante annos aliquot dolorem tenſivum in nuchâ & ſcapulis cum aliqua vertigine percepiſſet, ex Medici Viennenſis, qui apoplexiæ prodromum hunc dolorem eſſe credebat, conſilio, tum aliis uſus fuerat, tùm unguento, cui admixta erant ℞. ſucc. ſpic., ſalv. &c. Enimverò non tantum non dolor illi hinc fuit ſublatus, ſed potiùs maximoperè auctus, & ſedem circa ſcapulam in altero latere fixerat. Ab illo tempore varia alia dolori demulcendo uſurpata fuerant remedia. Præmiſſo de difficultate curæ prognoſtico, cùm in aperto eſſet, ab ægro, ut non rarò contingit, *præpropero ſanitatis deſiderio* eſſe peccatum, curæ auſpicium ſumebatur à V. S. in altero brachio. Sequebatur blanda evacuatio catharctica cum euphoriâ. Subnectebantur diapnoica & leniter diuretica, e.g. eſſent. ſuccin. c. tinct. tart. pulver. ex abſorb., nitro & cinnab. com- Dolores Brachiorum.

 poſiti.

poſiti. Ad mitigandos autem dolores nocturnos, qui ſemper fuerunt graviſſimi, dabantur pilulæ de ſtyrace, emulſiones *&c.* Aliquid de ſævitia remittebant dolores, poſtquam per aliquot dies his remediis uſus eſſet. Quia tamen malum ſubinde repullulabat, loco potus ordinarii adhibuit decoctum blandum ex radicibus & lignis, & in uſu aliorum ſelectiſſimorum remediorum perrexit. Sanguiſugæ etiam circa orificium ani fuerunt applicatæ. Nihilominus ex toto malum hoc inveteratum his aliisque remediis tolli non potuit. Topica in ultima hâc cura per priores ſeptimanas certis de cauſis fuerant omiſſa, at deinde compellente cruciatu, ſacculi ſicci ex nervinis & diſcutientibus, item in vino aliquando & lacte decocti, linimenta camphorata varia, balnea etiam *&c.* in uſum & ſubſidium, absque dolorum levamine, vocabantur. Æger pertæſus curæ, eo, quem optarat, eventu deſtitutæ, hactenus multos Medicos fatigavit, nec ad hodiernum usque diem quicquam ei profuerunt aliorum conſilia, nec thermæ. Jam, ut fama fert, ærumnas ſalivationis ſufferre conſtituit.

Dolor hypochondrii dextri.

Hisce etiam diebus mulieres ſanguineæ conſtitutionis, quæ paulò liberalius vinum bibunt, dolebant hypochondrium dextrum, ſpirandi aderat difficultas ſine tuſſi, quæ in horas increbeſcebat. Accedebat nonnunquam febricula, quæ dolorem, modo is eſſet mediocris, ne ad claviculam aut ilia pertingeret, ſolvebat. De hoc ipſo dolore videtur loqui Hippocrates *lib. 6. aphor.* 40. *quibus dolor ad hypochondrium ſine inflammatione, his febris ſuperveniens ſolutio.* Nihil æque profuit, quàm primo quovis tempore ſanguinem liberaliter ex venis in pede detrahere, id quod argumento eſt, aut hepar phlogoſi in hoc dolore corripi, aut *ſanguinem* in trunco venæ portæ viciniſque ramis ſtagnare. Difficilior eſt cura, ſi dolor hic ſit conjunctus cum tuſſicula inani, ex hac enim, ut putamus, non vanè colligi poteſt, etiam diaphragma in ſocietatem doloris rapi, id quod fit, cum gibba hepatis pars inflammatur, utpote quæ propiùs diaphragma attingit. Si paulò gravior ſit inflammatio, ne digitorum quidem pulſum ægrotantes ferre poſſunt. Jactantur plurimùm, lingua arida & ſcabra eſt ob ingens in ſanguine incendium.

De Aneuriſmate interno.

Occurrebant & tunc & hodie adhuc oculis obſervantur, qui de internis doloribus nullâ arte expugnabilibus conquerebantur, vel hodie adhuc conqueruntur. Cauſæ dolorum iſtorum in abdito latent. Nos ſæpè ſuſpicati ſumus, ejusmodi dolores ab interno quodam aneuriſmate dependere. Nam exempla ab aliis narrata ſatis edocent, quod aneuriſmata magnorum morborum cauſæ exiſtant. *Mercatori*, ut doctiſſimus Medicus Pariſienſis narrat, *dolor ſummus ad ſpinam dorſi, annum integrum laborabat.* Quod aliquando lue venerea infectus eſſet, id attribuebant veteri malo Medici. Nihil malum quievit. *Tandem ſurſum deorſum ingens ſanguinis copia excreta eſt.* Aperto cadavere, *aneuriſma* compertum eſt in *diviſione magnæ arteriæ ad ilia, qua parte ſpinæ incumberet.* Coquus quidam, ex ejusdem Medici relatione, *difficultate mejendi tenebatur,*

aliquan-

aliquando ſuppreſſio erat urinæ. Calculum in veſicâ, aut aliquid ſimile ſuſpicabantur. Per quædam intervalla malum repetebat; derepente interiit, ſubitæ cladis cauſa fuit *aneuriſma ruptum, valdè enim erat dilatata arteria, quæ vaſis urinariis ſubjacebat.* Ac credibile eſt, dilatationem iſtam arteriæ, difficilis mictionis cauſam fuiſſe. De aneuriſmate in pectore oborto à vomitu, legatur Paræus *in Operib. p. m.* 230. ubi commemorat, quòd veſtiarius ex *aneuriſmate arteriæ venoſæ rupto* mortuus, dùm viveret, *micantium impetu arteriarum omnium pulſum, ingentemque toto corpore calorem ſe* percipere dixerit, ac ſæpè in lipothymiam inciderit. Sanè præclariſſimè de medicinâ mereretur, ſi quis curioſiùs indagaret, & ſigna latentium aneuriſmatum detegeret, ac cùm, judice Paræo, incurabilia ſint, rationem, quâ ægri in tantis moleſtiis ex parte ſublevari poſſent, ſolidè oſtenderet, quod nuper Cl. Baglivius pollicitus eſt ſeſe facturum.

Conſtitutio aëris in Menſ. Jul. Aug. Sept.

Menſis Julius erat amœniſſimus, nam & grato ſolis jubare exhilarabamur, ac tepidis aliquando pluviis terra refocillabatur. Major æſtus erat in principio Auguſti, & crebra audiebantur tonitrua; Eoque gratiores erant, quæ ſubſequebantur, pluviæ, eteſiæ quoque gratè ſpirantes nimium temperabant fervorem. Nec minùs blanda & grata erat aëris conſtitutio in Septembri, niſi quod circa novilunium rigidior aer corporibus noſtris eſſet moleſtus.

De hæmorrhoidibus veſicæ & oris.

Hoc tempore incidit notabile hæmorrhoidum veſicæ exemplum, quod deſcripturum D. Chriſt. Helwich, anno præcedente diximus, ſed nihil vetat, quò minùs ea, quæ de hæmorrhoidibus oris & veſicæ ab eo annotata fuerunt, etiam hic legantur.

Diligenter in enodandâ hæmorrhagiarum ſecundùm ætates, temperamenta, ſexum &c. varietate, quidam nuper verſati ſunt, iidem quoque fluxum *hæmorrhoidalem*, tùm eum, qui ex propaginibus *venæ portæ ac ſplenicæ* oritur, tùm illum, qui ex *ramis vaſorum iliacorum internorum ſcaturit*, ingenioſè explicarunt. Et hactenus quidem tantùm non omnes, quamvis ſanguinis rejectionem per os, vel ad hæmoptyſin, vel vomitum cruentum reduxerunt. At verò, quàm benè id fiat, colligere licet *ex Hiſtor. Morbor. anno* 1699. & aliis fide dignis exemplis. Neque ſanè quiſquam facilè crediderit, quod profluvium illud ſanguinis, quod *multis per ora, ſtato tempore, ut Macrino Viſco Prætorio, & omnibus annis Voluſio Saturnino, urbis præfecto, qui nonageſimum exceſſit annum,* teſte Plinio *lib. XI. cap.* 38. *p. m.* 814. *fiebat,* vel hæmoptyſis fuerit, vel vomitus cruentus Ariſtoteles *l.* 2. *de part. animal.* non tantùm veritatem hujus fluxus confirmavit, ſed & appoſito hæmorrhoidum nomine eum inſignivit, ita ſcribens: fiunt etiam aliquando αἱμοῤῥόιδες ἄπονοι ἐκ τοῦ στόματος hæmorrhoides *ſine labore omni ex ore,* neque, *ut ex arteria violenter.* Unde colligere eſt, quod poſt Ariſtotelis tempora, à Celſo & Galeno demum vox *hæmorrhoidum ad venas ſedis & uteri reſtricta* fuerit, quoniam illæ præ cæteris frequenter ſanguinem fundunt. Nam ipſe Ariſtoteles etiam alibi nimirum *lib.* 1. *de generat. animal.* ſimpliciter ſcribit; quod ἐν ταῖς φλέψιν *fiant hæmorrhoides,* qui locus etiam ſimul indicat, quod non malè Celſus, cui

&

& Paulus adſtipulatur, ſcribat, *Ora venarum, tanquam ex capitibus ſurgentia* vocari à Græcis *hæmorrhoides*. Conf. Hieronym. Fabric. ab Aquapendente *de Chirurg. Operat. p.* 106. & Frommannum *tract. de hæmorrhoid. p. 6.* Tales oris hæmorrhoides, niſi me omnia fallunt, ipſe agnovit Hippocrates *lib.* 2. *Prædiction. Sect.* 2. *p.* 82. *edit. Foeſii*, ita ſcribens: *Quibus fauces ſanguine noctu & interdiu replentur, dum neque capitis dolor prægreſſus fuerit, neque tuſſis, neque vomitus, neque febris prehenderit, neque pectoris aut dorſi dolor tenuerit, in his nares & fauces inſpiciendæ, num quod ulcus in eo loco compareat, aut ἡ βδέλλα?* Quæ ultima vox tenebras Hippocratis verbis affundit, ac difficultate hac motus Hippocrates Latinus, Celſus, inquam, *lib.* 2. *de Medicin. cap.* 7. *p.* 60, noſtrum, qui præ manibus eſt, textum Coi latinis efferens verbis interpretationem omiſit, contentus dicere, in eo, quem Hippocrates deſcribit, caſu, ulcus reperiri. Jam notum quidem eſt, quòd illa vox alias hirudinem, quæ à ſuctu ſanguinis ſanguiſuga tempore Plinii dici cœpit, ſignificet, ut conſtat ex Theocritici *Pharmaceutica*, Heſychio *p. m.* 186. Suida *Tom. I. p.* 549. Varino Phavorin. *p.* 358. Clariſſ. Lindanus *in Select. Medic. Exercitat. XI. paragr.* 58. *p.* 381. dicit, quod Strabo *lib.* 17. *Geograph.* lampetras vocat βδέλλας. Alia quoque ejuſdem vocis ſignificatio occurrit apud Plaut. *in Curcull. Act.* 1. *Scen.* 2. *p.* 265. harum tamen neutra hujus loci. Galenus *in exegeſi vocum Hippocraticarum*, ſive ut Latinè inſcribitur, in *explanatione linguarum* inter libros Iſagogic. *p.* 143. *Mihi*, inquit, *videtur propriè dici nomen de ipſo animali, etenim affui olim, cùm hoc diceretur in eo libro, & dubitantibus multis de his, quæ fierent, ſolus ego ex ſcripto aggrediens præcognovi veritatem.* βδέλλαν *in primâ ſignificatione* accipi debere contendit, & *lib.* 4. *de loc. affect.* 5. *p. m.* 52. *claſſ.* 4. provocat ad hiſtoriam juvenis, in quo ad *narium foramen in eo meatu, ubi naſus ad oris regionem perforatus*, hirudinem latentem conſpexit; allegat etiam aliam hiſtoriam de homine ſanô Galen. qui cruorem evomuerit epotâ cum aquâ hirudine. Et his exemplis confidentior redditus loco ultimo fluxus ſanguinis per os, ab hirudine contingentis ſigna pandere non veretur, ita ſcribens: *Quodſi pluribus diebus aliquis cruorem & ſcreaverit, & emunxerit, idque citra capitis vel dolorem, vel gravitatem, ſive præſentem, ſive præteritam, neque plaga eo loco exiſtente, hujus & totum per nares meatum, atque eam oris partem, qua ad nares perforatur, exactè conſiderare oportet. Iſtud enim aliquando contingere poteſt hirudine huic loco adhæreſcente, quæ quidem indies augeri ſolet, quamvis enim primis diebus, quod ſit exigua, latere queat, tertio tamen quartove die haud obſcurè conſpicitur.* Hæc tantopere placuerunt Aetio, ut ſua fecerit *lib.* 8. *c.* 59. Galeni interpretationem probat etiam Foeſius & *in Comment. ad Hippocr. Prorrh.* & *in Oecon. Hippocr. p.* 119. Jam non negamus, fieri aliquando poſſe, ut hirudo cum nocturno potu aut alio modo in guttur irrepat, ac ibidem ſanguinis ſugendi gratia hæreat; nam præter Avicennam *lib.* 3. *Fen.* 9. *c.* 5. illud teſtatur etiam Borellus *Cent.* 1. *obſerv.* 24. *p.* 33. & hinc jam olim ad epotam ſanguiſugam deſcripſerunt remedia Dioſcorid. *lib.* 6. Celſus *lib.* 5. Paulus *lib.* 5.

c. 37.

c. 37. Nicander aliique plures; at verò quòd h. l. Hippocrates per βδέλλαν hirudinem intellexerit, illud eſt, quod negamus, nullo modo moti auctoritate Galeni, ſed potius memores iſtius aureæ ſententiæ ipſius Galeni *l.* 2. *de comp. medicament. c.* 8. *difficile eſt, ut, qui homo ſit, non in multis peccet, quædam videlicet penitùs ignorando, quædam verò malè judicando, & quædam tandem negligentius ſcriptis tradendo.* Nam 1°. ex textu ſenis noſtri patet, quòd agatur ibidem de morbo, ad cujus diagnoſin neceſſarium ſit noſſe, utrum capitis & præcordiorum dolores, tuſſis, vomitus, febricula, &c. præceſſerint, id eſt, uno verbo de affectu, cujus cauſa eſt interna, non externa, qualis eſt hirudo, quæ aliis omnino indiciis detegi poterat. Et eſtne ullâ ratione credibile, Hippocratem prætermiſſurum fuiſſe certiora præſentis hirudinis criteria? Atque cùm hirudo dicatur βδέλλα à verbo βδέλλω, quod ſignificat exſugo, qui potuit Hippocrates oblivíſci ſuctus, quem Dioſcorides *lib.*6. memorat, in commemorandis hirudinis indiciis, ab imagine ſanè ſuctûs ipſe Cicero pulchrè *l.* 1. *Epiſt.* 13. *ad Atticum, concionalem hirudinem ærarii* commemorat. Imò propterea ab Arabe quodam Damire apud Bochard. *in hierozoico*, hirudo definitur *vermis niger aut ruber in aquâ degens, qui propendet à corpore, ut exſugat ſanguinem.* Et quid 2°. dicam de dolore, de quo teſtari poteſt & ſenſus eorum, quibus applicatæ hirudines fuerunt & vulnuſculum in parte, cui adhærebant, relictum? Et ſanè non improbabile eſt, eas dentibus eſſe inſtructas, ſi vel maximè ad limacum eas cenſum retuleris, nam etiam cochleas dentibus eſſe inſtructas, teſtatur Martinus Liſterus ex Hookii autopſiâ & Clar. Velſchius *in Hecathoſteâ ſuarum Obſervat.* 67. Nec nodi, quos hîc texit Clar. Bonanni in *recreatione mentis & oculorum part.* 3. *problem.* 228. *& ſeqq.* ſunt indiſſolubiles. Villanovanus illis fiſtulam tribuit, alii docent, quod os illis trianguli inſtar hiet. Sanè Plinius *l.* 8. *c.* 10. *p. m.* 497. teſtis eſt, *quòd elephantes cruciatum maximum ſentiant, hauſtâ hirudine.* Sed nullam ejusmodi doloris mentionem facit Hippocrates. Aut ſi vel maximè abeſſet dolor, omninò æger fruſtum quaſi carneum gutturi infixum, ut ille apud Borellum *l. antea cit.*, percepiſſet, ſed altum & de cruciatu, & pondere tali in textu Hippocratis, ſilentium. Imò ſi textus Hippocratis accuratius inſpiciatur, manifeſtum eſt, quòd in eo ſermo ſit de ejuſmodi ſymptomate, quod per plures dies & noctes durat; at fieri non poteſt, ut hirudo in alicujus faucibus per tantum temporis ſpatium hæreat, & ab eo, quem affligit, aut providis Medicis & Chirurgis adſtantibus non agnoſcatur. Certè intra horæ quadrantem, non mediocrem ſanguinis quantitatem imbibit, & facilè etiam non magna ſanguiſuga ita diſtenditur ſanguine, ut vel digiti magnitudinem adæquet; cruore verò ſatiata ſpontè decidit. Quod & Horatius indicat *de arte* in fine canens: *Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.* Hæc & alia, de quibus meretur conſuli Marſilius Cognatus *lib.* 3. *variar. obſerv. c.* 2. ſatis evincunt, quod βδέλλα in *loco Hippocrat.* non ſignificet animalculum illud reptile, ſed in tropico ſenſu capiendum ſit. Hic ut tantò magis innoteſcat, meminiſſe fas ſit, quod *ſanguiſuga ſit animal oblongum, transverſis lineis* (vid. Jon-

 ſton.

ſton. *lib.* 4. *de Inſect. tit.* 2. *p.* 143.) *diſtinctum*, *ore ſubrotundo ac veluti calloſo & aſpero*, &, ut benè Geſnerus, *moveatur extenſione & contractione corporis ſui ceu annulis conſtitutis*, ſc., ut diu ante monuit Ariſtot. *in lib. de animal. inceſſ. c.* 9. Ἰλύσπασις vermi & hirudini convenit; ſcribens *alia* (animalia) *volubili tractu utuntur, ut lumbrici, quos inteſtina terræ appellant, & ſanguiſugæ*; quàmvis, ut demonſtrat Borellus *part. alterâ de motu animal. prop.* 13. corrugatio illa non ſit *cauſa*, *ſed effectus contractionis internorum muſculorum.* Si itaque hirudines cum venis ſanguiferis comparentur, manifeſtum evadit, quòd in non paucis conveniant. Ad unguem reſecare omnia, à propoſito noſtro alienum eſt, & ut analogia rudior, ratione externæ figuræ, manu quaſi palpabilis eſt, ita extenſio iſta, & contractio in utroque corpore non minus clarè patet, quandoquidem & venæ vi fibrarum (quas ſine causâ in vaſis reperiri negavit Veſalius *in Exam. obſerv. Fallop. p.* 129. & Clar. Ent. *in Apolog. pro circulat. ſanguin. p.* 42.) circularium & ſtringuntur & comprimuntur *ſucceſſivè*, *una enim pars poſt aliam comprimitur, ut ſanguis agitatus & conquaſſatus debitè miſceatur & confirmetur*; conf. Borell. *l. c. prop.* 33. & 34. Sed præprimis etiam conveniunt hirudo & vena ex mente Hippocratis, ratione tractionis, ſive ſuctionis ſanguinis. Nam paſſim attractionem quandam legitur tribuiſſe venis, cumprimis evidens locus occurrit *in lib. de carnib.* ita ſonans: *Venæ, quæ per ventrem & inteſtina feruntur, in quibus cibi & potus coacervantur, ubi hi incaluerint, id quod eſt tenuiſſimum & humidiſſimum attrahunt.*

Zwingerus in doctrinâ Hippocr. exactè verſatus *in Comment. p.* 135. ita effert mentem Hippocratis: *tenuiſſimum & humidiſſimum, à venis meſaraicis ex ventre & inteſtinis, quæ ſupra jejunum ſunt, ex ileo videlicet & duodeno ad hepar, ab hepate ad venæ cavæ propagines, in univerſum corpus trahitur.* Propter has aliaſque Bdellæ cum venis analogias iſtius nomen ad hanc deſignandam tranſtuliſſe videtur Hippocrates. Major adhuc eſt ſimilitudo inter βδέλλαν ſanguine diſtentam & venam varicoſam ſeu dilatatam (*einer ſchwartzen auffgelauffenen Ader*), quam etiam nomine hoc Hippocratem intellexiſſe quondam Dioſcorides commentator teſte Galeno exiſtimavit. Et ſanè nihil prorsùs impedit, quin ejuſmodi varices, ſicuti in *artubus*, circa tempora, anum, uterum teſte Paræo *lib.* 12. *c.* 20. in *hypogaſtrio*, *genis*, *palpebris & mammis* Heurnio Auctore *lib.* 6. *Commentar. Aphor. Hippocr.* oriuntur; ita etiam in ore ſubinde exſurgunt.

Ac notatu utique dignum eſt, quod Mœbius *fundament. Phyſiolog. c.*16. narrat, eas aliquando *ſub linguâ & inferioribus labiis cerni.* Minimè verò novum eſt, quod ejusmodi diſtentæ & dilatatæ venæ ſpontè aperiantur, & ſanguinem profundant, id quod in hæmorrhoidibus cæcis quoque, quæ nihil aliud ſunt, quàm criſpatæ venæ hæmorrhoidales ſanguine ſtagnante turgidæ, & in varicibus ſæpè compertum eſt. Confer. *Ephem. Dec. II. ann.* 3. *Obſ.*12. *p.* 51. & *Dec.* I. *ann.* 3. *Obſ.* 104. Sententia ergò Hippocratis id vult, repleri aliquando fauces ſanguine vaſe quodam ſanguifero dilatato & ſponte aperto, de

quo

quo tanto minus eſt dubitandum, quantò eſt certius, ſanguinem modò ex ipſis *cutis poris* ſtillaſſe, ut Benivenius, Tulpius & alii teſtantur, modò *ex oculis lacrymarum inſtar* fluxiſſe, ut perhibet Foreſtus, (& nobis recentiſſimum ante oculos verſatur exemplum Viri ſenis literati ſedentarii, ſanguineo-melancholici, qui poſt ſubitaneum verticis dolorem tenſivum ophthalmiâ oculi dextri correptus, cum aliquot ſanguinis guttarum ſpontaneâ eruptione è cantho ejusdem oculi majore ſeu interno) modò ex ſaphænâ, modò poplitæâ in pede prorupiſſe, quod Schenkius & Ephemerides *Dec.* 1. *ann.* 1. *obſerv.* 96. *p.* 197. *&c.* aſſeverant. Hæmorrhagiam itidem penis ſpontaneam memorari videas in Ephemeridibus Noſtris *Dec. II. ann.* 3. Et ſanè ita prorſus eſt, ſicuti Celeb. Wepfer. *in obſervat. Anatomic. de loco affecto apoplexiæ* ſcribit: *Vaſa ſanguifera, tàm intus recondita, quàm externum habitum perreptantia, ſuâ ſponte aperiri, notius eſt, quàm ut probatione indigeat. Vivit,* ita pergit Wepferus, *nobilis quædam matrona* 44. *annorum, habitu corporis gracili prædita, facie roſeâ ac cætera ſana ac vegeta, huic ante* 15 *annos in manus ſiniſtræ pollicis extremi parte externâ macula atrorubeſcens, quam extremo minimi digiti apice ferè tegeres, aborta eſt. -- E medio hujus maculæ ſingulis annis ter quaterve ſanguis cum ſaltu aliquot cubitorum altitudine ſuâ ſponte, erumpit & quidem non parva quantitate &c.* Sic deſtillatoris novimus uxorem juvenculam ſummè plethoricam, cui venæ in pedibus varicoſæ nonnunquam ſpontè rumpuntur, & copioſum, cum euphoriâ, ſanguinem effundunt, imprimis tempore ingravidationis, & quando venæſectionis conſuetæ terminum tranſcendit, eam ultra ſtatum tempus differendo, aut prorsùs negligendo. Quòd verò intra os interdum ejuſmodi quid fiat, exempla evincunt. Apud Kerkring. *in Spicileg. Anatom. Obſerv.* 25. *p.* 61. *& ſeqq.* recitatur exemplum de Viro quodam ſexagenario majori, utpote qui Kerkringium conſuluerat, an Viri aliquando menſtruis laborent? de quo non immeritò Auctor noſter ſuſpicatur, quòd quondam hæmorrhoidum periodos in ſe fuerit expertus. Is primò quidem per plures dies ejecit ſanguinem, cohibitâ autem primâ iſtâ violentiâ ſanguinis effluxus ei poſt menſem rediit, ac ſtatas vices menſtruas ſervavit, donec tandem fortè incongruâ medicatione, menſe octavo è medio tolleretur. Hoc ſputum ſanguinis ipſe Kerkringius non auſus eſt nominare hæmoptyſin, quanquam ſine dubio ex eo ſolo collegerit, Virum illum phthiſi incepiſſe laborare, quod & hodie multis eſt ſolenne, imò ipſum hæſiſſe ambiguum, unde ſanguis ille profluxerit, ſatis patet ex admonitione ad lectorem, quam huic hiſtoriæ attexuit. Et profectò non diffitemur, nos in eâ eſſe opinione, quòd noſter ſanguinis fluxus per os ſæpiùs hactenus quidem obſervatus, ſed ſub nomine hæmoptyſeos deſcriptus utplurimum fuerit. Quantus enim ſit vocis hujus abuſus, nemini ignotum, adeò ut etiam *fluxum ſanguinis ab hirudine* inſciè deglutitâ & in faucibus hærente, *l. a.* Borellus *hæmoptoidem* vocet. Illuſtre verò affectus noſtri ſub nomine hæmorrhagiæ oris periodicæ paradigma prodidit Doctiſſimus Medicus Arnoldus Bootius *in obſerv. Medic. de affectibus omiſſis c.* 7. quod ferè totum hûc

tranſcribere non pigrabimur: *Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus, 64. ætatis annum agens, jam à plurimis annis patitur bis terve periodicum ſanguinis profluvium ex ore, utplurimum in latere ejus ſiniſtro duntaxat; nec ibi ſemper in uno loco, ſed interdum ex linguæ latere, aliàs ex gingivis, quandoque ex alterutrius labii aut buccæ parte interiore. Antea & dum junior erat, exiliebat quandoque ſanguis tantâ vi ac copiâ ut in præſens vitæ periculum, inde conjiceretur, omnique valentiſſimorum remediorum genere tentato, ægerrimè tandem reſtringeretur. Sed permulti jam ſunt anni, ex quo citra ullum impetum, & guttatim tantum ſanguis promanat, id autem fit aſſiduo absque ullâ intermiſſione, noctu æque ac interdiu, donec periodus abſoluta ſit, quæ nunquam minus uno die naturali, plerumque duos, aliquando etiam diutius durat. Initio aliquamdiu nihil non tentatum fuit, ut ab hoc ſymptomate liberaretur, ſed poſteaquam apparuit, corpus ejus huic evacuationi penitus aſſuevisse, deſtitit ejus ſuppreſſionem amplius moliri, monitus à me, eam cum inevitabili ipſius pernicie conjunctam fore, cum hoc profluvium in beneficium ſuum, olim converterit natura, eoque ſoleat à ſuperfluo onere ſe liberare, quoties nimium increvit ſanguis, humoresque ei permixti; quæ ratio, in quocunque, corpore pondus habitura, magis etiamnum in eo prævalet ob peculiarem ipſius conſtitutionem, quippe naturaliter multo ſanguine abundat, eoque præfervido ac bilioſo: prætereaque vix ullis exercitiis utitur, niſi concionandi ſingulis Dominicis, quod cum faciat ſingulari cum affectu & efficaciâ, corpus ejus mirum in modum inde afficitur, ita ut à ſingulis concionibus ſudore totus madeat ac diffluat; Alioqui toto anno lectioni & ſcriptioni aſſiduo vacat. Eò autem libentius huic conſilio acquievit, quia præterquam quod id ſibi abſolutè neceſſarium vidit, nec poſſe ſe jam absque exitio ſolenni hâc hæmorrhagiâ carere: nullum magnopere inde incommodum capit, niſi quod noctibus ac per ſomnum ſanguinis, quem toto die continenter exſpuere cogitur, aliquanta portio in ventriculum ex ore defluit: quod ipſum, aliis multis periculoſum futurum, diſcrimine ferè vacat in ipſo, ſiquidem natura, finitâ hæmorrhagiâ, ſolet omne id, quod in ventriculum, interea confluxit, ſpontè expellere, eoque absque ullâ notabili corporis perturbatione, per inferiora ſe exonerare.* Duo ejusmodi exempla rejectionis periodicæ ſanguinis per os ſibi notaſſe videtur D. Helwich, alterum in fœminâ, in viro alterum. Et fœmina cholerica in conjugio fœcundo vivens quadragenariæ propior, citra ullam ſanitatis labem aut menſium ἀταξίαν, vere & ultimo etiam æſtate, & autumno jam per aliquot annos ſine prævio capitis dolore, ſalſedine in ore, aut catarrhorum indiciis, absque febri, nullâ comitante tuſſi ad hodiernum usque diem, aliquâ reſpirationis difficultate, aut præcordiorum dolore, ſanguinem ex ore ejicit. Duobus diebus antequam ſtatus ille fluxus ſanguinis erumpat, in palato titillationem poſt uvulam percipit, noctu autem utplurimùm ſanguis ſeſe in linguam infert non floridus, non ſpumoſus, qualis in hæmoptyſi eſſe ſolet, neque grumoſus, neque talis, qualis ex venis hæmorrhoidalibus ſtillare ſuevit, cum ſcreatu non magno, interdum ſimplici ſputatione per quatriduum circiter ex intervallo

drachmas

drachmas duas ſanguinis reddit, deinde verò iterum ſponte ceſſat. Vir 30. ætatis annum agit, & eſt ſanguineo-melancholicus, quem anxiâ formidine ſecuturæ phthiſeos medentes replevêre, is in itinere Italico generoſioris vini abuſu 27 circiter ætatis anno hæmorrhoides provocavit, cùm verò Medici magnas eidem ex fluxu tam maturo ominarentur miſerias, nihil non egit, ut hæmorrhoides ſupprimeret. Damnatus eſt voti. Poſtmodùm verò Nodo, ut quidam veterum vocant, & dolore circa os ſacrum gravativo ſæpius preſſus, ſpaſmis vagis & anxietatibus imò & lipothymiis, ut ferè ſolent eſſe repentinæ translationes cum his moleſtiis conjunctæ, exagitatus eſt. Deinceps inopinatò poſt uvulam dolore lancinatorio & ardore afficitur, qui tamen brevi tranſiit. Hinc prout timidus eſt, neſcio, quæ ſibi imminere mala ratus, tantùm non exanimatus, cùm die quodam ſanguinem ex ore, ſine tuſſi, cephalalgiâ *&c.* ferri videret ac continuaret per biduum ſanguinis iſte fluxus. Ad hunc compeſcendum variis irrito conatu adſtringentibus uſus eſt, nam quintâ jam vice circa illas Lunæ phaſes, quibus antehac fluxum hæmorrhoidalem eſt expertus, ſanguinem per os nuper adhuc ante duos menſes per 24 horas in magnâ quantitate reddidit. Noſtro conſilio iis jam utitur medicamentis, quibus hæmorrhoides pelli norunt practici, ut naturam ad priſtinam excretionem hæmorrhoidalem vocet, & æger opinionem hæmoptyſeos exuat, incertum quo exitu. Fugit ſollicitè motus corporis nimios, clamores, ſaltus, aromata, piperata, vini ingurgitationes, cibos ſalſos, acidos, acres, *&c.* Sed pathemata animi regere debitè non poteſt, atque hinc incongruos motus in corpore excitat, eoque ipſo intentioni noſtræ obicem ponit. Senſus ille titillationis in priori & lancinatorius in poſteriori omninò indicant tenſionem quandam pororum & vaſorum, & hæc præſupponit congeſtionem ſanguinis, ut congeſtionem ipſam in aliis hæmorrhagiis fere preſſiones ſpasmodicæ variæ præcedunt. Et ſi locus, undè ſanguis effluit, viſui pateret, omninò etiam turgeſcentia vaſis in oculos incurreret. Et licet hæ, de quibus ſermo eſt, perſonæ in mediocri tantùm quantitate ſanguinem rejecerint, non eſt tamen dubitandum, fieri poſſe, ut, ſi iracundia hæmorrhagiæ ſeſe comitem jungeret, vel alio modo natura & principium agens exacerbaretur, aut nimium turgeſceret ſanguis, in enormi quantitate hinc profluere queat. Statæ autem iſtæ vices fluxus hujus facilè falſi convincunt iſtam opinionem, quæ ejuſmodi ſanguinis fluxus aut fortuitæ ſtaſi, aut obſtructioni, aut maſſæ ſanguineæ exæſtuationi aliisque circumſtantiis accidentalibus, quæ ad majorem quidem eruptionem aliquod momentum poſſunt fortaſſis conferre, transſcribunt, & acceptum ferunt; contra eam, quæ deſtinatum hic naturæ conſilium, ac intentionem minuendi pletoram hujus hæmorrhagiæ cauſam eſſe ſuſpicatur, invictè roborat. D. *Oehmb* ejuſdem excretionis ſanguineæ exemplum notabile in quodam ſanguineo, qui modo organa muſica animat, ſe vidiſſe recordatur. Ille itidem absque ullâ tuſſi, aut concomitanti dolore ſanguinem expuit; ſed, quod itidem obſervatu digniſſimum eſt, gargarismate ex adſtringentibus parato, fluxus ille quidem cohibitus, enimverò large ſanguis per vias urinarias effluxit;

fluxit; cùm verò & huic frænum injiceretur, ſecuta febris cum exanthematibus ſcorbuticis, quâ itidem dexteritate & vigilantiâ Collegæ noſtri liberatus eſt. Niſi nos omnia fallunt, fluor ille ſanguinis, de quo hactenus locuti ſumus, ab Aureliano *lib.* 2. *Chron. c.* 11. (*p.* 55. *edit. Baſil.* 1529.) his verbis deſcribitur: *Is, qui ex ſupernis faucium ſanguis fluit, primo parvus intelligitur ferri, aut, ſi plurimus, non ſpumoſus. Prætereà cum quodam excreatu deſpuitur, ipſæ quoque partes, ſumpto cibo vel potu, aut gargariſmate mordicantis materiæ dolore pulſantur, & inſpicientibus nobis expreſſâ linguâ viſu locorum probatur aſperitas. Plerumque etiam, ut Eraſiſtratus ait, tubercula, quæ Græci condylomata vocant, viſibus occurrunt, quæ ſunt ſimilia hæmorrhoidis, ex quibus ſanguis fertur.*

Excretioni ſanguinis per vias urinarias, quæ ſub nomine mictûs cruenti ferè nota eſt, varii à Medicis fontes tribuuntur. Non attinet prolixe commemorare, quod ſubinde in renibus cauſa lateat. Ita ſexagenarius quidam ex vehementi ſaltatione in hunc affectum incidit, & licet huic malo occurreretur per V. S. & ▽. ferratas, nihil tamen effectum eſt. Imò poſt ſeſquiannum ſanguinis plus minus per aliquot ſeptimanas urinæ ſtillicidio, tumore ingenti & duro in abdomine contra renem dextrum, ſummo ardore in imo abdomine è regione renis ejuſdem, venis abdominis externis ejuſdem lateris varicoſis & præter modum tumidis, habitu corporis leucophlegmatico, ſiti, vigiliis, coxendicum ſtupore & crurum imbecillitate, affectus vixit; ac licet quodammodò ex periculoſo affectu reſpiraret, brevi tamen iterum in eundem incidit & poſt aliquot dies ex urinæ ſuppreſſione interiit. Hic æger cultro anatomico ſubjectus eſt, ac in cadavere deprehenſus fuit ren dexter immenſæ magnitudinis cancroſus ad 50. uncias pendens, atque in hoc plurimi exigui calculi apud Celeberr. Liſterum *in diſſert. medicinal. de calcul. hum. p.* 22. *& ſeqq.* Nec minus per urinæ ductum ex ureteribus ſanguis prodire poteſt, uti comprobat exemplum apud Steeghium *lib.* 8. *Pract. c.* 41. Ulteriùs quoque dubitari nequit, quin ex veſica ſanguis erumpat, quod teſtantur Aetius *tetr.* 3. *Serm.* 3. *c.* 3. Paulus *lib.* 3. *c.* 45. aliique plures. Atque hinc conſentienti ſuffragio approbatus eſt Hippocraticus aphoriſmus 75. *ex Sect.* 4. *Si quis ſanguinem aut pus mejat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.* Quod iisdem ferè verbis *lib.* 2. *c.* 7. Celſus expreſſit.

Meminimus in teſtibus aliquando obſervatos varices, neque rarum eſt, alterutrum laxiùs propendere, & unum altero eſſe turgidiorem; ac propterea prorſus non eſt incredibile, dilatatas venas haſce aliquando dehiſcere & ſanguinem eructare, eumque per urethram prodire. Quòd & ex ipſa aliquando urethrâ ſanguis effluat, jam ante multa ſecula annotavit Aurelianus *lib.* 5. *Chron. p.* 152. Nec, quâ erant in indagandis abſtruſioribus ἀκρίβεια antiquiores, intactum reliquere, fieri aliquando poſſe, ut à ſuppreſſione hæmorrhoidum mictus ſanguinis oriatur, prout liquido conſtat ex Nicolo *Serm.* 5. *Tract.* 10. *c.* 19. Savonarolâ *Pr. tr.* 6. *c.* 19. *rub.* 19. Alexandr. Benedicto *lib.* 24. *c.* 22. aliiſque. Atque hinc iterum Aurelianus *l. c.* teſtis eſt, *ſolere ſicuti in podice,*

vel

vel fœminarum ſinu, aut matricis collo, etiam in veſicâ hæmorrhoïdes generari. Sed ſubinde maximæ difficultates in diagnoſi partis affectæ ſeſe produnt (conf. Celeb. Welſchius *decad. X. conſ. X. in Curat. propr.*) atque hinc omnino ſigna in enumerato habere neceſſe eſt. In renibus cauſam quærendam ait Aretæus *lib. 2. Chronic. c. 3. quando ſanguis multus collectim effluit*; cui ſigno Aurelianus dolorem in clunibus h. e. in lumbis *l. c.* adjungit. Prius illud Hippocrat. his effert verbis: *qui inopinanter ſanguinem mejunt, iis è renibus venulam ruptam eſſe ſignificat*; quibus verbis innuitur, renes eſſe læſos, quando ſanguis mingitur confertim, uno impetu, largiſſimè, ſine causâ externâ, de repentè, absque ullo prægreſſo ſymptomate. Veſicam affectam arguunt 1°. lancinatio quædam perquam moleſta circa veſicæ collum cum ardore. Id enim veſicæ læſæ ſignum Celſus *lib. 2. c. 7.* pronunciat, *ſi circa pubem interiores partes doleant.* 2°. Stillicidium urinæ, hujusque gravis odor, juxta *ſect. 4. aphor.* 80. Breviter τὰ περὶ τὴν κύστιν laborant, *ſi quis ſanguinem aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, dolore ſeſe ad hypogaſtrium, ſeu pectinem & perinæum, inteſtinum rectum & proſtatas extendente.* Et quoniam profluvium ejuſmodi ſanguinis calculum, qui aſperitate ſua, & acutie vaſa lacerat, præſupponit, neceſſe eſt, ut concurrant τεκμήρια illa, quæ calculum renum & veſicæ patefaciunt. Collum veſicæ locus affectus eſt, quoties dolor circa veretri initium ſævit. Læſam autem urethram eſſe, conſtabit ex eo, quando ſanguis paucus ſine intermiſſione per notabile tempus manat doloreque urethra uritur.

Varices teſtium ſanguinem plorare, dilatatæ venæ, oculis ſeſe objicientes, & cæterorum ſignorum abſentia manifeſtant.

Hæmorrhoides autem veſicæ ſanguinem profundere ait Aurelianus *p.* 153. *cum non coacervata primo ſit effuſio, ſed augmentis quibusdam promota, interjectis defectionibus*: quando *retento ſanguine dolor pubetenus vexat, ac inguina & clunes*, i. e. ilia, ac forte etiam teſtes, *tenduntur, effluente autem iterum ſanguine ſymptomata hæc omnia ceſſant.* Quæ ſigna pathognomonica tantò erunt certiora, ſi fluxus hæmorrhoidum conſuetus antea fuerit ſuppreſſus, lapilli nunquam antea excreti, nec ulla ruptorum vaſorum indicia præſto fuerint, & tandem, ſi ejuſmodi fluxus periodos ſtatas ſervaverit. Tùm enim certiùs concludi poterit, ejuſmodi excluſionem ſanguinis per urethram referendam eſſe ad hæmorrhagias, quas natura ſuo bono, non ruptis, ſed hiantibus tantùm vaſis inſtituit. Nec videtur ſtatim de hæmorrhoidibus veſicæ cogitatio abjicienda, ſi in majori copiâ ſanguis erumpat, quàm è venis ani uno curſu excerni ſolet. Nam etſi ordinariò non confertim ex hæmorrhoidibus veſicæ & ani exeat, quod rectè notavit Aurelianus, fieri tamen poteſt, ut magno aliquando cum impetu erumpat. Fœminis menſtrua plerumque ſenſim ſtillatim fluunt, at quidnam in certis caſibus fiat, fluxus menſium nimius, ipſis tyronibus notus, edocet. Atque hinc rectè Hercules Saxonia *l. 3. Pract. c.* 40. refellit argumentantes à copioſo ſanguine excreto ad renes affectos, allato exemplo de Nobili Patavino, cui per 5 annos, ex intervallo, ſanguis

guis multus ſponte & ſubitò ex apertis colli veſicæ venis vacuatus fuit. Multoties hunc affectum videtur tractaſſe Doctiſſimus Caſp. Hoffmann. nam *lib.* 3. *Inſtitut. c.* 97. docet, *mictum ſanguinis accidere iis, quibus copia peccat ſanguis, iisque ſingulis menſibus hâc exire, ut videantur fœminarum naturam induiſſe.* Luculentum ejuſmodi hæmorrhoidis veſicæ exemplum ſub titulo mictûs ſanguinis copioſi, ſine detrimento ſanitatis proponit Neſterus *in Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 8. *Obſerv.* 23. *p.* 42. Quid nuper nobis in praxi compertum fuerit, breviter recenſebimus. Vir ſeptuagenario proximus, temperamenti ſanguineo cholerici, cum venis turgidis & latis vitæ ſedentariæ deditus, victuique craſſiori à teneris aſſuetus, eumque ſemper etiam in lautiſſimâ ſorte ſectatus, à multis abhinc annis, fluxum hæmorrhoidalem ſemel iterumque expertus, ac, cum hæmorrhoides ſubſtitiſſent, in Podagram nullo atrociori dolore moleſtam lapſus, ac hoc quoque emanente, dyſenterico fluxu, per aliquot hebdomadas, atrociter afflictus, tandem ante biennium ſanguinem per urinæ ductum excluſit merum & craſſum in notabili ſatis quantitate, absque omni dolore, gravitate ac tenſione circa regionem renum, ureterum, veſicæ, ulloque alio calculi indicio, aut viſceris alicujus labe, ac deinde per dies aliquot urinam, aquæ, qua caro recens lota fuit, non abſimilem reddidit. Ante annum iterum aliquoties, ſtatis periodis, ſanguis eadem viâ effluxit. Hoc anno ſeculi 18 primo tempore vernali inſigni copia & ϑωρα ſanguis iterum per menſes ſeptem certis intervallis prodiit. Circa Julium vocati ſuere Medici, à quibus renes magnam exulcerationem minitari, ut fieri ſolet, in perplexo ſtatu initio creditum fuit; adhibita varia (quanquam non ſatis conſtanter) absque ullo levamine. Succus urticæ, & decoctum equiſeti, conſilio noſtro ſumpta, egregiè ſe geſſerunt, etiam tùm, cum mictus eſſet copioſiſſimus, & integras matulas mero, ſine urinarum aquâ, & craſſo ſanguine impleret. At nimis citò ab uſu ſalutarium horum medicamentorum, quæ ſola certe, nihil quicquam proficientibus venæ ſectionibus (quarum una ſine Medicorum præſcitu in pede celebrata auſu certè temerario) hirudinibus etiam fruſtra venis hæmorrhoidalibus debito tempore applicatis, exundantem ſanguinis maſſam intra venarum canales coercere viſa ſunt, ſuo conſilio deſtitit. Cùm fluxus ille ceſſaret fere per menſis ſpatium, nonnunquam vehementer anguſtabatur, eò quod grumi in veſica reſtitarent, his verò poſt topicorum uſum, non ſine dolore in pube & virgæ radice, ac dyſuriâ, ut & teneſmo exeuntibus, facile ſeſe recolligebat. At verò quia iterum cum impetu maximo prorumpebat, metus erat, ne in illo etiam ſententia Aretæi 2. *Chronic. c.* 4. *ſanguinis effluvium tametſi non admodum citò enecet, tempore tamen procedente infinitos jugulavit*, locum tandem inveniret, tametſi alias oraculi loco habendum illud Hippocratis: *Sanguinem mingere rarò quidem & ſine febri ac dolore nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio fit.* Sanè pes ægri noſtri ſiniſter tumore magno diſtendebatur, collapſis inſigniter viribus, & parum nuper, cum Barbitonſoris conſilio, (qui ne Æſculapio quidem ipſo minor ſibi eſſe videtur) fonticulum in tumido pede excitari curaret, à gangrænæ periculo abfuit. Accedebat

cedebat & hoc, quòd & in adhibendis medicamentis, non tam medicorum ſuaſui, quàm ſuo obtemperaret ingenio. Id in noſtro erat peculiare, quòd teſtium alteruter eſſet notabiliter major, & laxius dependeret. Tandem eodem anno, ſuppreſſione urinæ & gangræna veſicæ, poſtquam acidulas frigidas ingurgitaſſet, mortuus eſt.

In ſimili materia alia duo exempla D. Pauli proponit: Alterum in Puellâ decennali; alterum in viduâ nobili quinquagenariâ. Illi circa plenilunium jam ab aliquot annis ſuperius oris labium intumeſcit, moxque inſecuta ex hujus fiſſurâ tanquam arteriâ incisâ ſanguis exſilire videtur; cujus effluxus antea prohibitus periodicam ophthalmiam attulit. In vidua jam à duodecim annis natura lunare tributum per hæmoptyſin cum prævia dyſpnæa, tenſione hypochondriorum ſpasmodicâ, leviſſimâque tuſſi in magnâ ſæpè quantitate perſolvit, talique excretione finitâ hæc optimâ valetudine fruitur.

Hæ ſimilesque hiſtoriæ abundè demonſtrare videntur communionem hæmorrhoidum cum venis veſicæ, & collo veſicæ implantari venas majuſculas, quæ largiùs ſanguinem fundere poſſunt. Certè minimè paradoxon eſt ex venâ hæmorrhoidali externa ramulum aliquem in collum veſicæ excurrere & eidem immergi. Qualem pariter ramum hæmorrhoidalem externum in illo affectu ſatis raro ad medium & ſummitatem oſſis ſacri tumoremque ſingularem, ſanguineo - varicoſum quaſi, in eo natum & connatum, aſcendiſſe, quem D. Preuſs hisce annis in recens natis quibusdam infantibus notavit, non ineptè ſuſpicatur, quin & ſequentibus demonſtrare conatur. Naſcebatur ſcil. Anno 1697. Novembri G. J. Piſtori filiolus, 1701. Octobri G. K. pileorum formatori puella, & 1703, quo hæc ſcribimus, Auguſto H. C. S. militi urbano gnatus, cum tumore in medio oſſis ſacri circa baſin latiore & fimbriâ quaſi craſsâ cutis veræ cuticulæque albæ latitudine digiti cincto, ad magnitudinem pugni, in hoc minoris, in alio majoris p. m. aſſurgente, de cætero molli, flaccido lividoque, transparente per cutem tumorisque tunicam valdè attenuatam ſanguine quaſi fluido & venoſo, qualis etiam per hæmorrhoides externas tumentes cum & absque fæcibus dein prodibat, effluxuque ſuo tumorem prædictum notabiliter diminuebat; manifeſto ſanè indicio mutuæ cohæſionis aut communicationis hæmorrhoidum cum intumeſcentiâ hâc circa medium oſſis ſacri, quæ & ipſa nil aliud eſſe videbatur, quàm tumor ſanguineo-varicoſo-ulceroſus, ad abſceſſus ſanguineos ſeu ſanguifluos M. A. Severini *p.m.* 170. 171. 172. & 179. *de recondita abſceſſuum naturâ*, à ſuper-vomitu venarum æque ex venoſis, quam parili ratione aliàs ex arterioſis vaſibus oriundos, non incongruè referendus, natus forte ex compreſſione vel obſtructione, hincque ſtagnatione & corruptione ſucceſſivâ ſanguinis venoſi craſſiuſculi intra valvulas rami cujusdam hæmorrhoidalis externi, interſtitium valvuloſum illius venæ accumulatione ſuâ majori in majus ſpatium ſenſim diſtendentis, tandemque hinc inde perforantis, quemadmodum cùm hydatidibus in ampliſſimos ſacculos lymphaticos ſimili modo extenſis fieri, in Ephemerid. noſtr. *Dec.* 2. *ann.* 7. *Ob.* 141. *p.* 278. fuſius deduximus, & ex Dolæi *Encycl. Chir. p m.* 1248. 1249. *ac* 1251. pluribus addiſci poteſt.

In Piſtoris enim ſuprà dicti filiolo 1697. d. 9. Novembr. nato cum Paralyſi trunci corporis inferioris, pedumque, tumore iſto in ſummitate oſſis ſacri brevi putreſcente hincque aperto ichor cruentus fœtidiſſimus effluxit, carie oſſis ſubtus apparente, convulſionibusque tandem accedentibus, quibus etiam 18. Novembr. puer ille iterum extinctus eſt.

In pileorum formatoris puella 10. Octobr. in lucem edita, paralytica quoque quoad femora & pedes, licet conſilio D. Oehmbii meoque, præter interna præcipitantia & confortantia, topica quoque nervina & putredini reſiſtentia indefeſſo chirurgi labore applicarentur, corrupta ſucceſſivè tunica tumoris, 16. ejusdem Menſis ſub auroram is ſponte ruptus eſt, profluente ſanguine ichorode putridiſſimo, veſperi dein accedentibus convulſionibus, perſeverantibus usque ad diluculum ſequentis diei, finemque vitæ tunc imponentibus. Inſpecto accuratius poſt obitum abſceſſu, tunica disrupta, in qua ichor fuerat contentus, apparuit alba craſſaque, uti venarum tunicæ ſolent, & in ſummitate in funiculum ſeu ductum quaſi quendam venoſum corrugata iterum coierat, per quem etiam mediante ſtylo usque ad interſtitia muſculorum ibidem & os ſacrum deſcendere poteramus, in cujus quoque medio notabatur foramen magnitudine piſi minoris carioſum cum fœtore ſummè putrido; nullibi tamen hic ulla penetratione usque in cavitatem inteſtini recti ſe exhibente, ut ſanguinem itaque, qui & hic per anum ſimul prodierat, ſolis hæmorrhoidibus externis elapſum pateat. Militis urbani gnatum quod concernit, præterquam quod tibiis in crucis formam ſibi invicem impoſitis, & anteriora ac interiora verſus ad femora ſurſum flexis, pedibusque extremis introrſum ſeu ad latus internum contortis, ac una cum femoribus motu ſpontaneo prorſus deſtitutis, ſatis monſtroſus 17 Aug. naſceretur, ſimilem inſuper, ac ſupra deſcriptus, tumorem in medio oſſis ſacri monſtrabat, inſtar marſupii vel ſacculi longitudine latitudineque palmi ferè propendentem, qui altero mox die veſtigia putrefactionis & ſphaceli maculis latioribus tùm pallidis, tùm lividis viridibusque tum etiam atris quibusdam ac fœtentibus, hinc inde oſtendebat uſque ad fimbriam baſeos ſuperius intimatam, nunc valdè rubentem & inflammatam; hinc exiguo vulnusculo in apice tumoris per lanceolam primitus inflicto, emanabant ichoris cruenti fluidique unc. ij. fermè, quo ſubſiſtente, ne pars ſincera traheretur, tunica undique putrida, valde attenuata & transparens (poſt reſectionem & corrugationem verò ſatis deinde craſſa) usque ad fimbriam modò nominatam ſucceſſivè amputabatur absque ejulatu notabili, columellæ verò ejus aliquot lymphatico-arterioſo-venoſæ à baſi oſſis ſacri ad ſummitatem illius tumoris tunicæque usque protenſæ, & huic firmiter connatæ, ligatura propè fundum majorum earundem cum filo duplici injecta, ne hæmorrhagia fortè nimia accideret, ſpatio aliquo ſupra vinculum diſſecabantur, cavitate absceſſus hujus ſtupa (*Corpey* vocant) expleta, melle roſato cum eſſentia myrrhæ remixto imbuta, emplaſtroque defenſivo deſuper impoſito. In cavo verò ulceris hocce apparebant etiam hinc inde tubercula livida varicoſa, disparentia deinde, cùm ſanguis per hæmorrhoides & inteſtini recti extremitatem

tem flammea rubedine tinctam reliquis diebus prodiret, ſerum autem paucum ichoroſum per abſceſſus prædicti ſinus hinc inde prorumperet.

Suctu tandem ex paralyſi maxillarum quoque deficiente, (quam vocant *das Glæſen fallen*) poſtquàm ſucceſſivè emarcuerat, vigeſimoque nono Auguſti ſine ullis convulſionibus tempore matutino placidè obierat infans, viſcera omnia ſana (circa finem autem oſſis ſacri foveam ingentem) & vaſorum prædictorum, venoſorum imprimis in medio & radice abſceſſus excavati, continuationem ſatis amplam, ſupra os ſacrum & tandem inferius *per ejus foramen* quoddam laterale, nervo deſtinatum, deſcendentem usque ad inteſtini recti extremitatem, deprehendimus, ita ut nihil aliud viderentur, quàm propago quædam magna venæ hæmorrhoidalis externæ, quemadmodum D. Helwich exenterationi præſens una mecum diſtinctè intuitus eſt. Cauſa, quorum hactenus mentio facta, tumorum non fuit eadem. Piſtoris enim & pileorum formatoris uxores nil aliud noverant, quod anſam peſſimo huic & ſemper ferè funeſti in oſſe ſacro ominis phœnomeno ſuppeditare potuerat, præterquam quod illa brachium aqua fervidiſſima combuſtum hincque veſicas ingentes in illo mox elevatas & exulceratas ancillæ; hæc autem tumorem lividum mariti (*eine blaue Beule*) ex contuſione in tibia contractum, dum prægnans eſſet, abhorruerat manuque propria tractaverat, hinc verò, more gravidis ſolenni nec adeo ſemper laudando, ſ. v. natibus mox applicata, ut illic, non autem in locis conſpectui magis expoſitis, fœtus nævo hoc, ſicubi horror & imaginatio fortè nociva, notaretur.

Militis denique uxor pedes fœtus monſtroſos terrori quidem à conſimilibus in mendico quodam viſis, tumorem verò prædictum ſupra os ſacrum gravi cuidam tempore pentecoſtes ſub uteri geſtatione lapſui in poſteriora & percuſſioni cum fruſto ligni ingente procul dubio debebat; quibus non ſolùm ex colliſione fœtus ſumma vertebra oſſis prænominati aliqua, foveam ſuperius intimatam conſtituens, introrſum magis acta, & ſpinalis ibidem medulla una cum nervis inferioribus, hinc neceſſario paralyticis, in maximas coacta anguſtias, ſed ex tanta contorſione partium illic mollium nova etiam vaſorum, aliquomodo ſic laceratorum, divaricatio, ramificatio, & extenſio tandem morboſa facilè fieri potuit.

Parallela aliquomodò hisce exempla ſi cui volupe fuerit legere, adeat D. D. Burgii olim, Graſſiique noſtri, nec non aliorum quorundam obſervationes recenſitas in Ephemer. noſtr. imprimis *Dec.* 2. *Ann.* 5. *obſ.* 69. *pag.* 157. *& Ann.* 6. *Obſ.* 58. *pag.* 141. 142. 143. uti & *D.* 1. *A.* 3. *O.* 57. *pag.* 177. *D.* 2. *A.* 2. *O.* 158. *pag.* 363. *&c.* & *A.* 5. *O.* 108. *p.* 431. *&c.* H. I.

Scenam hoc tempore ingrediebantur dejectiones dyſentericæ, de quibus nihil novi à nobis obſervatum fuit, quàm quod in corporibus cacochymis, tùm etiam quando ſymptomata remittunt, & ſcybala minus ſunt cruenta, nec ſedes adeò torminoſæ, ſed ad legem naturæ accedentes, nec non ſomnus recurrit, & denuo alimenta appetuntur, adeoque in portu ægri ſunt, ex improviſo ſequatur diarrhæa, quæ corpus variis humori- — Diarrhæa poſt dyſenteriam.

humoribus repletum depleat, & ab eluvie repurget. Nihil ſiniſtri portendit illa diarrhæa, ſed, etiamſi vires aliquo modo dejiciat, firmiorem impoſterum ſanitatem pollicetur. Ita morbi congeneres facile in ſe invicem commutantur. Notum enim ſatis eſt, quod ſæpe *alvi profluvium* verbo Hippocr. *ſect.* 7. *aphor.* 76. excipiat dyſenteria, & hanc, ut aphorismo ſeq. innuit, iterum lienteria, vel, ut hoc anno non rarò viſum eſt, diarrhæa.

Poſt propulſas ejus temporibus febres in diverſis hinc inde corporis partibus, præſertim autem in volis manuum & plantis pedum (confer. Haffenrefferi *Noſodoch. p.* 156.) reconvaleſcentibus epidermis diſcedebat, & quaſi per ſquamas abradebatur, quam cuticulæ abſceſſionem in febribus jam olim etiam annotarunt Salmuthus *Obſerv. Anatom. Cent.* 1. *obſ.* 98. *p.* 59. Lotichius *l.* 1. *c.* 7. *obſ.* 36. *p. m.* 90. Platerus & alii, eamque malignitatis conſtituunt notam, quæ tamen in noſtris febribus non obſervabatur.

Porrigo. Alias iisdem diebus multi ex egenis cacochymi deformabantur porrigine. Affectus hic cutaneus eſt, &, ut conſtat, potiſſimum derma capitis, paulò rariùs reliqui corporis, in tenues & furfuraceas ſquamulas citra exulcerationem faceſſit. Et ſi quando poſterius contingit, videas veriſſimum eſſe, quod Celſus habet *l.* 6. *c.* 2. *inter pilos ſquamulas illas ſurgere, & interdum madere, multo ſæpius autem eſſe ſiccas.* Cauſa ejus rei videtur eſſe, quod verbo Foeſii plurimi maximique pili naſcantur, qua corporis parte cuticula rariſſima eſt. Notus etiam eſt nobis, cui ſingulis annis in Julio & Auguſto totâ ſede ima inter clunes diviſâ à podice ad perinæum usque primò rubedo & pruritus excitatur, & tandem ſquamæ ſuccedunt furfuraceæ, & metus eſt, ne, quod alicui, teſte Platero *l.* 2. *obſ. p.* 519. evenit, malum ſerpat, & ſcrotum ac penem occupet, quod poſt morbum aliis contigiſſe conſtat. Pars illa, quæ in ſquamulas abit, eſt cuticula ſeu pellicula illa tenuis, quæ cuti cohæret, ac ab externis injuriis defendit. Conf. Williſ. *de Medicam. operat. ſect.* 3. *c.* 5. Cæterum quænam ſit mali cauſa facilè patebit, ſi ad ea reſpexerimus, quæ cuticulam à ſubjecta cute ſeparant. Præſtant hoc admotus ignis, aqua fervens, phænigmi *&c.* hoc autem ipſo ſatis edocemur, cauſam porriginis eſſe vel ſordes acres & calidas cuticulæ à parte exteriori accreſcentes vel ejus generis recrementa ex arteriis ad glandulas cutis & ex his per lymphæ ductus ſive vaſa excretoria ad cuticulam rejecta eamque partibus ſuis pungentibus & activis in ſquamulas reſolventia. Nec ſanè mirandum à fæculentiis talibus cuticulam pati ejusmodi decolorationem, cùm admodum probabile ſit, illam non tam ex fibris certâ lege contextam eſſe, quàm ex materia viſcoſa à ſubjectis partibus exhalante, & per compreſſionem corporum incumbentium, ne diffluere poſſit, coërcita oriri. Id quod manifeſtè ſatis probat promptiſſima cuticulæ regeneratio: Nam illa ablata ferè eodem modo reſtituitur, quam pellicula in pulte, & decoctis viſcoſis, eam enim, ſi materia calenti detraxeris, alia ejusdem rationis ſubſequitur. Si autem cuticula ex viſcoſis, tenacioribus generatur, cur non ex recrementis, acrioribus, ferventioribus ac tenuioribus & facilè diffluentibus deſtrui poſſet? Tametſi autem longe melius ſit, ejusmodi

acribus

acribus excrementis cuticulam, quàm interiora viſcera in diſcrimen venire, negandum tamen non eſt, porriginem, quæ cutem fœdat, haud fallax eſſe ſignum, quod corpus cacochymorum humorum colluvie redundet, unde Aëtius non malè à depravatis humoribus pityriaſeos originem petit, cum quo etiam conſentiunt Trallianus, Paulus & alii veteres. Nec immeritò lividi ac fœtentes furfures à Gilberto lepræ aliorumque ſonticorum malorum nuncii eſſe creduntur. Cura mali hujus in eo conſiſtit, ut præparato corpore blanda catharſis inſtituatur, & cum ipſa natura ad corporis ambitum ſordes extruſerit, & ulteriorem excluſionem per poros moliatur, blandis diaphoreticis provide adjuvetur, ut & acres illæ partes per diureſin ex corpore eliminentur, tandemque & topica circumſpectè adhibeantur. Nihil autem medicamentis proficitur, niſi in victu cibi durioris digeſtionis, fumo indurati, muriâ conditi, ſalſi, flatulenti *&c.* vitentur. Id, cùm per inopiam egenis non liceat, non magnam ex remediis percipiunt utilitatem. Inter topica primum locum obtinent abstergentia non tàm ea, quæ veteres adhibuerunt & à Foreſto recitantur *l.* 8. *in obſervationis* 12*mæ Scholio*, ſed quæ ipſe *in Scholio ſeq.* 13. obſervat, & Sebizius *in Specul. Med. Pract. p.* 239. *& ſeq.* commendat. Inter illa cumprimis placent ex herbis obrotonum, chelidonium majus, betonica, ſaponaria, quibus addere licet lapathum acutum juxta Dioſcoridem *lib.* 2. *c.* 140. etiam ſcabros ungues curans, ſcolopendrium ſeu phyllytin Dioſcorid. calaminthàm, quæ ex ejuſdem Dioſcoridis elogio *l.* 3. *c.* 43. nigras cicatrices dealbat & ſugillata emendat, ac ex mente neotericorum inter coſmeticas plantas non eſt poſtrema. Ex radicibus elegimus rad. gentianæ, ari, & ſigilli Salomonis; ex ſeminibus, fœnu Græci & ſtaphidis agriæ, ex leguminibus farinam fabarum, ex fructibus amygdalas amaras. His, ſi cum eodem Sebitio addideris flores cent. min. ex gumm. myrrham, ex ſuccis aloën, & ex frugibus hordeum, jam ſufficienter à præſidiis omnibus fueris inſtructus, niſi fortè aliquod oleum e. g. laurinum, rutaceum ſuperpondii loco adjicere volueris. Poſſunt autem à nobis jamjam enumerata ſimplicia decoqui vel in vino, vel in aquâ, nec enim vel neceſſitas requirit, vel utilitas ulla ſuadet, ut muria & lixiviis, niſi ægri fortè ſint ex ima plebis fæce, parentur. Unguenta & emplaſtra minùs probamus. Cùm ſolum caput furfuribus obſidetur, illud, ut optimè laudatus Sebitius monet, *primò radendum, deinde cum linteo aſperiori fricandum, tùm topica uſurpanda & maximè capitis lotiones.*

In hac ipſa æſtate paſſim etiam audiebantur querelæ de doloribus artuum & infimi ventris. Crurum dolor potiſſimum multis infeſtus erat. Hunc alii tenſivum, alii obtuſum, alii mordicantem, alii autem pungentem & erodentem in profundo circa os experiebantur, qui in motu corporis graviter efferebatur. Alii dolorem hunc ita deſcribebant, ut dicerent, malleolis ſibi quaſi crura contundi. Nec minùs brachia graviſſimis torquebantur doloribus, qui non ſecus ac à lue venerea oriundi nocturno tempore ingraveſcebant. Alii per intervalla luctabantur cum doloribus & lancinationibus inteſtinorum intolerabilibus, qui ex- (Dolores artuum & infimi ventris.)

 hibitis

hibitis carminantibus & anticolicis remediis magis intendebantur. His autem aliisque variarum partium cruciatibus obnoxii illi erant, qui cibis craſſis, ſalitis, pane non benè à furfuribus purgato, cerevifia craſſa, turbida & fœculenta, aut vino nondum ſatis defæcato, vel neſcio quibus mangoniis corrupto utebantur. Hic unicè antiſcorbutica cum radicibus chinæ, ſarſaparillæ, & lignis exoticis decocta aliquo modo ægris erant ſolatio, quibus ipſis etiam remediis ſublevabantur ii, quos de languore, etiam nullo præſente morbo, laſſitudine totius corporis cum aliqua oris ſiccitate conqueſtos eſſe meminimus.

Empyema Pectoris. Hoc tempore in Illuſtri Matronâ notabile empyematis exemplum fuit obſervatum. Illa in inferiori Germania, ſcorbuti ſede, nata & educata, initio felici matrimonio, aliquos annos in vicina Sileſiæ Marchia egerat, tandemque domicilium fortunarumque ſedem, Vratislaviam cum generoſo Marito, eſſe voluerat. Incolumi ſanitate uſa fuerat, à ſcorbuto moleſtias ſi excipias & menſium (absque noxa tamen notabili) per multos annos, ſuppreſſionem, ac hinc forte reſultans ulcus pedis rheumaticum; ſed hoc anno publicæ vacans devotioni, altera poſt Feſtum Trinitatis ſeptimana, febrili inſultu graviſſimo opprimitur, qui cum ſumma reſpirationis difficultate & acutiſſimis puncturis in regione pectoris conjunctus erat. Aperta fuit vena, exhibita varia medicamenta, & res eousque perducta eſt, ut ægra videretur eſſe in vado. Sed ex improviſo acerbis correpta doloribus, in magnum ſuffocationis periculum incidit, quod ei etiam fuiſſet funeſtum, niſi inter tuſſiendum ex profundo thoracis purulentam materiam ad libras duas rejeciſſet. Hoc defuncta diſcrimine inter miras viciſſitudines, præcordiorum anxietates, lipothymiam, frigus extremorum &c. vixit, hoc momento morti, propter ſuffocationis metum, proxima, illo autem iterum quaſi ad portum delata. Deinceps dubiam & nunquam non nutantem ſanitatem lacte caprillo ſuſtentavit, donec ex febri hectica plane contabeſceret & placidè tandem expiraret. Quemadmodum autem in hac ægrota purulenta materia per os rejecta fuit: Ita aliquoties compertum eſt, pus in pectore collectum per alvum fuiſſe vacuatum. Scimus hoc in dubium à nonnullis vocari, eo quod ignoratur adhuc via, qua id fiat. At à temporibus Hippocratis illud à præſtantiſſimis Medicis fuit obſervatum; tot autem ſeculorum experientiam in dubium vocare, non niſi ſtolidi & arrogantis hominis eſt. Nondum ad hunc usque diem clare explicatum eſt, quo pacto per aſperam arteriam pus evacuetur, quod in cavitatem thoracis (*nam in pleuritide ſuppurata antequam rumpatur apoſtema, ac ſeſe in thoracem exoneret, non improbabile eſt*, ut loquitur Celeb. Rivinus, *redire per venæ azygos ramificationes materiam illam in pulmones, atque tum ſupervenienti tuſſi vehementiori excuti per aſperæ arteriæ canales*) effuſum eſt, eò quòd vaſa non in cavum thoracis, ſed in poros muſculorum intercoſtalium hient; (nam utut admodum ſit ingenioſa Rivini ſententia, ſtatuentis, pulmones *in ſuperficie perforatos inſtar ſpongiæ abſorbere ſaniem, eamque ad arteriam aſperam ablegare ad exſpuendum, accedente inter tuſſiendum, valido diaphragmatis motu verſus ſuperiora cum impetu materiam*

riam purulentam excutiente, non tamen ita comparata eſt, ut non juſtis ex cauſis in dubium vocari queat) neque tamen invenies medicum, qui ambigat, pus in thorace fluctuans per pulmones cum tuſſi ſubinde excerni. Scilicet ut pulchre Jacobus Sponius, Vir longè doctiſſimus, *in aphoriſmis novis p.* 334. agens de pure in pectore collecto, per alvum exeunte, ſcribit: *Vias medicis invias reperit* αὐτοδίδακτος *natura.*

Multi intenſiore ætate conſtituti, circa dies caniculares, etiamſi nulla dyſenteria aut diarrhæa eſſent correpti, aſſidua deſidendi cupiditate cum torminibus quibusdam conjuncta vexabantur. Cùm judicaremus ab humore acri & tenaci affectum oriri, in ſubſidium vocavimus clyſteres anodynos & humectantes ex decocto malv. ſem. lin. frig. maj., ficuum c. ſacchar., vitell. ovi, & ſevo hircino, deinde verò iis exhibuimus evacuantia lenia, ex ▽. laxat. vienn., ſyrup. Regio, de cichor. c. rhab. ol. amygd. d. rhabarb. &c. nec non ea, quæ humori acri demulcendo inſerviunt. Cùm hæc non adeò evidentem præſtarent utilitatem, exemplo veterum confugimus ad balneum, à quo dolores ſolent ſopiri, acri materia per cutis ſpiracula è corpore proſcripta. Enimvero neque hac via datum eſt optatam contingere metam. Inde ab aſcaridibus malum foveri autumantes, anthelminthica cum majori ſucceſſu enematibus admiſcuimus, eademque etiam in convenientibus formulis per os exhibuimus. Tenesmus infantum.

Nonnulli, præprimis autem obeſioris corporis, & phlegmaticæ conſtitutionis, otio languentes, & cibum ac potum in nimia copia ingurgitantes, ac, ut fit, fructibus horræis corpus diſtendentes, experiebantur ſomnum perturbatum, non pauci etiam incubum vel ephialten. Notum eſt in hoc affectu reſpirationem impediri, ut dormientes metu ſuffocationis angantur, intercludi vocem, ut non niſi obſcure ſibillare queant, hebetari ſenſus, & ita affici, ac ſi moles quædam ponderoſa thoraci incumberet. Multi de cauſis hujus ſuppreſſionis nocturnæ ſolliciti, multa commenti ſunt, quæ commemorare jam non vacat. Nos potiſſimum ab incommodo corporis ſitu, qualis ſupinus eſt, ad alterutrum latus inclinans, phænomena illa excitari credimus. Scilicet extra controverſiam eſt, quod diaphragma, cum majori ex parte, ut optimè Steno, & qui hic Stenonis vitulo aravit Caſp. Bartholinus *in lib. de Structura diaphragmatis*, ex muſculis, quorum functio eſt motus localis, ſit compoſitum, reſpirationis motui inſerviat; nec minus indubitatum eſt, idem diaphragma in inſpiratione cum contentis abdominis in homine tendere deorſum, in expiratione, ut optimè Diemerbrock, ſurſum cum impetu tendi, & pulmones verſus thoracis anteriora cedentes inſequi. Uterque hic diaphragmatis motus non ſit impeditus neceſſe eſt, quando absque impedimento ſpiritum ducere, aut clarum ac diſtinctum formare ſermonem animus eſt. Enimvero in illo, quem innuimus, corporis ſitu, expiratio & motus verſus ſuperiora non eſt liber, quod facile patet perpendenti, muſculum diaphragmatis inferiorem ſeu craſſiorem ſuis extremitatibus tendinoſis in vertebras lumborum, earundemque proceſſus trans- Ephialtes.

verſos

verſos terminari eo modo, quo adumbravit Bartholinus *de diaphr. p.* 25. & delineavit *in tab.* 2. ut & Clar. Verheyen *in Anatom. p.* 235. & iſto, quem diximus, ſitu ſupino nimis extendi, ac hinc diaphragma ſurſum non poſſe propelli. Quod cùm non fiat, diaphragma non contrahit pectus, pectus autem non contractum non premit incluſum aërem, nec aër pulmonum ſuperficiem, atque hinc à veſiculis in tracheæ ramulos non debitè depellitur, ac aër eliminatur. Inde autem & reſpirationis difficultas & vocis interceptio & ſenſus incumbentis ponderis oritur, quâ de re alibi diſtinctius. Credibile autem eſt, pondus illud à diſtento per ingluviem ventriculo, cujus ſuperius orificium fibris ſuis motricibus circularibus & inflexis diaphragma premit, augeri; quod etiam fit, dùm motus chyli, cujus receptaculum tendines illi conſtringunt & conſtringendo promovent, interpellatur. Eluceſcit vero hinc, an, quod vulgò creditur, ægri falsò ſibi imaginentur, quod thoraci pondus incumbat. Cognita autem vera incubi theoria, non eſt neceſſe, de therapeia ſollicite eſſe anxium, niſi quatenus repletio quodammodo, tanquam ſitus ſupini occaſionalis cauſa & ponderis augmentum, evacuationem requirit. De reliquo omnes illi morbi æſtivales, qui in ſuperiorum annorum hiſtoria enumerati ſunt, etiam hoc trimeſtri fuere à Nobis tractati.

An diebus canicularibus adhibenda ſint medicamenta.

Quando Syrius ardet, multi præfractè uſum medicamentorum apud nos reſpuunt. Doctis interdum in ore ſunt illa Hippocratis, *libro de medicament. purgant.* : *Tempore æſtatis à canis ortu per dies* 50 *vitare oportet & non dare medicamentum*; nec non notus Ejusdem aphoriſmus : *ſub cane & ante canem difficiles ſunt medicationes.* Sed hæc in Græcia locum habere potuerint, quamvis incertum, an difficultatem medicationum ex peculiari aſtrorum vi atque influxu, an ex ſolo hujus temporis æſtu immodico, pendere crediderit divinus ſenex. Apud nos ſanè vires Syrii aut nullæ ſunt, aut obſcuræ, nec ſemper æſtu exurimur tanto, qui corpus exſuccum reddere queat. Deinde de ſolis purgantibus loquitur medicinæ pater, quibus & ipſi libenter abſtinemus, gnari, humores ad habitum corporis per ſudorem fluentes, non tutò ad interiora duci, niſi neceſſitas exigat & ægritudo purgationem indicans incidat; ſi id enim fiat, nulli dubitamus exhibere cathartica, edocti, potiſſimam indicationem agendorum in morbis, non à temporibus, ſed cauſis morbificis ſumi oportere. Nam niſi id fiat, pereundum erit ægris, antequam tot dies (nimirum juxta Hippocratem 50, juxta Keplerum 35 vel 40, juxta Manginum 30, & quod minimum eſt ſpatium, juxta Argolum 26 à die 23 Julii ad diem 18 Auguſti) præterlabantur. Confer. Doring. *de Medicin. & Medicis p. m.* 252. 253.

Conſtitutio aëris in menſe Octobr. Novembr. Decembr.

Initia Menſis Octobris blando calore grata ſed plerique ſequentium dierum, ventis, pluviis & variis aëris mutationibus horridi erant. In Novembri modo pluviæ decidebant, modò nives. Et utut aura ſubinde eſſet ſatis temperata, nonnunquam corpora frigore rigebant; hoc autem in Decembri erat intenſius, præprimis circa plenilunium, at paulò poſt & intercurrentes nebulæ & pluviæ ſoliſque jubar violentiam frigoris mitigabant.

Inter

Inter varios hujus temporis morbos, non rarò occurebat gonorrhæa virulenta, quæ ut omni tempore Veneris amaſios mulctat, autumno tamen, qui exulcerationibus omnibus minus favet, inclementius ſævit. Suas hâc de re meditationes D. Helwich fuſius alibi ediſſeret, hîc tamen etiam aliquem hujus affectus conſiderationi locum dabimus.

Fundamenti vero loco hîc ſubſternimus, gonorrhæam contrahi ex συνουσία cum infectâ ſive ejuſmodi muliere, cujus vagina uteri ulceribus ſerpentibus, ſæpe etiam profundis cum multo ſaniei profluvio, nonnunquam tamen etiam ſolis puſtulis fœdata eſt. Diximus gonorrhæam contrahi ex cohabitatione, quando tùm membrum virile à ſanguine arterioſo continuò affluente & corpora fungoſa ac ſpongioſa turgefaciente (eò quòd tonica muſculorum mediorum contractione venæ circa os pubis comprimantur, ac compreſſione hâc ſanguinis refluxus impediatur) tenſum & erectum; tùm propter hanc ſanguinis ſtagnationem, & motum incaleſcit, patente nihilominus, urethra, ac hiantibus viis ſeminalibus. Quòd verò impurus pollutuſque concubitus gonorrhææ ſeminarium ſit, ei rei argumento vel hoc eſt, quòd durante adhuc vetitæ Veneris palæſtrâ, intra urethram ſenſu lancinationis, qui gonorrhææ prodromus eſt, libidinoſi afficiantur, ac ab illo temporis, quo congreſſum celebrarunt, puncto haud rarò acrimoniam, quæ reddita urinâ etiam urethræ ductum adurit, & dolorem in erigendo pene, quaſi is fune ſubſtringeretur, percipiant, qui tamen poſt tres ſeptimanas ſenſim evaneſcere ſolet. Blaſius etiam obſervavit gravitatem ad radicem penis cum quâdam intumeſcentiâ. Cæterum pervulgatæ res eſt notitiæ, quod poſt aliquot, quatuor, ſeptem, ſæpè etiam plures à congreſſu dies, prout mulier magis minuſvè fuerit inquinata, & vir ad ſuſcipiendum μίασμα aptus, materia ſubcitrina ac viridis putriformis, non rarò ſanguine permixta, per colem elabi incipiat ac fluxus ille noctu & interdiu ad menſes & annos continuet. Interpoſito ſpatio virus illud ex pene exiens, majorem putredinem ac acredinem acquirit, niſi idoneis occurratur medicamentis, unde urethræ excoriatio imò & totius corporis tabes ac marceſcentia præcipuè circa lumbos, ſequitur. Memorabilis præterea eſt dolor teſticulorum ſpaſmodicus, qui ab initio mali ſeſe exerit, & macula parva rubra parùm protuberans, glandis partem occupans, tandemque in ulcus degenerans, quæ in oculos incurrit. Si minus utili conſilio fluxus ille præmaturè ſupprimatur, dolores in lumbis & hypogaſtrio oriuntur, proximè ad illorum dolorum genium accedentes, qui à ſuppreſſis menſibus circa iſtas partes excitantur. Compertum nobis etiam, quòd non rarò, præprimis vegetos & ſucciplenos, febrilis horror & æſtus ſub noctem occupet, quod meminimus ante eruptionem fluxûs ordinariò contigiſſe.

Hujus mali ſubjectum ſunt glandulæ illæ collo veſicæ adjacentes, quæ magnitudinem juglandis nucis ferè æquant. Has Veſalius glandoſum vocat corpus, paraſtatas Columbus, aſſiſtens glandoſum Fallopius, corpus ſpongioſum variis glandibus infarctum de Graaf. *Per harum medium*, verbis nominati Grafii, *tranſeunt vaſorum deferentium & veſicularum ſeminalium com-*

munes ductus, qui ad ejus ingreſſum coarctari attenuarique incipiunt, donec tandem ſubtiliſſimis duobus ductibus ſimul copulatis in urethram ſeparatim terminentur. Patent præterea hæ etiam glandulæ in urethram poris quibusdam ſive exiguis foraminibus, quorum numerus non adeò exactè conſtat, cùm Rolfincius 4. de Graaf ultra 10. in cadaveribus invenerit. Nec prætereundus meatus ille exilis à Clar. Majore detectus; quorum ductuum (hactenus memoratorum) orificia exiguis carunculis obturantur. Illam quoque obſervationem adhuc ab anatomicis mutuabimur, quòd membrana firmiſſima, quâ undique glandulæ illæ obvolvuntur, multas fibras carneas à veſicâ urinariâ provenientes obtineat, & vaſa ſanguifera planè *inſignia per externam corporis ſuperficiem* excurrentia, atque hinc inde ſubintrantia, præter nervos accipiat. Hoc, quod hactenus rudi minervâ delineavimus corpus, ſubjectum gonorrhææ eſſe anatome docet; nec hìc audiendus Carolus Muſitanus, qui ſanioſum hunc fluxum à ſolo urethræ nutrimento perverſo derivat. Warthono contradicenti opponimus Wirſungum, qui in tribus cadaveribus gonorrhæâ extinctis in proſtatis veſtigia ulcerum advertit, & Bartholinum, qui in omnibus ex gonorrhæâ mortuis vel ulcera, vel callum, ulceris præteriti ſignum, reperit, Riolanum, Blanckardum, qui ulcuſculum in paraſtatis ejus, qui gonorrhæâ laboraverat, inventum eſſe teſtatur; ita tamen hæc adſtruimus, ut non illibenter malum invaleſcens etiam ad alias ſerpere partes largiamur, præprimis veſiculas ſeminales, ſed quod veræ gonorrhææ ſedes ſint, illud nec à Jungken, nec à Dolæo demonſtratum eſt.

Num verò glandulæ duæ minores phaſeoli parvi magnitudinem non excedentes, quas ad quartam circiter pollicis partem ſub proſtatis utrimque ad urethram paulò ſupra ſpongioſum corporis bulbum ſitas nuper admodùm Cowperus *in Philoſ. Actis Anglican. Menſ. Novembr. Ann.* 1699. *N.* 258. orbi manifeſtavit, etiam malo ſedem præbeant, (nam dùm Auctor Clar. illas unicum eſſe focum hujus affectus vult propter coarctationem membranæ interioris urethræ à vicino ſphinctere, in eo aliquid humani illum paſſum eſſe certiſſimi ſumus:) tempori, quod antiquitas ſapientiſſimum prædicabat, dijudicandum, meritò relinquimus. Eo certè ratio vehementer inclinat, ſi verum, quòd, dùm penis erigitur, aliqua liquoris quantitas in urethram ab iis affundatur, favet etiam ſitus, nec ulla prægnans, quæ contrarium ſuadeat, apparet ratio. Quo verò modo ex mente noſtrâ gonorrhæa in proſtatis oriatur, quod maximè præſentis σκόπος argumentum eſt, jam ediſſeremus brevibus. Initio nobis certum eſt, quod in impuro congreſſu cum infectâ, peni patratori ex uteri vaginâ tempore coitûs multùm incaleſcenti halitus aliquis communicetur, atque ille per ductus patulos, ex quibus ſemen elabitur, ac per poros paulo ante deſcriptos, ex quibus liquor proſtatarum extillat, apertos, ad corpus glandoſum diffundatur. Halitum hunc eſſe ſalivalis naturæ perſuademur tùm, quòd natalem in glanduloſis partibus agnoſcat locum, tùm, quòd prompte in colatoria lymphæ ſecedat. Quæ autem ſalivalis proſapiæ ſunt, fermenteſcunt facilè, ut obvium exemplum eſt in ſalivâ, nam juxta Zaſii experientiam

rientiam panis biſcoctus & ſalivâ probè mixtus maſſæ farinaceæ additus, hanc fermentat, & jam in vulgus innotuit, quomodo apud Indos aliqua frumenti grana ab edentulâ anu comminuta & decocto injecta huic fermentationem concilient. Fermenteſcentes verò halitus facilè corruptelam diffundunt, ut ex antecedentibus liquido patet. Res ipſa loquitur, quòd halitus ejuſmodi exiguæ molis promptè cum humoribus confundatur ac propter exiguam quantitatem non facilè per colatoria ordinaria ſecernatur. Talis verò halitus (quamvis mora aliquot dierum, ut diximus ſupra, poſt coitum intercedat) commixtus cum humore in paraſtatarum glandulis contento, iis labem ſuam promptè affricat, eos in motum concitat ac in agitationem ciet. Nihil autem in univerſo corpore occurrit, quo principium movens hunc virulentum halitum corrigere, ac in naturalem ſtatum reducere poſſet; relictum ergo hoc ſolum eſt, ut iterum è corpore ejiciatur, & quidem viâ illâ, quâ ingreſſus, quippe quæ omnium breviſſima eſt. Ad hoc præſtandum copioſiori opus eſt humorum affluxu, ut halitus iis implicatus, & corrupti per eum humores abluantur & abſterguntur; Ut vero copioſius humores affundi queant, motu tonico vaſa ad vicinas partes tendentia conſtringuntur, eo fine, ut humores regurgitent ad vaſa, quæ ad paraſtatas feruntur. Ecce verò, quod remedium ex naturæ intentione eſſe debebat, facilè in damnum vertitur; nam dùm ſanguis copioſius affunditur, inflammatio excitatur ejus generis, quæ in glande cernitur eorum, qui infecti ſunt; partes enim aliquæ ſanguinis in extremitate vaſculorum ſtagnant, & ipſæ glandulæ adeo poroſis & robuſtis fibris inſtructæ non ſunt, ut ſtagnantem ſanguinem in motum ciere valeant, ſanguis autem ille extra motum relictus, præcipiti curſu ad diſſolutionem mixtionis ſuæ devolvitur. Nimirum tenerrimæ ſulphureæ ipſius portiones inteſtino motu à craſſioribus divulſæ violente in omnes partes feruntur, & craſſiores tandem etiam commovent, easque reddunt penetrantiores, ac in magnam cum ipſis acrimoniam fatiſcunt, quæ acredo noxam ſuam in ipſas fibras propagat, undè fieri vix aliter poteſt, quàm ut vaſa ſanguifera iis immerſa arrodantur, & ſanguineæ guttæ ex eorum orificiis excidant. Deinde ſenſim calore remittente, etiam aliqua coloris mutatio exſurgit. Hi ſunt & inflammationis & puris veri fontes, ut nos arbitramur. Non imus inficias, ſatis magnam halitui illi venereo ineſſe acrimoniam, ab eâ tamen inflammationis originem arceſſere prohibemur hâc ratione, quod ne glans quidem, cui purulentia illa in coitu affricatur, ſtatim poſt petulcum congreſſum, ſed interpoſitis demum aliquot diebus inflammetur, non aliâ ſanè ratione, quam ipſi paraſtatæ, cùm ea, quæ acrimoniâ vellicante inflammant, ſine morâ affectum hunc exerant; inflammationem illam comitatur febricula ſymptomatica. His ita declaratis dicimus: materiam illam, quæ in gonorrhæâ effluit, I. eſſe purulentam, à plurimo ſanguine ad proſtatas affluente, & eô, quo delineavimus modo, in ichorem puri ſimilem mutato; nam ſanè niſi hoc eſſet, nullo modo comprehendi poſſet, quomodo ad tot annos tantum puris effundi queat, citra detrimentum ægrorum, qui, ſi modò acrimoniam cor-

rigant, durante etiam illo fluxu ad omnia rite ſunt diſpoſiti. Ex hâc ſanguineâ corruptione putrilago illa nares feriens deducenda eſt. 2. Ajimus huic materiæ purulentæ admiſceri lymphatico-ſeroſam ſubſalſam, præprimis arroſis vaſis lymphaticis, & hanc potiſſimum eſſe cauſam, cur corruptio adeò latè diffundi nequeat, hâc enim ſalſedine partes ſulphureæ, quæ putredinem aliàs latè diffundunt, abſterguntur, imò humore hoc irretitæ, tanquam vehiculo è corpore deportantur. Et à variâ lymphæ, quam ſæpe acidam eſſe nemo ignorat, conditione pendere videtur diverſitas coloris materiæ, quæ in gonorrhæâ excernitur. 3. Addi his etiam debere liquorem illum, qui ex paraſtatis effluit in coitu, quivis etiam nobis non monentibus intelligit. 4. Eum in cenſum humor ille quodammodo viſcoſus è glandulis Cowperi ſtillans referendus eſt. Sane ex evacuatione ejuſmodi humoris in urethra exiſtentis ardorem illum quondam non malè deduxit D. Donipertius. 5. Addimus his etiam ſemen ipſum non tantùm, quòd Veſalius, cum diſſecaret corpus glandoſum hominis, qui involuntario ſeminis fluxu correptus fuerat, illud ſemine completum conſpexerit, ſed quòd motus ſpaſmodicus teſticulorum, qui in his ordinariò obſervatur, quemque ſub nomine rotationis Sydenhamius delineavit, id nobis omninò perſuadeat, qui ſcimus in convulſione & epilepſiâ non infrequenter ejici ſemen, quàmvis fortè potiſſima ſpaſmodicæ iſtius teſticulorum conſtrictionis cauſa ſit intentio prohibendi, ne halitus ille noxius gyrum vaſculorum, ex quibus teſticuli conglomerati ſunt, ingrediatur. Quòd enim id fieri ſoleat in metu corruptionis partium nobiliorum, quales etiam, ex Borelli judicio, teſtes ſunt, docet ſtrictura in facie, collo, brachiis & ſcapulis, imò nodi plexus glanduloſi occurrentes in fœminis, quæ cancro mammarum laborant, cujus ſanè conſtrictionis beneficio, quaſi limites ſerpenti corruptioni ad notabile tempus ponuntur. Et ſanè niſi ſemen ex teſticulis ad veſicas ſeminales & paraſtatas in gonorrhæâ affectis fluat, qui fit, ut ex repentinâ & intempeſtivâ gonorrhææ ſuppreſſione à vehementioribus adſtringentibus inductâ, tumor (ex quo malè Warthonus aliique ſedem gonorrhææ etiam teſticulos eſſe colligit,) teſticulorum ſequatur? Sanè propterea intumeſcunt, quia ſeminis fluxus intempeſtivè reſtrictus eſt. Nec abs re Lowerus illam ſpinæ debilitatem, quæ in gonorrhæa laborantibus cernitur, inde deducit, quòd in progreſſu mali arteriæ ſpermaticæ ſuccum ſanguinis nutritium nimia & plus ſolitâ copiâ in teſtes deponant, qui in ſemen mutatus, juſtò majori quantitate per vaſa deferentia ad veſiculas ſeminales fluit & inde diſpenſatur. Apparet hinc luculentè admodum naturæ ſollicitudo, quæ ut miaſma venereum ex corpore ejiciat ſanguinem, lympham, ſemen congerit, ac hiſce abſterſionem & extruſionem molitur, ne fortè, quòd ſubinde fit, in toto latice ſeroſo-lymphatico fermentativa corruptio invaleſcat. Et ut hîc principii moventis providentiam agnoſcas, tanto id agit ſtudio, ut etiam vicinis partibus debitum ſubtrahat alimentum, à ſubtractione enim alimenti vicinis partibus debiti circa lumbos emarceſcentia illa omninò deducenda eſt. Et quantâ non admiratione dignum, quod foramina, per quæ humores nominati in urethram

exeunt

exeunt, ordinariò in ſtatu ſanitatis extra concubitum carunculis obturata, in gonorrhæâ ſervet noctu diuque aperta, ne fortè ingratus hoſpes fugam capturus, portam inveniat clauſam; ſi verò malo medentium conſilio viæ hæ conſtringantur, alibi exitum quærit, cujus notabile exemplum reperitur apud Hildanum, quo fluxum hunc ad perinæum fuiſſe directum narrat. Cùm verò ex tot humoribus conſtet materia, quæ in gonorrhæa excernitur, præprimis etiam purulenta & ſanioſa, mirum non eſt, acrimoniâ inſigni pollere, unde tandem eroſio urethræ pendet. Et ſanè humor ille in gonorrhæâ effluens, chemico igni ſubjectus, quod à quodam factum recordamur, ſal volatile præbet adeò corroſivum, ut vix aquis ſtygiis in vi cauſticâ cedat, & hinc mirum planè non eſt, penem quaſi fune ſubſtringi, ſeu convelli potius, ut iſthac contractione acerrimam illam materiam excutiat. Incurvationem illam penis ab inflammatione ligamentorum & muſculorum penis derivant nonnulli, non recordati, quod etiam ante inflammationem apicis glandis dolorificâ penis tentigine ægri crucientur. Urinæ fluxus impeditior aliquando eſt, propter affectas carneas membranæ paraſtatarum fibras, quæ originem à veſicâ urinariâ trahunt, illis ergò afflictis, neceſſe eſt & hanc in conſortium paſſionis trahi, ac in munere ſuo turbari.

Curam hujus mali, præprimis inveterati, ſatis arduam eſſe apparet, tùm propter continuò erumpentem humiditatem, tùm propter abſumtionem membranaceæ glandularum harum tunicæ, quæ ægerrimè conſolidationem admittit. Ipſa tamen ratio dictitat, quod ſi ſtatim percepto, lancinationis, ab impurâ cohabitatione ſensû, medela petatur, non commodiùs quàm per diapnoën excluſionem miaſmatis tentemus, quæ diapnoica etiam locum habent jam præſente paraſtatarum inflammatione; cujus quidem præſentiam ex urinæ ardore, & dolore penis in erectione non vane colligere licet. Hoc in ſtatu draſticis miſeros fatigare purgantibus non rationalis medici eſt, ſed barbitonſorum ac fatuorum empiricorum. Si verò, ut ſemper ferè fit, ad medici opem ab ægro, quem fluxus moleſtat, confugiatur, inconſultum prorſus eſt, vel exſiccantibus, quo nomine decoctum radicis ſtaticæ, quæ caryophilli genus eſt, laudatum legimus; quem curandi ſcopum teſte Velſchio, Veslingius commendavit, vel purgantibus ad mentem Sydenhami, ſtatim ab initio curam aggredi, id enim eſſet non ſequi & adjuvare naturam, ſed eandem impedire; ſupra enim diximus, quòd principium movens humores diverſos, quorum quoſdam aliis quaſi partibus ſubtrahit, ad abſtergendum & eliminandum virulentum miaſma ad proſtatas congerat. Optimum ergò & præſentiſſimum hìc conſilium fuerit in initio fluxûs, diluentia, quæ lenem vim diureticam obtinent & abſtergentia propinare, non omiſſis diaphoreticis. His per aliquod tempus ad excludendum miaſma exhibitis, ad purgantia, pro affluxu lymphæ ad paraſtatas impediendo tranſire licet. Totus deinde curæ cardo vertitur in ulceris paraſtatarum mundificatione, ulteriori corruptionis inhibitione, noxii affluxus revulſione & demùm conſolidatione. Et hìc quidem nullam, noſtrâ experientiâ, ab internis cuidam ſpondere opem poſſumus, multò maxi-

mam verò à liquore balſamico antivenereo, per urethram injecto, qui per poros & ductus ad affectum locum illibatam virtutem diffundit, ac curam intra breve tempus abſolvit. Deſtituet eventus omnes, qui cum Sylvio ſperant opem à remediis ſpirituoſis volatilibus, à ſalibus lixivioſis fixis, oleoſis & pinguibus, aut cum aliis, à cantharidum infuſo *&c.*

Febres erraticæ.

Porrò inter communiores morbos erant febres, quæ nec ſtatum tempus ſervabant, nec eodem modo ſemper invadebant, ſed modò diebus ſingulis, diverſis tamen horis, modò alternis, homines opprimebant, jam diurno, jam nocturno tempore ingraveſcebant, hoc die cum horrore notabili aut rigore, alio autem ſine ſenſu frigoris paroxyſmus ingruebat, hodiè immanis cardialgia moleſta erat, cras ventris tormina affligebant, jam hoc ſymptoma, jam aliud miſeros magis fatigabat.

In curâ obſecuti ſumus ſaluberrimo Hippocratis conſilio *lib. de ratione victus in acutis: Inconſtantes & erraticos morbos curare non expedit, priusquam conſtiterint*, ſeu certum typum & periodum obſervaverint, quod circa 7. diem, hoc anno, evenire ſolebat. Nam tùm vel in tertianas vel in continuas degenerabant, & methodo convenienti curabantur.

Quartana febris.

Quartanæ quoque autumnalium, ut præteriti, ita & hujus anni morborum numerum augebant, ut ſolent morbi, qui focum in ſplene & vaſis venæ portæ habent, quos hodie vel tartareos, vel melancholicos ab acido oriundos nominare moris eſt. Ceſſit plebejis quibuſdam in cura quartanæ febris illa non malè, quantùm recordamur, temeritas, quâ febricitantes ſubito terrore graviter percellunt, ſi vel ſedes, ut fit, vel deinceps ſudores copioſi, aut alia quædam evacuatio largior ſuccederet. Nec methodus illa, quæ has per anodyna, præmiſſis lenibus evacuantibus febres tollit, inutilis aut inefficax deprehenſa eſt, ſed circumſpectum requirit Medicum.

Stillicidia urinæ.

Præterea urinæ ſtillicidia, vel ab humorum ad renes per arterias delatorum acrimoniâ, aut, (quod vero ſimilius nobis eſt) à renum ulcere oriundâ exaſperabantur.

Trichiaſis.

Notavimus eâdem tempeſtate in quibuſdam Trichiaſin, ſeu capillos unà cum urinâ excretos, quos à renibus, cum craſſâ urinâ excerni docet ſchola Hippocratica, ſecuta *l.* 4. *aphoriſmum* 76, & textum ex *lib. de naturâ humanâ propè finem.* Ejus autem generis excrementa, ſeu, ut impropriè loquitur Celſus, carunculæ exiguæ, quaſi capilli, craſſos indicant in corpore humores. Hi autem ipſi capillorum figuram induunt, non in venis, ſicut credidit Galenus *l. 6. de locis affect. c.* 3. nec in renum pelvi, ſed in illis tubulis exilibus, aut, ut ita dicam, fibrillis urinariis, per quas ſerum tranſcolatur, quarum figura, ſi Bellino, Borello aliiſque credimus, ad filamenta illa producenda eſt aptiſſima. Ejuſmodi autem urinam mingunt arthritici, ut *l. a.* advertit Hippocrates, & qui cibis duris & viſcoſis delectantur. Incidentia & purgantia leniora in hoc caſu ad prævertendam renum noxam optimè conferunt.

Tabidi

Tabidi etiam pejus habebant, ſicuti autumnali tempore plerumque contingit, quòd perpetuis aëris viciſſitudinibus ſanguis diverſimodè afficiatur, & ulcera pulmonum in deterius vergant. Et quid mirum humanum corpus eo tempore deteriori eſſe loco, quo pleraque viventia, plantæ, inquam & arbores multæ amiſſis frondibus, quaſi ſucco nutritio deſtitutæ, exareſcunt? Tabes.

Graſſabantur etiam iterum Iſchiadici dolores, qui perioſtium & membranas, quæ locum affectum ambiunt, & innumeris nervulis refertæ ſunt, exquiſitiſſimo dolore torquebant. Sed non facilè fuit reperire, qui ex coxendicum dolore in paralyſin ac tabem cruris inciderent. Dolores Iſchiadici.

Multi, qui cœlo pluvio ſub dio laboraverant, aut etiam in aquis, ac paludoſis locis manuum opera exercuerant, difficili reſpiratione & orthopnæâ ſine ronchis vexabantur. His non tam expectorantia, quàm evacuantia diuretica & ſudorifera conducebant. Orthopnæa.

Magnus etiam inter egenos epilepticorum numerus erat, & inter hos aliqui in tantum, vi morbi, prolabebantur ſtuporem, ut eos obbruteſcere crederes. Quoſdam ex his melancholia exagitabat. Epilepſia.

Inter morbos illius temporis etiam recenſeri debet Paſſio Iliaca, quæ aliquos horrendo modo afflixit. Tametſi verò Sydenhamius *p. 89. & ſeqq.* ſatis accuratè ſymptomata enarraverit, nobis tamen aliquod ſpicilegium reliquit, quemadmodum & nos aliis medicinam facturis, forte etiam ipſam meſſem. Quaſi complexus omnium ſymptomatum notatus in aliquâ cælibe provectioris ætatis, herniâ umbilicali ab aliquo tempore laboranti. Illa poſt conſanguinei obitum nocturno pavore concuſſa, mane inclementiori tempeſtate levibus induta veſtimentis ſub fornice in pavimento lapideo horam exigit. Corripitur dolore colico penetrantiſſimo, perfert, quia vehementer averſum à medicamentis gerit animum, augentur cruciatus in immenſum, tandem accerſitur Medicus. Is enema injiciendum eſſe monet, reluctatur ægra, elabuntur aliquot horæ, tandem ægrè conſentit. Inijcitur ſatis acre enema, at alvus tàm arcta erat, ut ne flatui quidem, multò minùs ullis excrementis pateret locus. Adeò verum eſt illud Hippocratis de affection. *cum volvulus corripuerit, venter durus redditur, nihilque infra demittit*; alvus quidem erat diſte ita flatibus, qui ad podicem uſque, *ut verbis Aretæi lib. 2. de cauſ. & ſign. morborum acutor. utamur*, perſtrepebant, ſed, ut diximus, ibi exitus intercludebatur. Imponebantur ſacculi ex emollientibus parati, denuò clyſmata adhibebantur, ſed irritus erat labor omnis. Singulis horis ſæva augebantur tormina, quæ per integrum abdomen ſeſe extendebant, præprimis tamen ſupra umbilicum erant planè intolerabiles. In hypochondriis quidem offerebat ſeſe tumor aliquis, ſed major circa regionem umbilici ſpectabatur, ipſe umbilicus in tumorem attollebatur, & tangenti inteſtinum, ad modum chordæ, unde affectum veteres etiam chordapſum appellarunt, convolutum apparebat. * Tumor autem hic tactui non cedebat, ſed duritiem ſatis inſignem præ ſe ferebat. Paſſio Iliaca.

Hos

Hoc in ſtatu ferè per biduum erat conſtituta. Poſt hoc tempus per aliquot horas inanibus fatigabatur ructibus, & immani cardialgia cruciabatur. Tanta autem aderat cibi nauſea & tædium, ut ne odorem quidem eſculentorum ferre poſſet. Tandem ſuperveniebant vomitus, quo primo humores viſcidi & glutinoſi, deinde bilis æruginoſa in admirabili quantitate rejiciebantur; poſtremò periſtaltico inteſtinorum motu mutato etiam fæces per os egerebantur. Omnia aſſumpta protinus, excepta limpidâ, quæ ſola retinebatur, ſine morâ etiam reddebantur. Tentata fuit variis modis repoſitio inteſtini prolapſi, adhibita fomenta ex decoct. malv., verbaſci, melilot. violar, linimenta ex unguentis & oleis *&c.* Balneum autem vomitus manifeſtiſſimè augere viſum eſt. Itaque in eâ ſumus ſententiâ, quòd, quando Hippocrates ipſemet *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 5. loquens de promovendâ evacuatione, mentionem facit balnei (ut ſc. citiùs evacuatio procedat) non niſi de catharſi per vomitum agat. Nam, ut optimè Proſper Martianus *in commentario ad hunc locum*, ſcribit: *Balneum humores ſurſum elevat evehitque ad partes ſuperiores, quod partium ſuperiorum turgeſcentia ex balneo atteſtatur, & quantum ſupernas evacuationes facilitat, tantùm inferiores impedit & difficiliores reddit.* Niſi forte cenſeamus purgans ante ingreſſum balnei dandum. Nam ita in piſtore quodam, qui ex nucibus avellanis avidè comeſtis, in pertinaciſſimam alvi obſtructionem inciderat, balneum conduxiſſe recordamur. Cæterum noſtræ agræ nihil quicquam proderant purgantia. Initium factum ab hauſtulo, quem niſi fallimur, commendat *in caſu* 30. Cl. Waldſchmidt & ſic habet:

℞. ol. amygd. d. unc. j. mann. liquid. unc. jj. ſemis, vini Malvat. unc j. Enimverò ex uſu hujus vomitûs fuere aucti, quos nec anodyna, nec alia medicamenta ſiſtere potuerunt. Deinde progreſſus factus eſt ad purgantia δραςικώτερα, quibus in forma pilulari etiam ex conſilio Dolæi aliorumque adjecta fuerunt opiata, ſed ſine effectu, tandem exhibito medicamento cinnabarino, poſtquam jam 5 dies duraverat vomitus ſtercoreus, ſecuta eſt alvi apertio. Etiamſi verò deinde alvus ſuo iterùm fungeretur officio, nihilominus vomitus non conquievere, quaſi volvulus degeneraſſet in choleram. Nihil hic theriacalia, anodyna, tam interna, quàm externa proderant. Pugnatum fuit cum morbo iterum generoſiſſimis remediis per aliquot dies ſine magno fructu, donec & hujus ſymptomatis truculentia pulviſculo ex ſpec. confect. de hyacinth., pulv. abſorb. Wedel. & grano uno vel altero nitri ac anodyni debellaretur. At ne ſic triumphum canere licebat. Mox ſuccedebat febris cum ſingultibus, intentiſſimâ ſiti, vigiliis, præcordiorum anxietatibus conjuncta, ut de inflammatione inteſtini nullum ſupereſſet dubium, quam & prægrandis hypochondriorum ardor confirmabat. Deprehendimus etiam veriſſima eſſe illa Dureti *comment. in Coac. prænotion.* verba: *In ileo cerebrum quando adducitur in ſympathiam ſtomachi, graviter in vomitione ex ſingultu vexati, non ſolum dementiæ, ſed etiam convulſionis conſecutio adfertur*; nam & deliriorum perpetua aderant veſtigia & inexplicabilis anxietas ac in diverſis partibus ſpasmi. Redibat impotentia continendi ea, quæ ederat & biberat, & extimarum partium frigus.

frigus. Urinæ mingebantur paucæ ac tenues, tandemque cruciatui per menſem duranti mors colophonem imponebat. Meritò autem de hac noſtrâ adhibueris illa ſenis noſtri *l.* 3. *Epidem.* verba: *ſervari non potuit, nec potis fuit quicquam opis adferri, proindeque tali ſorte interiit.* Abhinc aliquot annis phoſphoro artificiali, more Boyleano parato, magna in deobſtruenda alvo in volvulo adſcribebatur virtus, & ſanitas illuſtriſſimi cujuſdam Comitis huic tribuebatur, ſed collega noſter quidam curæ cum aliis præfectus, re omni diligenter expensâ, gloriam ſervati ægri vino medicato, quod Dolæus *in Encyclopæd. Medic. p.* 511. virgini ordinavit, deberi hodienum adhuc credit. Plebeji uſum globorum plumbeorum æſtimant, rati, quâ in re & medicos quoſdam ſibi habent conſentientes, quòd inteſtina in hoc morbo convolvantur, & gravibus ejuſmodi corporibus, qualia globi plumbei ſunt, convoluta debitè explicentur. Si enim vel maximè inteſtina implicarentur, quod tamen qui fieri queat, vix apparet, niſi vel rupta, vel à meſenterio fuerint ſoluta, difficulter tamen concipi poteſt, à pondere globuli alicujus præſtari poſſe, quod motu inteſtinorum & ſtercoris propulſione, quam natura molitur, in actum deduci nequit, hydrargirum abſque ſcrupulo dari poteſt. Placet verò modus exhibendi Welſchianus *in Curat. propr. Dec.* 7. *Cur.* 5 *p* 405. ℞. merc. crud. per alut. purgat. unc. iij. ol. amygd. d. unc. j. ſemis, pulv. ſacchar. cand. alb. drach. j. bis tervè ægris hæc doſis tutò datur.

Choleræ quoque tribus verbis meminiſſe integrum ſit. Ex voto ſuccedit in eâ curanda methodus à Sydenhamio uſurpata. Is, ut notum eſt, pullum gallinaceum in tribus aquæ menſuris elixat, & aliquot decocti hujus admodùm diluti cyathos ægro exhibet, imo & enemata ex eodem decocto admiſtis ſyrupis portulacæ & nympheæ admiſcet eo fine, ut ventriculus quantitate hujus liquoris quaſi ſubvertatur & volumina inteſtinorum ope clyſterum elutrientur & hoc ipſo acrimonia humorum ad debitam revocetur temperiem; hoc facto ad narcotica deſcendit. Verùm hoc non ita feſtinanter cenſemus eſſe faciendum; nam meminimus, nondum ſufficienter abſoluto eluvionis penſo narcotica fuiſſe exhibita, & hinc ægrum oculis captum, donec retuſa anodynorum vi evacuationes iterum ſuccederent. Præferimus autem hoc in morbo reliquis omnibus theriacam Andromachi in V. carm. quadam ſimplici, ſed calidâ diſſolutam & per intervalla exhibitam. Verùm non ulla eſt neceſſitas, ut eluens hoc juſculum unicè paretur ex pullo gallinaceo, cùm æquè benè illud, quod ex carne vitulina confit, canalem alimentorum eluat, nec ſegnius ſit, imò utrique, niſi fallimur, præferendum hordeaceum, quod veteribus Practicis fuit uſitatum. Cholera.

Plenus periculi & terroris affectus eſt catarrhus ſuffocativus, qui ſæpè intra 12 horas, aut diem naturalem, hominem jugulat, raro autem ultra diem tertium extenditur. Adoritur autem hic ipſe magnus & præceps catarrhus, ut à Mercuriali vocatur, homines ſucculentiores & humoribus refertos. Hi ex improviſo hoc malo obruuntur. Nimirum citra ullam apparentem cauſam, in magnam reſpirationis difficultatem incidunt. Catarrhus ſuffocativus.

 Adeſt

Adeſt dolor pectoris gravativus & ſtertor, (nam ebullitio ſpumeſcens reſpiratione, atque ejiciendi aliquis conatus ferè ſemper irritus, qui tuſſi in principio ſeſe prodit, ab adſtantibus obſervatur) graviter læditur vox & oratio, ac in magno ſuffocationis diſcrimine verſantur. Pulſus ab initio celer eſt, deinde autem rarus & debilis. Præcipuè autem illa ſubitanea virium totius corporis exſolutio admiratione digna eſt.

Nam utut ſenſus & motus ſuperſit, ſecus ac fit in apoplexiâ & in catalepſi, in quâ ut ſtipites & trunci decumbunt, nec reſpiratio ceſſet, quod in ſyncope contingit, vires tamen omnes fatiſcunt, ac extreme debiles ſunt à primo invaſionis principio.

In hoc affectu motum thoracis admodùm torpere, ipſe ſenſus docet. Nec dubitandum, quin & motus pulmonum ſit depravatus & eo ipſo etiam ſanguinis per pulmones propulſio impediatur. An autem affectus hic ab obſtructione cavernularum ac veſicularum & pororum pulmonalium oriatur, ſub Judice lis eſt; Nam ſi hujus ſententiæ Patronos de cauſis hujus obſtructionis diſſerentes audias, craſſitiem & viſciditatem, ut & acorem ſanguinis & præcipuè lymphæ accuſari percipies. Et ſanè negari nequit, quòd ſpiritus acidus, nitri, ſalis, vel vitrioli ad drachmas tres aquâ dilutus, per ſyringam in jugularem, aliamque venam injectus, ſanguinem coagulet; coagulatus autem ſanguis ſimilia phænomena exhibeat, imprimis autem ſpirandi difficultatem, quæ in catarrho ſuffocativo cernitur, teſtibus Viris Celeberrimis Fracaſſato, Bohnio, Ettmüllero aliiſque. At verò cùm viſciditas, craſſities & acor multorum hominum, quos catarrhus ſuffocativus non obruit, humores inquinent, & in iſtorum humoribus, quos hic catarrhus ſuffocat, multo prius, quam illa ſtrangulatoria ſuffocatio iſtos perimat, ut plurimum reperiantur, de aliâ causâ (quâ poſitâ ſequatur catarrhus ſuffocativus) omninò non immeritò ſumus ſolliciti. Niſi autem nos omnia fallunt, ſi ponamus pulmones flacceſcere, membranas eorum & veſiculas enervari, nec tonicâ virtute ac robore ad laticem ſanguinis propellendum concurrere, conceptu admodùm facilè erit, quomodo admiſſo ſanguine ac lymphatico humore confertim irruente, nec vegete propulſo, & reſpirationis difficultas, anxietas, ſtertor, interceptio ſermonis &c. viriumque debilitas conſequatur. Nihil ergò impedit, quò minus paralyticam pulmonum, ac forte etiam muſculorum thoracis debilitatem tanquam catarrhi ſuffocativi cauſam proximam accuſemus. Hinc autem diſpaleſcit, quòd, niſi cæteræ circumſtantiæ repugnent, curam ſicuti in paralyſi à V.S. exordiri fas ſit, præmiſſo tamen, revulſionis gratia, enemate acriori, cujus formulas Hoffm. in *M. M. c. X.* exhibet. Sanè probè adhuc recordamur, vix dùm celebratâ V. S. reſpirationem multò fuiſſe faciliorem quàm ante pertuſam venam. Cucurbitæ ſcarificatæ ſegniorem edunt affectum, licet Harvæus illas vehementer alicubi laudet. Nec cùm multis ex recentioribus, inſuper habendæ extremorum frictiones & ligaturæ. Suus etiam locus meritò veſicatoriis relinquitur. Cæterum ex internis ea potiſſimum commendari merentur, quæ virtute & efficaciâ tonum corroborandi & humo-

humores reſolvendi pollent, ac ſimul receſſus ac anfractus corporis omnes vegetè penetrant. His verò dotibus, præ reliquis medicamentis, ornantur ſalia volatilia urinoſa cum tincturâ ſalis tartari acriuſcula, ut decet, remixta; & repetitis vicibus, doſi non magnâ, præprimis ſi æger ſit plethoricus, exhibita. Laudant aliqui vehementer ſperma ceti cum cereviſiâ calidâ vel aquâ hyſſopi datum, alii extollunt gummi ammoniacum in aquis pectoralibus ſolutum, at in vehementiori malo expectationi non ſatisfaciunt, cùm vi tantùm reſolvendi congrumatum & coagulatum ſanguinem polleant, nullo autem modo tonum roborent. Quodſi febris, ut fit, quando non ita promptè catarrhus ſuffocativus cedit, ſuperveniat, quæ utplurimùm vaga & inconſtans eſt, à volatilibus illis urinoſis maturè deſiſtendum, & in locum horum ſurroganda ſunt lenia alexipharmaca, abſorbentia ac diaphoretica, nec non diuretica, atque abſterſiva, interpolatis ad refocillandas vires, analepticis.

Quid verò de vomitoriis in curâ hujus affectus dicturi ſumus? Profectò, niſi graviſſimi in diætâ errores præceſſerint, & manifeſtiſſima repletionis ventriculi indicia præſtò fuerint, nemini fuerimus Auctores, ut Jonſtono, Hartmanno, Hœfero, aliiſque, qui eadem tanquam Deum ex machinâ afflictis rebus opem unicè allaturum venerantur, vacivas præbeat aures, niſi in præſentiſſimum ſuffocationis diſcrimen ægrum conjicere & loco ſoſtri & famæ divitem convitiorum meſſem ſperare maluerit.

Collucta̧ti etiam ſumus cum Anaſarcâ, quam aliqui non malè vocant Oedema univerſale. Excipiebat autem hic affectus vel febres malè curatas, vel ſcabiem retropulſam, vel denique hæmorrhagias vel nimias, vel prorſus ſuppreſſas. Hic morbus vel ſubitò invaleſcit, vel lentè & tardis gradibus procedit. Nimirùm corpus ſenſim in tumorem aſſurgit maximè in facie, pedibus ac manibus. Ac pedes quidem cum aſciticorum œdematibus ratione tumoris ac ſplendoris magnam habent convenientiam. Initio autem ſubtumidus ille corporis habitus ferè pallidus eſt ac pituitoſus, quem leucophlegmatiam vocant, tumque oriri ajunt à pituitâ, gelatinam, verbo Sylvii, imitanti. Cedit iſte tumor tactui, ac mollis eſt, & foveam à compreſſione relinquit, ac indubitatus eſt *humoris aquoſi extravaſati & intra muſculorum interſtitia, & carnium, cutis, glandularum, & membranarum poros aggeſti*, ut loquitur Williſius, affectus. Atque hinc optimè Celeberr. Wedelius ait, *Anaſarcam limitare aquoſitatem ad certum locum*, & propriè eſſe *aquam intercutem.* Leucophlegmatia tandem abit in anaſarcam, in quâ tumidum corpus plus juſto nitet ac ſplendet, nec tam diu, quàm in leucophlegmatia fit, impreſſorum digitorum veſtigia ſervat. In hoc ſtatu æger admodùm eſt debilis. Conjungitur ferè ordinariò lenta febris. Pulſus parvus, creber & inæqualis eſt, urinæ autem crudæ & tenues. Anaſarca illa, quæ febres malè curatas excipit, medicamentis febrim ipſam profligantibus optimè curatur, ea verò, quæ ſcabiei male curatæ ſoboles eſt, requirit medicamenta ſcabiei expulſioni antiquitus dicata. Cùm à nimio ſanguinis fluxu malum originem trahit, balſamica & analeptica utramque faciunt paginam, contra in a-

Anaſarca.

naſarcâ, quæ à ſupreſſione ordinarii fluxus ſanguinis excitatur, aperitiva & emmenagoga cum judicio data optimè ſeſe gerunt. Cæteroquin, utut hæc hydropis ſpecies facilior ſit & nonnunquam diarrhæâ ſponte ſuperveniente tollatur, ardua tamen ſic ſatis ejus cura eſt, ſcopus, ad quem etiam collimare decet, primarius eſt, ut aqua intercus quoquo modo abſumatur & evacuetur, ac provideatur, ne nova generetur. Fit autem evacuatio illa per purgantia, diuretica & ſudorifera. Ultima reliquis merito præferuntur, ſi abſque magnâ ſanguinis commotione ſudor elici queat. Et hîc ſanè balneorum laconicorum eximius uſus eſt, prout jubentur parari à Sebizio *in Manual. pag.* 1262. Non contemnenda de cætero in corporibus robuſtioribus formula ſequens eſt.

℞. Rad. enul., aſar., aa. unc. ß.
Herb. ſalv., eupator., cichor.,
veron., cuſcut. aa. m. j.
gran. paradyſ. drachm. iß.
mac. drach. j.
Sem. Cartham., aniſ., petroſelin. aa. drach. iij.
Rhabarb. Alex. drachm. ij.
Coqu. in vin. menſ. iij.
Colat. R. lib. iij. adde
Syrup. Byzantin. unc. iij. M. F. Potio.

Ne nova autem denuo generetur aqua, providebitur exhibitis ſtomachicis & anticachecticis.

Coronidis loco addimus, determinatum fuiſſe à quodam ex Noſtris, eum non cenſeri poſſe impotentem, qui utroque teſticulo inſtructus eſt, & membro, longitudine pollicem, craſſitie verò digitum annularem æquante, ſi illud erigere, fœminam inire, ac clauſtra virginalis ſepti reſerare queat, ac tandem ſemen emittere, præprimis, ſi cum arctâ aliquâ matrimonium inierit, quâ quidem in conſultatione Collega Noſter ſecutus eſt judicium Præſtantiſſimorum Medicorum, tùm aliorum, tum Fortunati Fidelis *l.* 3. *de Relation. Medic. cap.*2. Zachiæ *lib.* 3. *quæſt. Medico-legalium Tit.* 1. *quæſt.* 7. Sinibald. *in geneanthropœiâ, &c.*

Dùm finiremus hanc hiſtoriam, obvenit exemplum aliquod molæ paulò rarius D. H., cujus deſcriptionem addere non abs re fuerit. Vocabatur is ad mulierem dura egeſtate preſſam. Illa tribus, antequam conſideretur, ſeptimanis molem aliquam & ſarcinam ſatis gravem in uteri vaginâ ſenſerat. Imperita obſtetrix, cujus opem imploraverat, non diſcuſſis circumſtantiis, ad excludendi conatus, quos pellentibus improvide datis medicaſter aliquis alebat, ſtrenuè ſolicitans, manus, ut hoc muliercularum genus eſt moleſtè officioſum, admoverat & corpus vaginæ cavitatem occupans vi protrahere tentarat. Irritum autem hoc officii genus, ſicuti eventus comprobavit, quamvis iſta violentiâ eo res fortaſſis perducta videri queat, ut maſſa ex ſinu pudoris ad tres circiter digitos propenderet. Narrantur illi hæc, advolat cum duobus aliis

Do-

Doctoribus, ad quos fama inſolentis caſus pervenerat, ac quæ relata erant, vera eſſe deprehendit, maſſa illa pendula ex parte ſphacelo jam erat corrupta, ac cadaveroſo, quem ſpirabat, odore, naribus admodùm infeſta. Re tamen, quoad fieri poterat, diligenter exploratâ, chirurgo emortuæ partis ſeparatio demandatur, ne putredo altiùs ſerpens vicinas partes corripiat & inquinet. Dùm ille tergiverſatur & in perficiundo opere difficultates, ut fieri amat, ubi ſpes lucri veternum non excutit, varias obvertit ac tricas movet de utero in conſortium mali tracto (cum tamen, ſi Nicolaum Fontan. *in analectis p. 62.* audias, ille integer, ſi ſphacelatus ſit, abſcindi queat:) diris cruciatibus confecta diem obit. Apertô cadavere apparuit uterus undiquaque diſtentus. Magnam cucurbitam & profunditate denſitateque & amplitudine referebat. Longitudo ejus ferè cubitalis aut ſeſquipes erat, latitudo autem circa fundum & ſpiſſitudo, ut ex filô circumjecto patuit, ſex palmos excedebat, pondere autem novem libras, quarum in vitâ civili uſus eſt, pendebat. In uteri hujus cavitate maſſa carnea concreverat, quâ intimæ illius membranæ, quam aliqui nervoſam appellant, pertinaciter adhærebat, imò ut verba, quibus Olaus Borrichius in Sarcocele deſcribenda in Act. Haffn. *Vol.* 1. *obſerv.* 97. utitur, mutuemur, *non tàm annata quàm innata videbatur*, ita *totam hanc membranam ejuſque vaſa omnia materiæ novæ acceſſu* nec minus cavitatem cervicis oblongam ejuſque partem inferiorem, quæ propriè oſculum internum dicitur, exacte infarciebat. Poſtquam his anguſtiis caro illa egreſſa eſſet, iterum ſeſe in majorem amplitudinem diffundebat & cavum vaginæ exactè, citra hujus dilatationem, replebat, plane ut conſultò ad hujus figuram ſtructa caro credi poſſet. Maſſa illa informis, quæ in uteri cavitate deprehendebatur, cum ipſo utero, ut dixi, magno adhæſu & pertinaci conjuncta erat; hæc autem, quæ in vagina erat, caro, cum ipſa vagina in ſimilem naturam non coiverat, nec eidem accreverat, id quod obſtetrici impoſuiſſe videtur, ut de educendâ manuum miniſterio maſſa conſilium caperet & manibus admotis excluſionem moliretur. Hæc autem laxior cum vagina hujus carnea molis conjunctio cauſa fuit, quod fluxus urinæ non fuerit interceptus, ſed lotium guttatim extillare potuerit. Anceps autem D. H. hæret, an hujus ſarcomatis pars propendere eo cœperit, quod aberrans natura non feriaretur ab augendâ mole per appoſitionem à fluido interno (ad hujuſmodi productorum claſſem, de quâ Steno *de ſolido intra ſolid. p. m.* 37. aliqua monet, molæ ſaltem quoad incrementum referendæ ſunt:) donec in eam extenderetur magnitudinem, ut cancellis vaginæ coërceri non potuerit; An quod ab violentâ rudique obſtetricis manu maſſa illa immodeſtiùs eſſet tractata? Nihil certi quidem ex ægra hâc de re explorare licuit. Cùm tranſverſum mola hæc diſſecaretur, in meditullio ejus cavitas (tanquam rude uteri veſtigium,) quam Lamſwerde etiam in tumore ſcirrhoſo, qui vices uteri explebat, conſpexit, ut ipſe teſtatur *in hiſtor. molar. p.* 14. apparebat. Cæterum tota mola maſſæ carneæ fibroſis gyris diſtinctæ ſimilis reperiebatur. Adeò dura non erat, atque hinc ſubit mirari, quòd Plinius *lib.* 7. *Nat. Hiſt. c.* 15. ſecutus, ut vero ſimile eſt,

Ariſtot. *lib.* 4. *de generat. anim. c.* 7. & *lib.* 10. *de hiſtor. anim. c.* 7. in definitione molæ addiderit, *eam ferri ictum & aciem reſpuere.* Color illius magis ad rubrum vergebat, odor erat cadaveroſus, tota verò moles hæc informis carni & denſitate & humiditate non erat abſimilis. Ab accuratiori examine D. Oehmb & Helwich intolerabilis fœtor avocavit. Mulier, quæ ſarcinam hanc geſtavit, ab ultimi puerperii, quò ante 10. annos defuncta erat, tempore, ſemper cauſariâ fuit valetudine. Ante luſtrum alii juncta marito fuit, dum autem ei menſes ſiſtuntur, abdomen intumeſcit, mammæ ſororiantur, cibi urget faſtidium & ventriculus ſubinde ad vomitum laceſſitur, utero ſeſe gerere credit. Poſt aliquot verò hebdomades hæmorrhagiâ uterinâ, quæ per quatuor annorum intervallum frequentiſſimis periodis recurrit, correpta eſt, ac indies ſanitas ejus deteriori cœpit eſſe loco, quod ex facie diſcolori, dejecto ciborum appetitu, œdematoſô pedum tumore, ventris duritie, anhelitus difficultate *&c.* facilè intelligi potuit. Crebræ eæque flebiles de graviſſimis & acutiſſimis in abdomine puncturis querelæ ejus auditæ fuerunt, ut videas vel ex hôc exemplô, puncturas non male à Cl. Cratone peculiare molarum ſignum conſtitui. Plumbeo etiam pondere in imô ventre ſeſe vehementer fatigari, ac uterum ſuum ad excutiendum fœtum mendoſum irritari, aliis mulierculis ſæpiſſimè faſſa eſt.

Non rarò præterlapſis his annis Vratislaviæ contigiſſe meminimus, ut mulierculæ ægrotantibus gravidis adſtantes & medicos alios & noſmetipſos etiam in non adeò periculoſis prægnantium morbis, monuerint, perpendendum eſſe, annon è re ſit maturè moliri fœtus excluſionem, ut mater ſalvetur; nam hâc in re non exiguam ſanitatis ſpem illæ collocant. Loquacioribus in ore eſt ab arboribus & ramis, jam olim à Theodoro Priſciano uſurpata ſimilitudo, quam procaciter urgent ad tædium uſque, ut fœminæ vehementer cupiunt, quæ cupiunt, ingeminantes: arborem conſervandam eſſe, quicquid etiam agatur de ramis, & quicquid etiam de fructu fiat. Tuentur etiam opinionem hanc ſuam auctoritatibus & exemplis Medicorum, quos hâc in re, non adeò difficiles fuiſſe cauſantur. Et certum eſt, quòd frivolis etiam de cauſis abortum veteres non nulli Medici cenſuerint provocari poſſe. Avicenna *in lib.* 3. *fen.* 12. *c.* 12. licitam cenſet procurationem abortus, *ſi ſit mulier tenera, & partus laboribus ſuſtinendis impar judicetur*; quaſi non ſatis conſtaret, multas in tenerrimâ ætate peperiſſe, ſicuti patet ex Plinio *l.* 7. *c.* 2. Arrianô *rer. Indic. c.* 174. Sigiſm. ab Herberſtein *p.* 104. Aug. Busbequio *in epiſt.* 3. *de Legat. Turc.* ac itinerariis multis. Aetius *Tetrabibl. & ſerm.* 4. *c.* 16. fœtus corruptionem non obſcurè ſuadet, quando *uterus fœtæ parvus eſt, aut collum uteri anguſtum, aut intra ſe condyloma habet*; Cùm tamen à nullo hactenus medico fuerint parvi uteri ulla, quantum ſcimus, obſervata indicia aut ſigna. Alii pharmaca φθόρια concedunt, *ſi veſica debilis* ſit, & *ex incumbente utero pleno ejus metuatur ruptura*, cùm iterum ex nullis tecmeriis veſicæ debilitas colligi poſſit. Multò ſecurius negotium expulſionis aggrediuntur nonnulli, quando fœtum debilem eſſe ac moriturum augurantur, quaſi non ſæpè Deus ſoſpitet,

tet, quos Medici morti addicunt; & non quotidiè experiamur, vera eſſe illa Averrois verba: *Sanantur interdum ægritudines, quibus nec Medicus, nec natura videbantur ad curam ſufficere.* Noſtro tempore & potiſſimùm apud nos agitatur quæſtio hæc de expellendo fœtu, cùm gravida morbo acuto corripitur. Ventilarunt illam præcipuè Theologi morales, ac non uno modo eam definiverunt. Paſſim recepta eſt ſententia Thomæ Sanchez Cordubenſis Theologi è Soc. Jeſ. *l.9. de S. matrim. Sacram. diſput.* 20. ubi contendit, *licere prægnanti Medicinis uti, & Medico eas applicare etiam cum abortus periculo, quoties mater periclitatur, & eæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt, modò non directè ad fœtus occiſionem tendant, in unico* autem caſu *lethaliter peccare contra charitatem & prægnantem medicamenta aſſumentem, & medicum applicantem, ubi ſpes probabiliſſima à peritis Medicis concipitur, fore, ut matre ab iis medicamentis abſtinente cum vitæ tamen propriæ periculo fœtus in lucem prodeat,* ut *baptizari poſſit; ea autem aſſumente pereat fœtus baptiſmate minimè recepto, quod ordo charitatis adſtringat unumquemque & præferendam vitam ſpiritualem proximi propriæ corporeæ.* Placuit illa deciſio etiam Paulo Zacchiæ *in quæſt. Med. legal. lib.* 6. *tit.* 1. *quæſt.*7. *N.* 16. *p. m.* 503. Argumenta, quibus utitur ad confirmandam ſententiam ſuam Sanchez, ſunt communia, *quod actiones humanæ bonitatem & malitiam habeant ex eo, quod per ſe eſt in operantis intentione, non autem ex effectu per accidens ſubſecuto; quod per accidens ac præter intentionem occidere nulla ſit culpa,* ut, quando in bello juſto comburitur civitas tormentis aut igne admoto, in quâ multi ſunt innocentes, ut infantes &c. *quia invadente fera mater fugere poteſt, etiam cum abortûs periculo &c.* Hanc ſententiam arbitrantur aliqui eſſe ſecuriorem, cùm fœtus nondum eſt animatus, & verbo medico ἔκρυσις ſequitur, præprimis cùm juxta illud (quod tamen ex Chriſtianis vix admiſerit quiſpiam) vulgatum: *Non eſt homicida, qui abortum procurat, antequam anima corpori ſit infuſa.* Conf. Franc. Torreblanca in *Epitome delictorum lib.* 2. *c.* 43. *p.* 311. ſed nihilominus meritò dixeris, illam ſententiam eſſe ſecuriſſimam omnium, quæ negat ullo modo, aut ad ullum finem, etiam ad ſervandam matrem, licere fœtum expellere, quam ex medicis defendunt Mercurialis *lib.* 2. *de mulier. morb. c.* 2. Silvaticus *in controv. Medic. Controv.* 82. Codronch. *l.* 1. *c.* 22. Rodericus à Caſtro, Joan. Henricus Meibomius & alii. Fortaſſis autem etiam impoſterum alii noſtri ordinis eandem nobiſcum ſequentur opinionem, ubi rem paulò accuratius perpenderint & ex medicis principiis dijudicare cœperint. Nobis quæſtio illa, *an in febri acutâ gravidæ medicamentis liceat fœtum pellere, ut mater in vitâ conſervetur,* alias quæſtiones conſideratu digniſſimas vel præſupponere, vel involvere videtur. Inter quas 1. eſt, an *dentur revera medicamenta, quæ infallibiliter fœtum abigere poſſint?* Nam ſi talia Medico fortaſſis ad manum non ſunt, temerè ad ejuſmodi finem alia remedia gravidis obtrudi prudentia medica dictaverit. 2. Si autem aliqua ἀμβλωτικὰ, quamvis non in rigore ita dicta reperiantur medicamenta, ſecunda exſurgit quæſtio, *cujuſnam generis illa ſint, & quo-*

modo

modo operentur? Nam ſi fortaſſis nimiùm calida fuerint, aut operationis nimis vehementis, ſine dubio religioni ſibi duxerit Medicus æſtuantibus illa infundere viſceribus, & ignem addere igni, ac vires dejectas magis magiſque ſupprimere. 3. Quæritur, *quanto temporis ſpatio abortum procurare queant?* ſi enim aliquot dies uſui horum medicamentorum impendendi fuerint, Medicus conſcientiæ ſuæ rationem habens, meritò angetur & trepidabit, quòd per tempus notabile præcidatur ſibi occaſio exhibendi remedia febri acutæ oppoſita, dùm pellentium uſui ſibi inhærendum cenſet. Quarta verò quæſtio eſt, an *abortus fortaſſis inſequens occaſio poſſit eſſe, aut cauſa ullo modo, ut febris acuta & citiùs & tutiùs & jucundius poſtea tollatur*, ſin illud ſecus habet, imprudentia & impietas ſumma eſt, abortum procreare, ex quo nulla ad ægrum redundat utilitas, imò evidens fortè damnum. De his itaque quæſtionibus tria nobis addere verba ex indulgentiâ lectoris integrum eſto. Quantum itaque ad primam quæſtionem attinet, ea apud pleroſque eſt extra controverſiam, imò fortaſſis de illâ dubitare velle, hodiè cenſeretur fere piaculum. Nam & civiles & Eccleſiaſticæ leges illam tanquam certam præſupponunt, ac graviſſimas exhibentibus & ſumentibus ejuſmodi pharmaca pœnas irrogant. Nota ſunt Ulpiani illa verba: *Mulierem, ſi viſceribus ſuis vim intuliſſe conſtiterit, quo partum abigeret, à Præſide Provinciæ in exilium exigendam.* Paulus adhuc graviori ſubjicit pœnæ, *& ſummo ſupplicio affici debere* ſanxit, *ſi mulier, aut homo eò perierit.* Auguſti verò Imperatores, Valentianus, Valens & Gratianus *piaculum infantis necandi aggreſſos ſupplicio capitali puniendos cenſuerunt.* Nec minùs canones Eccleſiaſtici ſeverè hoc facinus prohibent, & iiſdem pœnis Eccleſiaſticis afficiuntur, quibus olim homicidæ afficiebantur. Synodus Conſtantinopolit. ſexta *can.* 93. expreſse decernit, *tàm eas, quæ propinant, quam quæ aſſumunt abortiva, homicidarum pœnis ſubjiciendas.* Sixtus V. *in bullâ, quam anno* 1588. *promulgavit*, decernit, ejuſmodi homines puniendos ut homicidas, *qui deliberatum homicidium reipsâ perpetrarunt.* Nec minùs alii ex S. Patribus hâc de re in eundem ſenſum loquuntur. Nota ſunt illa S. Auguſtini: *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec conceptos aut natos occidat &c.* Admodum ſignificanter Tertullianus *lib. adverſ. gentes* ſcribit: *Etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet: homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet.* Ex Philoſophis quoque Ariſtoteles in eâdem fuiſſe ſententiâ videtur, quod medicamenta inveniantur, abortum pro lubitu cientia, id quod colligitur ex illaudabili ejus conſilio *l.* 7. *Politic.* ubi ſuadet, ut, *ſi conjugibus plures liberi, quam legibus definitum eſt, naſcantur, priuſquam vita & ſenſus inferatur, abortus fœtui inferatur.* Poëtæ etiam ea de re ut ſatis certâ loquuntur. Apud Juvenalem *Satyr.* 6. fœminæ divites & luxuriæ deditæ reprehenduntur:

Quod

Quod jacet aurato vix ulla puerpera lecto,
Tantum artes hujus, tantum medicamina proſunt,
Quæ ſteriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.

Denique ipſe Medicorum Parens, Hippocrates, in jure jurando vult Medicum quemque in hæc verba jurare: *Nec mulieri peſſum ad fœtus corruptionem ſubjiciam*, h. e. ſi credimus Scribonio Largo *epiſt. ad Jul. Calliſtum*, medicamentum, *quo conceptum excutitur*. At verò, ne quicquam diſſimulemus, hic locus quidem fruſtra adducitur. Nam omninò hîc Hippocrati ſermo eſt de ſuppoſitorio, quod intra ſinum pudoris recipitur, quod ab aliis ἐγκολπισμὸς vocatur. Nonnulli etiam πριαπίσκον vocant; ab Aureliano *lib.* 4. *chronic. c.* 7. βαλανὸς nuncupatur. Et vix dubium eſt, quin peſſus Hippocratis ſit *hebes ille uncus* Tertulliani *in lib. de anim. c.* 25. quo *totum pecus* (veteres, quicquid non erat homo, pecus vocabant) *attrahitur violento puerperio;* aut inter tela Ovidii *l.* 2. *amor. Eleg.* 14. numerari queat. Hûc ſanè reſpexiſſe Poëta credi poteſt, dum ita tales fœminas alloquitur:

Veſtra quid effoditis ſubjectis viſcera telis?

Reliquorum à nobis adductorum teſtimoniorum auctoritati nihil quicquam detrahetur, ſi dixerimus, verum quidem eſſe, quòd interdum uſum medicamentorum fœtus immaturi abigendi gratiâ exhibitorum ſequatur abortus, ac tàm exhibentes, quàm accipientes ejuſmodi remedia ex meritò ſeveriſſimis coërceantur pœnis & civilibus & eccleſiaſticis, ac nihilominus intrepidè affirmaverimus cum Mich. Boudewin *ventilabr. Medico-theolog. p. I. quæſt.* 26. *non poſſe aſſignari in universâ medicinâ medicamentum tale, ad quod neceſſariò & infallibiliter ſequatur abortus.* Cujus aſſerti veritas evidentius elucefcit, ſi medicamenta, quæ pro ciendo abortu dari conſueverunt, breviter percurrerimus. In hunc cenſum referuntur ex univerſalibus primo *purgantia draſtica*, 2. *Vomitoria*, & ex ſubſidiis chirurgicis 3. *V. S.* in pede adminiſtrata. Ex ſtimulantibus ac pellentibus huc inter ſalina pertinet borrax Veneta, quæ ſalis uterini nomen adepta eſt, ♀ ea autem crocus, myrrha, ſuccinum, ejuſque oleum, ut & oleum deſtill. junip. ſabinæ &c. nec non ſpecificum Helmontianum hepar anguillæ c. felle exſiccatum &c. Quòd purgantia etiam vehementiſſima gravidis propinata fœtum non excutiant, etiamſi ſæpiſſimè reiterentur, omnis dies docet. Ante aliquot annos gravida coqua, ex errore diagnoſeos, à chirurgo credebatur hydropica. Incredibile dictu eſt, quot non fuerint exhibita vehementiſſima purgantia, nec tamen ullus inde ſecutus abortus, ſed juſto tempore, proles maſcula, valdè debilis, in lucem hanc prodit. Hujus commatis hiſtorias plures recenſere, neque enim rarò ejuſmodi errata contingunt, jam non vacat. In Ephemeridibus Germanorum

manorum ex Martiano annotavimus, quòd ab emeticis non ſit metuendus gravidis abortus, ſicut multoties fuimus experti. Et quis ignorat, quantis vomitibus gravidæ tribus aut quatuor menſibus prioribus (citra tamen abortum) ad ſtuporem uſque adſtantium fatigentur. Non tantùm ex Thom. Bartholini *obſerv. in Ephem. Germ. Decur. I. ann. I. obſerv.* 52. ſed & propriâ experientia novimus, ope ☿ii ſalivationem, quæ & cum vomitibus & ſedibus non rarò ſub initium conjuncta eſt, in gravidis, citra fœtus damnum fuiſſe excitatam. Venæ ſectionem quod attinet, non diffitemur inter Hippocrat. *aphoriſm. ſect.* 5. legi & *ſeqq. qui in ordine eſt* 31. *Mulier uterum ferens abortit ſectâ venâ, eoque magis, ſi fœtus ſit grandior;* at verò illum in Europâ non confirmat experientia. In Galliâ Riverius ſepties, niſi fallimur, phlebotomiam celebravit in gravidâ, quæ tamen nequaquam abortiit. Labores concatenati non permittunt, ut adductis Auctorum teſtimoniis demonſtremus, quod in Belgio, Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ, jam non rarò, ad præcavendum abortum, ex ſuaſu Celeberrimorum Medicorum ſecetur vena, tantùm abeſt, ut hodie in illis locis credatur per V. S. abortum poſſe procurari. Salaces mulieres ac impudicas puellas tumente utero nequicquam ad ſaphænæ ſectionem confugere, etiam tonſoribus noſtris conſtat. Foreſtus quoque *l.* 29. *obſ.* 24. refert: *Fœminæ cuidam octavo gravitatis menſe varices propè talum ultro fuiſſe exeſos, & plus quam tres ſanguinis libras emiſiſſe*, & nihilominus tamen feliciter peperiſſe. Mulier quoque illa apud Zacutum Luſitanum *l.* 2. *prax. admir. obſ.* 114. præter aſſumpta valida purgantia, exactiſſimam inediam, viribus invalidis ad ſaphænæ phlebotomiam decies & ter celebratam, ac hirudines in ſede ter applicatas ſe convertit, ſed nunquam voti ſui compos evadere potuit, imò geminos nono menſe obeſos edidit in lucem. Imò, quod fidem penè omnem excedit, narrat Stalpartius *Cent. I. p. m.* 275. *ſeqq.* mulieri uno eodemque fœtu gravidæ quadragies ac novies venam fuiſſe ſciſſam, eamque ſub noni menſis finem vivis intereſſe deſiiſſe, nullâ oris uteri interni apertione factâ. Nec majus præſidium proſtitutæ pudicitiæ fœminæ in pellentibus inveniunt. Narratur *in Ephemerid. Dec. II. ann.* 3. *obſ.* 106. mulierem quandam per integras tres ſeptimanas, ſingulis diebus, mane centum guttas ⸰°⸰ deſtillati juniperi adhibuiſſe, & tamen poſtea filiam fuiſſe enixam. Novimus aliquas oleum ſabinæ in largâ quantitate hauſiſſe, ac citra ullam noxam deinceps peperiſſe; & profectò, ſi quis paulò curioſiùs inquirat, creberrima experientiâ convincetur, ac confeſſione meretricularum, quàm fruſtraneo conatu pellentibus famæ ſuæ, cujus diſpendium ex læſa pudicitiâ jure metuebant, conſulere voluerint. Subit adhuc memoria eorum, quæ alicubi tentavit pharmaceutices ſtudioſus, cùm ei copiam corporis ſui feciſſet honeſti civis filia, eaque poſtea uterum gerere cœpiſſet; ſi brevibus rem, multis ambagibus perplexam, eloqui licet, omnia egerat, quò fœtus immaturus è domicilio uteri excuteretur, ſed infelici hoc eventu, ut malè ſibi conſcius ſtatione ſuâ ſemetipſum citius moveret, quam fœtum, qui juſto de-

mùm

mùm tempore ergaſtulum uteri materni perrupit. De difficultate hâc abortum provocandi fuſius diſſerit Vir Clariſſ. Dn. D. J. P. Albrecht *in Ephem. Dec. II. ann.* 8. *obſerv.* 165. *p.* 384. *& ſeqq.* cujus integra obſervatio legi meretur. Porrò facile etiam declarari poterit quæſtio ſecunda, cujuſnam ſcilicet *ſint generis* remedia illa, quæ interdum, quanquàm fortaſſis paulò rarius, propter effectum verè ἀγώγημα dixeris. Purgantia draſtica, cujus ſint indolis, cuivis notum eſt. Habent autem hoc cum reliquis pellentibus commune, quòd magnum orgaſmum ac ebullitionem in humoribus concitent, & reſolvendo pariter, ac fundendo agant, quicquid agunt; ut videas, quàm inconſultum ſit, æſtuantibus præ febrili ardore viſceribus ad uſum horum remediorum deſcendere. Imò, ſi rem rectè perpendas, nec mitiora quidem nervina ac balſamica ex plantis nervinis, cephalicis & uterinis in morbis acutis conveniunt. In febribus acutis cum majori ſanguinis calore & fortiore ejuſdem transpulſione ordinariè ferè conjuncta eſt partium muſculoſarum & membranoſarum tenſio, undè fit, ut vultus etiam in obeſioribus & vivacioribus ferè ſint contracti & macilenti, palleant, aut inæquali rubore tingantur. Et niſi fallimur, etiam ille exquiſitior ſenſus, qui in febricitantibus animadvertitur, non aliunde niſi à majori partium ſtricturâ & tenſione ac arctatis pro copioſiori ſecretione poris dependet. Jam verò nervina etiam mitiora inſigniter æſtum augent & ſtricturam partium poroſarum intendunt, quod niſi facerent, non capi poſſet, quomodo partes membranoſas uteri, & glandoſas papillares ad effundendum ſanguinem ſtimulare valerent. Ac propterea etiam hoc reſpectu malè ejuſmodi remedia febricitantibus gravidis applicantur. Tandem, quicquid etiam hæc remedia agant, ac quomodocunque operentur, tardè ſatis & vix intra ſeptimanarum aliquot, imò & menſium tempus ſperatum edunt effectum. Toto hoc experimur die in menſium ſuppreſſione, in quâ, etſi mulierculæ & barbitonſores, rudiſque empiricorum cohors, ſæpè pellentibus miſeras per ſeptimanas & menſes afflictim fatigent, voto tamen ſuo non damnantur, nec guttam ſanguinis, validis hiſce remediis ex utero elicere queunt. Enim verò notum eſt, quam brevi periodo febres acutæ finiantur, quamque hìc præceps ſit occaſio, quam prudentis eſt non é manibus dimittere, eoque minus Medicus ad remedia à præſenti morbo alieniſſima, vix per aliquot ſeptimanas effectum aliquem editura deſcendet, nam curas tam longas ſpes vitæ brevis periclitantis gravidæ inchoare vetat. Tandem abortus nec occaſio, nec cauſa eſt ullo modo, ut deinceps febris, eo fortè ſecuto, rectius per medicamenta tractari poſſit, ut patet conſideranti aliquas notabiliores abortus circumſtantias. Non jam dicetur aliquid de doloribus, quos irritatus uterus & fibris transverſis agentibus in ſe contractus excitat immenſos, quibus tamen nihilominus vires gravidæ febri aliquot dierum jam antea fractæ magis & magis dejiciuntur; ſed tangemus tantùm 1. violentam placentæ ab utero ſeparationem, quâ uterus valdè excoriatur, & ingens, ut ita loqui liceat, ulcus internum excitatur, cujus deterſioni & mundificationi

deinceps invigilandum eſt, ne graviſſima ægræ mala accerſantur. 2. Vehementiſſimum illum ſanguinis fluxum, qui abortum ferè ſemper comitatur, ob placentam ab utero quaſi dilaceratam, aut ad minimum ægerrimè ab eo ſeparatam, quâ vires ſummoperè proſternuntur, quo reſpectu partus legitimus abortu ſemper tolerabilior eſt; nam illo appropinquante placenta facillimè ab utero ſeparatur, ſicut Harveus alicubi, niſi fallimur, obſervavit. 3. Lipothymias, ad quas abortientes præ parientibus valdè ſunt pronæ, ſicco pede præterire non poſſumus, quæ, quantum periculi in acutis portendant, nemo in praxi exercitatus ignorare poteſt. Hæc itaque quoniam cum abortu connexa ſunt, mente captus ſit, neceſſe eſt, qui credit, excluſionem hanc doloroſiſſimam fœtus præbere poſſe occaſionem rectius occurrendi debitis remediis febri acutæ. Imò neceſſitas imponitur medico poſt abortum, ut debitum ac ſufficientem lochiorum fluxum per medicamenta apta, quantum in ſe eſt, conſervet, ne vel ſanguinis grumi, vel aliud quid præternaturale poſt partum in cavitate uteri remaneat, & ſæva inducantur ſymptomata, ac præcipuè, ut ulcus uteri liberiori lochiorum fluxu detergatur & mundificetur. Quomodocunque res conſideretur, undique eluceſcit, quòd per medicamenta abortum procurantia, mater non tàm ſervetur, quam in manifeſtum vitæ periculum præcipitetur. Res vulgò innotuit ac Poëtis. Ita enim Ovidius *l. 2. amor. Eleg.* 14.

Dùm labefactat onus gravidi temeraria ventris,
In dubio Vitæ laſſa Coronna jacet.

& iterum:

Sæpè ſuos utero, quæ necat, ipſa perit.
Ipſa perit ferturque rogo reſoluta capillos;
Et meruit, clamant, qui modo cunque vident.

Hâc viâ periit Teſinii uxor apud Hippocr. *l.* 5. *&* 7. *epidem. cùm ultro pharmacum corruptorium hauſiſſet.* Et rectè judicat Suetonius *in Domitiano c.* 22. quòd Domitianus fuerit cauſa mortis filiæ fratris, dum coëgit eam, *ut conceptum abigeret.* Sit tamen, qui ex voto ſibi ſucceſſiſſe abortus provocationem fœtuque exturbato matrem à morbo vindicatam glorietur, id rectum *ex errore erit judicandum*, inquit *Roder. à Caſtro de morb. mul. l.* 3. *c.* 21. *in ſchol. quod imitari non licet, nec prudentiæ Medici tribuendum eſt, ſed mulierum robori, quod erratum medicantis valuit ſufferre*, ut pulcherrimè Henr. Meibomius. Tandem & hoc conſiderandum eſt, quòd non omnes gravidæ morbo acuto correptæ pereant. Notus nobis eſt Hippocrat. *aphor.* 30. *ſect.* 5. *Mulierem uterum gerentem ab aliquo morbo acuto corripi, lethale eſt;* ſed & hoc effatum non ſemper, ſed utplurimum tantùm

exiſtit

exiſtit verum, & pro robore *naturæ in gravidis variat etiam periculum, à morbis acutis vel ægræ, vel fœtui metuendum*, ut rectè ad hunc aphoriſmum notat Wedelius. Nam quædam gravidæ etiam acutas malignas febres feliciter ſuperant, ut vidua D. Lachmund, quæ poſt hujus obitum *gravida ſuperſtes febre malignâ atrociter infeſtata, ac nihilominus à truculentiſſimo morbo feliciter liberata, poſt aliquot ſeptimanas, ſine multis difficultatibus peperit filiam optime conſtitutam*, ut narratur *in Ephemer. noſtr. Dec. II. ann.* 8. *p.* 386. Si autem non omnes pereunt neceſſario, cur abortum per ſe periculoſum, pro ſalvandâ matre, concitare vellemus? Et ne quis lætetur, cum prægnantem in morbo acuto abortire videt, ſcire eum cupimus, eum abortum nihil læti ominari, ſed judicem eſſe ſummæ debilitatis ac inſtantis mortis. Et propterea fortaſſis non malè Schelhammerus *in Ephemer. l. c. p.* 395. ſtatuit, *in acutis, non vi morbi, multò minus medicamenti cujuſdam draſtici mulieres abortire ſed fracto naturæ robore, & quòd illata vi, omnes corporis partes ac viſcera fibris ſuis laxentur, ipſe etiam embryo debilitetur, ut ſuſtinere ſe non poſſit, ſed concidat languens & in utero collabatur &c.* Concludimus ergò cum Sylvatico *in controverſ. p.* 362. *Undiquaque deteſtandum eſſe flagitium hujuſmodi, abortuſque procurandi ſententiam execrandam eſſe, utpote quæ liberos prius vitâ privare contendit, quàm illi propriam lucem à natura accipere potuerunt &c.* His aliiſque rationibus motus Collega noſter D. Helwich hactenus nunquam ullo remediorum genere fœtus excluſionem in acuto gravidarum morbo moliri voluit, & cum eô re perpenſa cenſemus, rectè quemvis medicum facturum, ſi omiſſis abigendi fœtus curis prudenter & cordatè methodo febribus acutis convenienti ejuſmodi gravidas tractaverit.

Nihil jam amplius reſtat, quàm ut pro more noſtro catalogum in Civitate Vratislavienſi per ſingulos anni 1701. menſes defunctorum breviter ſubnectamus. Nimirum ſarcinam corporis mortalis depoſuerunt,

In Januario - -	86	Julio - -	63.
Februario - -	100.	Auguſto - -	114.
Martio - -	76.	Septembri - -	120.
Aprili - -	86.	Octobri - -	115.
Majo - -	81.	Novembri - -	103.
Junio - -	70.	Decembri usque ad 24. d. - -	82.

Summa 1096.

HISTORIA
MORBORUM,
QUI
ANNO MDCCII.
VRATISLAVIÆ
GRASSATI SUNT,
A

COLLEG. ACADEM. LEOPOLD.
NAT. CURIOSOR. VRATISLAVIENS.
IN LUCEM EDITA.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

E*Cce poſt longum ſatis mirum & diuturnum ſilentium Hiſtoriæ noſtræ morborum Vratiſlavienſium continuationem*, annum ſcilicet quartum. *Miraberis, nos non eadem, qua cœperamus, ſedulitate perrexiſſe. Initia, inquies, fervebant; nam inter tres annos non tantum* tria hiſtoriæ morborum *volumina, ſed &* prodromus examinis animadverſionum Gr. in hiſtoriam morborum Vratiſlavienſium, *& ipſum quoque* examen & caſtigationes earundem animadverſionum *publicam aſpexerunt lucem; medium tepebat, præter curatam enim ad votum & deſiderium multorum* novam Hiſtoriæ noſtræ editionem obſervationibus *quibuſdam & appendice*, tractatu *nimirum* de experientia *auctam, non niſi* obſervationes practicæ de Hydrope pectoris *anno currentis ſeculi ſexto fuerunt editæ; Friguerunt hactenus, fatemur, ultima: Sed, abſit jactantia verbo! non deferbuit noſter in artem nobiliſſimam affectus & ſtudium. Crevêre interea noſtri labores, ac illius Collegæ, qui onus ſcribendi in ſe ſuſcepit. Unus enim fuit, qui more in Collegiis ubique terrarum recepto & manum operi & calamum admovit, ac obſervationes noſtras partim viva voce, partim ſcripto ipſi communicatas, nominibus noſtris ubique additis, hiſtoriæ*

contextui, qui poſt elaborationem ab omnibus nobis relectus eſt, magna fide inſeruit. Is eſt, ut Eruditis paſſim conſtat ex Novis literariis Germanicis An. 1706. Menſe Novemb. p. 362. *ac* Nouvelles de la Republique des Lettres, Mois de Mars An. 1707. artic. *6.* p. 345. &c. *noſter ab anno præterlapſi ſeculi nonageſimo ſexto, quo relicta Pruſſia, Patria ſua, hic Vratiſlaviæ ſedem fixit, & in Academia Leopoldina Imperiali & multis de ægrorum ſalute conſultationibus, adeoque rerum noſtrarum apprime gnarus Collega* D. Chriſtianus de Helwich. *Illum & clinici & alii literarii labores hactenus occuparunt. Luctus etiam* [illegible]*um, cui per mortem filiæ ſibi unicæ charæ* Catharinæ Dorotheæ *immerſus fuit, animum ejus ita perculit & afflixit, ut per multos menſes mente tranquilla his ſtudiis vacare non poſſet. Cùm verò undique a doctiſſimis viris & exercitatiſſimis Practicis ad opuſculi continuationem ſollicitaremur, prædictus Collega noſter horulas illas, quas a clinicis laboribus ac continuis interpellationibus utcunque vacuas habuit, huic labori impendit. Prioribus veſtigiis & in hoc anno inſtitimus. Fuit, eſt, & erit nobis Medicina, Jani inſtar bifrons, altera facie veterum monumenta, altera autem moderna inventa reſpiciens. Placuit nobis ſemper indefeſſum antiquorum obſervandi ſtudium in Semeiotica, Diagnoſi & Prognoſi, neutiquam tamen vetuſtatis amore ita excæcati fuimus, ut obliquo recentiorum experimenta, inventa & merita oculo aſpiceremus. Credidimus ſemper, Medici-Philoſophi eſſe, nectere nova antiquis & boni Practici, in ſuccum & ſanguinem vertere utraque. Propterea per illa luſtra, quibus clinicæ Praxi inſudavimus, antiquorum obſervata venerabundi magni fecimus, modernorum tamen placita neutiquam ſumus deteſtati, laudata quoque chymicorum medicamenta non flocci pendimus, omnia vero experientiæ propriæ ac judicii lance ponderavimus, ac, quæ dubiæ ſunt, ulteriori diſquiſitione reſervavimus. Hujus propoſiti & conſilii tenaces nudam ſaltem Dianam, id eſt, praxin clinicam fauſto & infauſto eventu porro ſiſtimus. Quemadmodum verò non ſine modeſto rubore experti ſumus, hos noſtros conatus viris bonis & in arte facienda exercitatis hactenus non diſplicuiſſe; ita eundem nobis favorem pollicemur, obſervationeſque noſtras publicæ luci exponimus,* DEUM *ex animo precati, ut aliqua ex lectione earundem, Lector erudite, utilitas ad* Te *& ægros redundet! Vale!*

J. J.

J. J.

Conſtitutio aëris per tres menſes priores.

Filum Hiſtoriæ noſtræ nos ducit ad ſeculi decimi octavi annum ſecundum. Per hujus Januarium variis aëris mutationibus Vratislaviæ obnoxii viximus. Initia quidem menſis frigore aſpera erant minimè diuturno, maxima verò ejus pars inter nebularum, ventorum, nivium, imo & pluviarum viciſſitudines effluxit. Ineunte Februario cœlum nubibus & pluviis turbidum. Elapſis aliquibus diebus ſerenus nobis illuxit Sol, ita ut die menſis ſeptimo Veris delitias perguſtaremus. Amœnitas illa ſemel iterumque pluviâ & nebulis parum interrupta, nihilominus ferè ultra menſis medium duravit. Reliqui dies ferè omnes, excepto 23 & 24, vel propter nebulas, vel propter ventos, vel propter nives; vel tandem propter pluvias minimè grati fuère. Sub initium Martii omnia gelu rigebant, ſed altero mox die terra nive cooperiebatur, quæ brevi liqueſcebat. Tertius pluviis, nive, ventis horrebat. Et ut brevibus dicamus, toto ferè menſe aëris inconſtantia erat, modò ningebat, modò pluebat, modò venti ſpirabant. Decimus nonus & pauci alii e. g. 21, 23 per intervalla erant ſereni.

Affectus Rheumatici.

Frequentiſſimi hoc tempore occurrebant affectus Rheumatici vel nullâ, aut certè non admodum notabili febri utplurimùm ſtipati. Quidam ex ægris ſub initium horrore & rigore concutiebantur, frigus hoc calor non adeó vehemens excipiebat, ac poſt aliquot horas ſpontè iterum remittebat. Tantum non omnes dolorem, quem Scholæ tenſivum vocant, circa dextram cervicis partem percipiebant. Is impedimento iis erat, quò minùs ad oppoſitum latus caput liberè moverent. Brevi poſt malum diffundebatur in ſcapulas, & humeros, ubi tantas ſubindè agebat radices,

ut ægris per menſes multos negotium faceſſeret. Innotuit nobis hoc tempore aliquis, qui jam Wolaviæ agit, cui, quicquid etiam tentaret, (tentavit autem multa) per annos integros inſigni cum tædio hæc moleſtia devoranda fuit. Quæ tantò major erat, quod, ſicuti etiam aliis uſu venire ſolebat, ſub mali principio per intervalla acutis, lancinatoriis ac vibrativis doloribus mulctaretur, à quibus nec dorſum uſque ad lumbos immune reſtabat. Noſtrum etiam conſilium imploravit Æger, cujus pectus à claviculâ ad cartilaginem enſiformem & ad coſtas ſpurias infirmas atroci cruciatu obſidebatur. Sub manibus fuère, quorum hypochondria dolore non vacabant. In paucis admodum femora & tibias laboraſſe meminimus, & ut differentiam inter arthritidem & dolores rheumaticos videas, hi non circa articulos, ſed loca intermedia carnoſa hærebant, ſecus ac in arthriticis fieri ſolet. Cujuscunque verò generis cruciatus fuerint, ſive ex claſſe tenſivorum, ſive lancinatoriorum, aut etiam tantum gravativorum cenſu exiſterent, ferè circa noctem ingraveſcebant; circa horas matutinas minuebantur. Aliqui ex iis de ſiti conquerebantur, cuncti autem cibos faſtidiebant; unus & alter etiam ad vomitum pronus. Rauci erant, in quibus malum circa pectus ſedem fixerat. Præmiſsâ Venæ ſectione, cui tempeſtivè adminiſtratæ meritò plurimùm in hoc affectu tribuimus, diaphoreſis blanda matutinis horis inſtituta ægris ſolabatur. At cum ſudoriferis calidiſſimis maſſa humorum exagitatur, quod Vratislaviæ non tantum plebi, ſed & cordatioribus ferè ſolemne eſt, dolores quam maximè intenduntur. Aliqui inconſultò & non ſine damno illicò ad ſacram Medicaſtrorum anchoram, Decocta, inquam lignorum convolant. Quando autem dolor circa lumbos, partes vertebris adjacentes dextras pariter ac ſiniſtras occupat, tum abſque omni hæſitatione de Calculi renum præſentiâ decernitur. Peſſimè res antinephriticis, quæ plurimum obeſſe circumſpecta docet experientia, geritur, dolendumque eſt, quod etiam à Medicis, ac his non infimæ claſſis, totô die hæc incautis obtrudantur. In externis mirè luxuriant hic locorum, à quibus tamen præſtaret vel planè abſtinere, vel ſi ægrorum precibus aliquid dandum fuerit, Spiritus Vini, in quo ſapo Venetus cum camphorâ quomodocunque ſolutus, uſus vel ſolus ferè ſuffecerit, nec tamen rejecerimus miſturam Celeberr. Lentilii, quâ dolores fuiſſe mitigatos ſatis enormes recordamur. Ea ſequens eſt:

℞. Ciner. clavell. ℥iij pulveriſ. affunde
▽ fl paralyſ.
carvi.
fœnicul. aa. ℔j
ſolve & ſolutioni injice
🜍 ♓ci depurati & in pulverem comminuti. ℥jß.
ſolve vitro probe clauſo, ſolutionem filtra & in vitro probe munito ſerva, nodulo inſuper ſuſpenſo in liquore ex
Caſtor. opt. ʒj.
Theriac. Venet. ʒij.

Hâc

Hâc partes dolentes (cute prius pannis maſtiche & ſuccino fumigatis ad rubedinem perfrictâ) illini jubet, opemque non ſine ratione præſentiorem, quam ex litibus aliis expectat.

Paſſim graſſabantur etiam Variolæ majori ex parte benignæ, & non adeò multis funeſtæ, confluentes ſi excipias, ut ſubinnuimus in Hiſtoriâ Morbor. An. 1700, ubi hiſtoriam Variolarum dedimus, modumque curandi plenè narravimus. Adjicienda tamen cenſemus paucula illa, quæ hoc anno obſervata, & ſequentium annorum experientia roborata fuère. Promiſcuus Decocti lentium cum liquiritiâ, ſemine fæniculi, &c. uſus fraudi eſt iis, quorum victus craſſior ac viſcidior eſt, aptuſque ad lentos humores in corpore accumulandos. In iis variolarum eruptionem niſi impedit, certè retardat. His blandiores Eſſentiæ ex radicibus alexipharmacis quam optimè conveniunt in aquis cordialibus exhibitæ, & vellemus ſanè, ut Sydenhamus unicè abuſum notaſſet, non penitus autem verum Cardiacorum uſum proſcripſiſſet & damnaſſet. Rurſus hoc anno obſervatum fuit, quod humani quippiam idem Vir Clariſſimus fuerit paſſus, dum aſſeverat, neminem *perire ex Variolis, quòd non eruperint*, multos verò mori, quòd *cum eruperint præmaturè nimis detumeſcant*. Obverſatur adhuc memoriæ infans vicini cujuſdam Sutoris, qui graviſſimis convulſionibus concuſſus variolis leviter apparentibus exſpiravit. Memini etiam puellam quandam, fratre variolis laborante, tertio morbi die præſentibus omnibus variolarum indiciis inopinatò extinctam fuiſſe, ſive apoplexia, quod parentes credebant, ſive quod ad verum propius accedit, ſyncope eam abſtulerit. Potiſſimùm verò nonnullis hoc anno Diarrhœæ, quando exareſcere variolæ cœperunt, exitioſæ fuerunt. Nobis ſolicitè in cauſam Diarrhœæ hujus inquirentibus patuit, potum tenuem avidè ingurgitatum non immeritò in ſuſpicionem culpæ venire. Affatim bibiſſe omnes facilè comperies, qui eo tempore in Diarrhœam incidunt. Neque tamen inevitabile periculum, modò maturè obviam eatur. Theriaca in adultis ſpem non fallet, in pueris Eſſentia theriacalis vel ſpiritus etiam theriacalis cum ſpir. Nitri miſtus in vino exhibitus exſpectationi ſatisfacit. Nondum hactenus à me impetrare potui, ut Thom. Mayeri methodum imitarer, laudanumque opiatum in Variolis, vel in Diarrhœâ, vel in aliis ſymptomatibus exhiberem. Febris illa, quæ ſuppurationem individuo nexu comitatur, ſi ultra 14 aut 17 diem extendatur, utique periculoſa exiſtit, & quosdam hoc anno in mortem præcipitavit. Quodſi quodammodo 13 die aut poſt eundem intermitentis typum induat, ut ferè ſemper fieri ſolet, licet intermiſſio brevi etiam duret, cortex Peruvianus ſingulis duabus horis tempore hoc intermiſſionis in juſtâ quantitate oblatus, egregium eſt remedium, quod in manu multorum Empiricorum alias idem eſt ac gladius in manu furioſorum: & vel hoc ſolo nomine laudandus eximiè Morton, qui vel primus, vel certè inter primos hanc medendi rationem indice digito nobis demonſtravit, majorem utique meriturus laudem, ſi non in aliis occaſionibus hoc Variolæ.

fuiſſet abuſus medicamento, alioſque ſuo exemplo in errores ægris noxios induxiſſet. Certum eſt, quod in Confluentibus, ſi & hoc addere licet, abſque ptyaliſmo ægri adultiores in ſummo verſentur periculo; certum tamen & hoc eſt, quod hâc ſalivatione Variolæ in quantitate non minuantur; quod utique argumento eſt, materiam, quæ hâc ſalivatione ex corpore eliminatur, non eſſe eandem, quæ diſtinctas Variolas in majorem elevat altitudinem, ac rùrſus depreſſionem, quæ in Confluentibus cernitur, non ab exitu ſalivalis ac ſeroſi humoris pendere, ſed ab ampliori & latiori harum per ſuperficiem cutis expanſione.

Apoplexia.

Nunquam quidem non Apoplexia aliquos è medio tollit Vratislaviæ, & de incolis hujus Civitatis hôc in paſſu eadem fere dici poſſent, quæ de Amſtelodamenſibus & Delfenſibus ſuis habet expertiſſimus Foreſtus lib. 10. Obſerv. 70, maximè tempore brumali illos opprimit, (epidemicam enim Apoplexiam nunquam hîc locorum apparuiſſe crediderimus, cujus generis eam fuiſſe, quæ An. 1694 & 1695 in Italiâ regnavit, cenſet Baglivius) tantoque eſt frequentior, quantò aëris intemperies eſt notabilior. Non unam hâc tempeſtate, tum in hâc Metropoli, tum paſſim per Sileſiam omnem ea edidit ſtragem, ut non abs re futurum cenſeamus, ſi paulò plenius graviſſimi hujus morbi hiſtoriam fuerimus perſecuti. Familiarior ille eſt apud nos hominibus in virili ac ſenili ætate conſtitutis, ac locum hîc habet etiam Aphoriſmus Hippocratis 57 ex ſect. 6: *Siderationes maximè fiunt ætate à 40. anno uſque ad 60*, modò in aliquâ latitudine, prout ſubſtratæ materiæ indoles requirit, & non in rigido, & ad vocum apices nimis adſtricto ſenſu capiatur, quanquam ſatis cautè locutus ſit Hippocrates, addens, Siderationes *maximè* fieri eâ ætate, quam deſignavit. Paulò rarius infantes, pueros, adoleſcentes, juvenes adoritur, tum hîc, tum alibi ferè ubivis. Exempla Apoplexiæ in omnibus his ætatibus à Nobis viſa ſunt, ſed ut jam dixi, minus frequenter. Juſtus Cortnummius *de morbo attonito c.* 19 *p.* 74 refert, unicum ſe vidiſſe exemplum per vitam in infante. Hoc anno quô hæc ſcribimus, non tantum illuſtris puſio, ſed & frater cum ſorore in infantili ætate apoplectici interiêre. Amatus Luſitanus *Cent.* 3. *Curat.* 22. memoratu dignum judicavit, quod infans ex *ictu bombardæ morbum incurrerit attonitum*, quem mox Paralyſis & mors ſecuta ſit. Idem, quem antea laudavimus Cortnummius *lib. cit. c.* 30. *p.* 131. auctor eſt, quod puella Variolis correpta, cui carnifex ad febrem continuam debellandam ante Solis exortum potiunculam ſupra gladium ſuum exhibuerat, ab enſe ita fuerit perterrita, ut in morbum attonitum illicò concideret. Conf. *Decur. Ann.* 4. *obſerv.* 39. *Dn. D. Dobrzensky, ut & Medicinæ Collatit. Boneti P.* 1. *p.* 166. *c.* 13. De Juvene apoplectico extat exemplum apud Tulpium *lib.* 1. *obſervat. c.* 7. Præterlapſo anno puellam circa 14. ætatis annum horâ ſeptimâ è lecto ſurgentem, cum vix tria protuliſſet verba, ſubitò apoplexia abſtulit. Major pars eorum, quos apoplexia apud nos invadit, eſt temperamenti

ſan-

ſanguinei aut ſanguineo-cholerici. Ejus temperamenti erat Reverendiſſ. Dn. Prælatus Heinrichov. qui in autumno præterlapſi anni 1701. Menſe Novembri, poſtquam cœlo pluvio ingreſſus eſſet iter, & vehementius incanduiſſet, inſultu apoplectico obrutus, & efficaciſſimis remediis adjuvante divino Numine ita me medicinam faciente reſtitutus, ut ſanus ſoſpesque Vratislaviâ Heinrichoviam redierit. Cum hoc ipſo anno denuò ferali morbo correptus eſſet, rurſus quidem medicamentis meis convaluit, at brevi poſt tertium acceſſum expertus fatis conceſſit. Ejus temperamenti etiam erat Reverendiſſimus Dn. Suffraganeus, gente Italus, familiâ Brunetti, quem fortiſſima apoplexia poſt paucarum horarum intervallum extinxit. Ac hiſce diebus, dum hæc ſcribo, idem fatum expertus eſt Vir longiori vita ob candorem & cultiſſimos mores digniſſimus Dn. Kretſchmerus, Mercator florentiſſimus. Si quis alius, is certè ſanguineæ complexionis erat. Neque tamen ab apoplecticis inſultibus planè liberi ſunt alterius temperamenti homines, ut multoties hîc locorum nobis obſervare licuit. Id quod & alibi contingit. Ita primus apoplecticorum à clariſſ. Wepfero deſcriptorum *habitu corporis gracili, capillis flavis & criſpis præditus erat, ingenio pollens ac ad iram paulo pronior*, quartum quoque idem Wepferus ait *vergentem fuiſſe temperie totius ad calidam & ſiccam, coloris fuſci, habitu corporis utcunque carnoſo & ad iram vehementiorem.* Celeberrimus Anatomicus Marcellus Malpighius, qui anno 1694 ex apoplexia mortuus, temperamenti erat *ad ſiccum vergentis, mediocri corporis habitu, & mediocri pariter ſtaturâ præditus*, referente Baglivio *in diſſert.* 3. *de obſervationibus Anatom. p. m.* 115. Apud Foreſtum Juvenis nobilis, *naturâ melancholicus* ſub noctem in apoplexiam ſatis fortem incidit. Non vacat operoſius inquirere, verumne ſit, quod Foreſtus *in Schol. obſerv.* 78. *lib. citati* notavit, *apoplexiam rarius ab humore melancholico*, ut ipſe loquitur, *oriri*, cujus quidem aſſertioni è diametro adverſatur Cardan. *Commentar. ad* 55. *Aphoriſ. lib. 6. Hippocrat.* & omnium maximè Franciſc. Boyle *in tract. de apoplexia.* Illud quoque meâ multiplici experientiâ fuit confirmatum, quod collo ſint breviori & toroſo, qui apoplexiam incurrunt, quod de ſene apoplectico expreſſè notandum cenſuit Williſius *de anim. brut. part. 2. p.* 143. Cujuſcunque verò fuerint temperamenti, qui vel hoc anno, vel etiam ſecutis temporibus apoplexiam incurrerunt, in eo ferè omnes convenerunt, quod vel in potu, vel in cibo, vel utroque exceſſerint, id quod etiam alii ſcriptores de ſuis apoplecticis diligenter obſervarunt. Monachus apoplecticus apud Foreſtum *crapulæ* fuerat *deditus & copiosè craßam cereviſiam ingurgitarat.* Delphius quoque quiſpiam, teſte eodem, *bibax* erât ac victu inordinato utebatur. De primo quoque ſuo apoplectico Cl. Wepferus expreſſè ſcribit poculis eum indulſiſſe, de quarto verò fuſco illo, cujus mentionem jam fecimus, prælaudatus Wepferus *p.* 15. *in obſervat. Anatom.* ait, *multum ipſi uſum cum Baccho fuiſſe, & non rarò ſicca labore pectora fervido maduiſſe mero.* Tales etiam in au-

ctario

ctario recenſet idem. Doctiſſimus Vir Carolus Piſo *de prætervifis hactenus morbis affectibusque à ſeroſâ colluvie oriundis ſect. 2. part. 2. cap. 5.* civem & ſartorem Pontanum *lautiori fuiſſe victui aſſuetum* affirmat, ut *ferè urbanorum artificum genus omne genio paſſim indulget, tribuitque abdomini in ſaginando, quicquid lucelli aut manuum induſtria, aut corporis labor parit affertque.* Expertiſſimus Hollerius *lib. 1. de morbis internis p.* 27. pictorem & figulum utrumque vinoſum apoplecticum factum fuiſſe narrat. Nec poſſumus, quin adſcribamus verba Heinrici ab Heers *ex obſerv.* 18, quibus homini, quem novum ex veteri monacho Medicum ſcitè appellat, Mercatori ex ſynuſiâ laſſo venæ ſectionem ſuadenti reſpondet: *Noſtrates ingluvie commeſſationibusque ferè apoplexiam incurrunt.* Quæ profectò, ut & ea Celeberr. Ettmulleri *in Op.. p. m.* 447. apud nos ſunt longè veriſſima. Notorius vini abuſus multos & quidem ætatis conſiſtentis optimique aliàs habitûs his annis in apoplexiam præcipitavit. His omnibus jungere licet vitam deſidem & otioſam. Non facilè recordor quenquam apoplexiam incurriſſe, ubi non vel manibus fuerit palpabile, inter aſſumpta & motum corporisque exercitia nullam fuiſſe ſervatam proportionem, ſed illa modum exceſſiſſe, hæc verò defeciſſe. Eum autem in finem hæc adducenda eſſe credidimus, ut clariſſimè eluceſceret, veram ab apoplexiâ præſervationem non æquè à medicamentis, quam à vitæ ſobrietate & debitis corporis motibus pendere. Ferè exciderat, ſæpius à me fuiſſe obſervatum, gravidas medio circiter geſtationis tempore levi ac brevi iterum evaneſcente apoplexiâ, quæ nulla gravia incommoda ſecum trahit, fuiſſe tactas. Ingratum verò ſui adventum multoties quibusdam prodromis deſignare ſolet apoplexia. Inter primaria indicia ferè ſemper vertigo eſt, non tam matutina quam promeridiana, imò & nocturna, quæ multò eſt deterior, quando cum ſcotomiâ conjungitur. Multis etiam apud nos familiares ſunt torpores & ſtupiditates præter morem contingentes (de quibus tanquam futuræ ſiderationis ſignis jam mentionem *in Coacis prænot.* Hippocrates injecit) antequam apoplexiâ opprimantur. Suſpectus etiam meritò eſt incubus, ſi paulò frequentius eo vexentur, quibus vertigo moleſta eſt. Mali etiam ominis ſunt inſueti totius corporis tremores, inprimis verò labiorum & dentium ſtridores in ſomno, extremorumque perfrigerationes. Subita linguæ impotentia, eaque ſæpius recurrens, ferè non fallax metuendæ apoplexiæ τεκμήριον exiſtit, jam tum ab Hippocrat. *in Coacis prænotion.* memorata, quo etiam à nonnullis refertur *aphoriſm.* 40. *ex ſect.* 7. Ariſtoteles, aut quicunque autor eſt *Problematum ſect. XI. probl.* 54. *ipſam linguæ hæſitantiam partis eſſe apoplexiam* quandam judicat. Unde etiam tum multis aliis, tum hoc anno prælaudato ante Abbati Heinrichovienſi ex inſolitâ linguæ titubatione timendam ipſi apoplexiam ſubindicavi. Præter linguæ hæſitantiam nihil ſiniſtri præſenſit correptus apoplexiâ aliquis Hebrææ linguæ Profeſſor apud Cortnummium *p.* 199. *Conf. Harderum in apiar. p.* 123. Non jam dicemus de oculorum corruſcationibus, ſed ſolummodò

ſummodò memorabimus hoc minimè raro contingere, ut quidam aliquot ante inſultum apoplecticum annis, vel de deficiente auditu, vel quod adhuc ſæpius fit, de viſu imminuto maximoperè conquerantur, quibus addere licet ex Aureliano frequentem indigeſtionem, vultûs plenitudinem ac mœſtitiam, difficilem excretionem ac tandem vehementem meningis ſaltum in pueris *lib.* 3. *de morb. acut. c.* 5. Licet verò hæc & alia plura ſigna (inter quæ tamen ſtudio tinnitum aurium citra ſiniſtrum omen hic pluribus familiarem non recenſuimus) apoplexiam præcedant; contingit nihilominus apud nos, *ut ſanum etiam derepentè invadat dolor circa caput, & ſtatim voce privetur ac ſui impotens ſit*, verbis *Hippocrat. lib.* 2. *de morb. text.* 6. *&* 21. Simulac verò apoplexia hominem obruit, is ſubitò 1. ferè collabitur & ſui, ut jam jam loquebatur Hipocrates, impotens fit. Quæ cauſa eſt, quod ejuſmodi hominem vocent ſideratum. Hoc autem ipſo convenit apoplexia cum *lipothymiâ paulò graviori & ſyncope*, quibus correpti itidem non raro in terram proſternuntur, ut & cum epilepſiâ, cujus ſignum eſſe ſubitum & improviſum in terram lapſum docet Unzerus *lib.* 1. *de epilepſiâ c.* 18; differt verò à *Paralyſi particulari* e. g. linguæ, palpebrarum, brachii, &c. *à tetano*, in quo univerſum corpus rigidum ac immobile permanet, *emproſthotono* ac *epiſthotono*, quando incurvantur omnia vel verſus anteriora, vel verſus poſteriora, nec non à *catalepſi*, quâ æger inſtar ſtatuæ immotus perſtat. 2. Sermonis uſu privatur, qui integer adhuc ipſi in primo morbi inſultu fuerat. Nam nihil crebrius audias, quam ejuſmodi homines aut de intolerabilibus capitis doloribus aut anxietate inexplicabili conqueri. Quibusdam memini uſum ſermonis per aliquot ſuperfuiſſe horas, alii paucis verbis prolatis illicò obmutuerunt, ſimiles illi apud Clariſſ. Harderum in *apiar. obſerv.* 27, qui ex templo domum feſtino curſu petens hæc verba tantum protulit: *Herr Jeſu wie will mir werden.* Confer *Wepferum p.* 239. Convenit ergo in ſermonis interceptione apoplexia cum paralyſi linguæ, epilepſiâ, ſuffocativo catarrho, ſyncope, in quibus omnibus loquela ceſſat; differt verò à lethargo, nam lethargici valido clamore excitati ad interrogata reſpondent quamvis incondita & abſona. 3. Corpus apoplectici inſtar trunci jacet ac 4. ſenſuum munere orbatum eſt. Ad hæc reſpiciens Galen. 1. *method. medend. c.* 9. *ſi quis*, inquit, *ſive tribus horis, ſive quatuor, ſive etiam dimidio tantum horæ toto corpore vehementer captus ſit, ut neque ſentiat, neque moveatur, hunc nos attonitum appellamus.* Uſque adeò autem abeſt ſenſus, ut, judice Foreſto, *ſi perforaretur brachium & frangeretur, non ſentiret.* Per hanc ſensûs & motûs interceptionem differt apoplexia à catarrho ſuffocativo, in quo ſenſus ac motus quodammodo integri ſuperſunt, uſque dum mors inſtat. Eadem diſtinguitur & quidem ratione motûs ab epilepſiâ, in quâ variis motibus caput ac membra contorquentur; reſpectu autem ſensûs à ſuffocatione uterinâ, nam hyſtericæ audiunt, cum vocantur, ſentiunt ac intelligunt,

quæ ſecum agantur & acta referunt, quâ de re legi poteſt *Codronchius lib.* I. *de Chriſtiana ac tutâ medendi ratione c.* 21. Etſi verò apoplecticus nec loqui, nec ſentire, nec movere ſe queat, nihilominus pulſus ſupereſt & reſpiratio, ſecus ac fit in ſyncope & ſtrangulatu uterino, in quibus ad ſenſum ceſſare deprehenduntur. Magna tamen ſpiritûs difficultas adeſt, & tantum non præſuffocatur apoplecticus perinde laborante pectore ac ſi vinculo quodam adſtrictum attolli prohiberetur, in quo ſtertore aliquam habet convenientiam cum peripneumonico & empyematico, ac iis, qui ſpaſmo diaphragmatis corripiuntur, niſi aliquis forte cum Bartholeto *in methodo in dyſpnœam* laborioſiſſimam ponere velit in reſpirationis difficultate pro varietate morborum diſtinguendâ curam. Non ignoramus, quod celebris quondam Medicus Horatius Augenius *in epiſtol. & Conſultat. med. Tom.* 2. *lib.* 3. *p. m.* 398. *& Tom.* 3. *lib.* 11. *Epiſt.* 11. doceat apoplexiam aliquando ſine omni ſenſu & reſpiratione contingere. Noſtra tamen experientia vero magis conforme reperit illud Expertiſſ. Foreſti *in ſchol. obſervat.* 72. *p. m.* 405: *Nulla apoplexia quatenus eſt ſimplex, poteſt eſſe ſine aliquâ inſpiratione, ſeu reſpiratione, quia illico, quando ſpirare deſinit, apoplecticus moritur.* Fortaſſis verò Augenius loquitur de apoplexiâ cum ſyncope conjuncta, cujus exemplum ibidem recitat Foreſtus, & mihi præbuit mors matris meæ dilectiſſimæ. Nec enim novum eſt apoplexiam cum aliis morbis conjungi. Non tantum enim cum ſyncope, ut jam diximus, ſed & epilepſiâ complicatur, cujus generis apoplexiam tum multoties aliàs, tum præcipuè vidi hoc tempore in Fratre Ordinis S. Franciſci laico ac cellæ præfecto circiter quinquagenario, qui cum alio ex Ordine jocatus repentè de lipothymiâ conqueri cœpit, ſubitoque concidit ſermonis uſu deſtitutus. Horrendis convulſionibus, me aliosque poſtquam per aliquot horas obſtupefeciſſet, apoplecticus mortuus eſt. Simile in virgine 22. annorum poſt vehementiſſimum capitis dolorem exemplum habes apud Franciſc. Rubeum *in noctar. exercitat.* 40. Confer. etiam *Ferdinandum hiſt.* 71. *p.* 211. *& Piſonem p.* 126. In nonnullis apoplecticis præter hæc etiam videas, ut probè loco citato obſervavit Aurelianus 1. diſtantiam oris hiſcentem 2. vultus conductionem ſeu ſpaſmum 3. palpebrarum ſuſpenſionem, 4. involuntarias lachrymas. Præ reliquis omnibus ferè digniſſimum notatu cenſemus, quod ipſis ægris vaſa circa tempora ac faciem inflata appareant non ſine inſigni vultûs rubore. In hoc, quem delineavimus, ſtatu eſt apoplecticus. Certum eſt, apoplexiam eſſe morbum acutiſſimum, adeò ut non immeritò Jachinus exclamet: *apoplexia velociſſimè viget, & breviſſimum, imò imperceptibile habet principium & augmentum, ita ut tota ſtatus eſſe videatur.* Ferè autem fit ut apoplectici graviores ſeptimum non excedant diem, quod Hippocratis oraculum *ex aphoriſ.* 51. *ſect.* 6. *&* 2. *de morb.* apud nos eventu ſemper comprobatum fuit. Cum verò apoplexia vel *perfecte deſinat*, quod certè ſi paulo ſit fortior, rariſſimè contingit, vel hominem *in alium præcipitet morbum*, vel deni-

que

que *funeſta* ſit, non abs re fuerit, obſervata horum eventuum ſalutis inquam & mortis ſigna breviter commemorare. Inter ſalutis ſigna refertur 1. reſpiratio libera, pulſus & faciei color naturali non admodum diſſimilis. Profectò prout ſpiritus aut facilè aut moleſtè trahitur, morbi modum omnem, ejuſque magnitudinem oſtendit. 2. Si conſuetæ excretiones aliquô tempore ſuppreſſæ redeant. Ita optimum ſanitatis omen eſt liberalior hæmorrhoidum fluxus, conſentiente ipſo *Hippocrate in Coac. prænot. tex.* 318. Quem in cenſum etiam veniunt menſtrua quibus rite fluentibus apoplexiam ſublatam meminit *Zacutus Luſit. de Princip. medic. hiſt. lib.* 1. *obſerv.* 33. Id quod etiam dicendum de ptyaliſmo in paulò annoſioribus, & minimè fallax eſt illud Sennerti *lib.* 1. *Pract. med. part.* 2. *c.* 32. *Nonnunquam apoplexia fluxu phlegmatico oris finitur*, Sennerto ſuffragatur Barbette, Deckerus, Sylvius, aliique plures. 3. Fauſtum etiam ſignum eſt, ſi poſt venæ ſectionem æger aliquantulum ſeſe recolligat, ut optimè notavit doctiſſimus Hippocratis interpres Proſper Martianus. Præſertim ſi 4. ſumpta pocula non per nares aut os refundantur, ſed *penitus deſcendant*, quemadmodum Foreſtus præclarè obſervavit. 5. ſi acriter aut vellicatus, aut punctus æger, aut tandem intentâ voce compellatus palpebras moveat & labia quodammodo comprimat. 6. Inter ſigna ſalutaria refert Aurelianus, ſi partes quædam ſaltu errante, i. e. ſpaſmodicè agitentur. Ex doctrinâ Hippocratis, *ſi apoplecticum febris corripuerit, ſanus evadit.* De quânam autem febre loquatur ipſe, incertum eſt, ex *Coacâ* 480. liquet, hoc ejus aſſertum de lentâ intelligi non oportere, hæc enim ex mente ejus, *adveniens mortifera* eſt, ut exemplum filii Numenii probat 1. *Prorrhet.* Nec cum Foreſto de febre ardenti Hippocratem loqui crediderim. Martianus contendit, febrim illam eſſe ex genere ephemerarum, cui ſolutionem apoplexiæ tribuit Hippocrates, quando ſcilicet ſtatim, non confirmato adhuc morbo, ſuperveniat. Ego ſanè inter plurima apoplexiæ exempla nunquam aliquem vidi per febrim ab apoplexiâ fuiſſe liberatum, licet multoties ſtatim poſt inſultum apoplecticum deprehenderim pulſum verè febrilem. Jam ante faſſi ſumus, quod rariſſimè graviores apoplectici perfectè reſtituantur; nunc addendum, quod vulgò putetur, non malè cum iis agi, qui vitatâ ad tempus morte in aliud morborum genus incidunt. In varios autem morbos tranſit apoplexia, frequentiſſimè autem omnium, ut vel vulgò notum eſt, in paralyſin. Licet verò hâc de re dubitare nemo queat, nihilominus ſine fructu non legentur exempla, quæ recitat Thonerus *lib.* 2. *obſerv.* 3. 4. Lotichius *in lib. obſervat. p.* 163. 165. & 172. Piſo *l. c. p.* 121. & Foreſt. *l.* 10. *obſervat.* 75. & *ſeqq.* ſequitur verò apoplexiam paralyſis tam dextri quam ſiniſtri lateris, & illius quidem frequentius, quam hujus. Apoplexiam Illuſtriſſ. Baronis 66. circiter annos nati, ante ſemeſtre ſpatium non tantum paralyſis, ſed & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas comitabatur. Pes dexter ejuſdem, ut & alius decrepiti cujuſdam ſenis ephidroſi ſemper madebat. Abit etiam apo-

plexia aliquando in epilepſiam, ſicuti evenit æditiuo alicui apud Foreſt. *lib. cit. obſ.* 80. Ante 4. annos poſt apoplexiam gravem melancholiam in ſene aliquo notavimus. Licet verò apoplectici evadant interdum, profunda tamen læſionis veſtigia verè ſemper in iis remanent. Malpighius poſt 40. *dies liber evadens ab apoplexiâ & paralyſi, ſummoperè læſus in memoriâ & ratiocinio, & quavis minimâ de causâ in lachrymas ſolutus fuit*, teſte Baglivio *l. c.* Poſterius hoc etiam in Clariſſimo Ariſtotelico Philoſopho Melch. Zeidlero poſt apoplexiam obſervare licuit. Nunquam quoque à metu recidivæ liberi vivunt. Ex levibus ſanè occaſionibus denuò apoplexia incautos opprimit. Poſtquam ſigna ſalutis in apoplecticis recenſuimus, etiam triſtia ac mortis prænuncia tribus verbis commemorare juvat. Inter hæc 1. loco eſt ſtertor magis ac magis ingraveſcens, 2. ſpuma circa os. 3. ſi ab uſurpatis ſternutatoriis æger non ſternutet, quamvis ſternutatio ipſa non provocata aliàs non magni quicquam promittat. 4. Cum nullum poſt V. S. levamen in apoplectico advertitur, imò ſi poſt eandem celebratam res in deterius labuntur, non eſt dubitandum, quin mors poſt paucarum horarum intervallum ſit ſecutura. 5. Tremor etiam juxta Mœbium in apoplexiâ & lethargo malus eſt. 6. Facies cadaveroſa ac tandem 7. ſudor frigidus, præſertim ſuperiorum partium eſt indicium certum naturæ ſuccumbentis. Tantò verò magis calamitoſa ſigna hæc omnia exiſtimanda ſunt, quando æger eſt decrepitus, naturæ debilis, vel antecedentibus morbis exhauſtus. Poſt mortem non rarò ſatis copioſè ſanguis ex corpore effluit, præcipuè in iis, quibus aſſuetæ ſanguinis evacuationes fuêre ſuppreſſæ. Inſigne ejus exemplum proſtat apud Fabricium Hildanum *Cent.* 1. *obſerv. XI.* de aurifabro familiarem ſibi narium hæmorrhagiam amuletô quodam ſupprimente & per hoc artificium in apoplexiam, ut probabile eſt, lapſo, ex cujus naribus & ore poſt 12. ab obitu horas copioſiſſimè ſanguis effluxerit. Ex ore ſenis ſeptuagenarii plurimum cruoris manavit apud Wepferum *p.* 238. Id quod etiam toto die paſſim obſervare licet. Si in cauſas remotiores ſatis frequentis apud nos apoplexiæ placeret inquirere, aërem quoque ſymbolam ſuam conferre deprehenderemus. Unde tùm potiſſimum, ſicut etiam hoc anno factum, apoplectica pathemata crebriora ſunt, quando aër frigidior eſt, aut imbribus & nivibus madidus. Et in hâc re tantò magis confirmamur, quod videamus etiam in aliis Provinciis ſub ejuſmodi aëris conſtitutione mortales apoplexiâ corripi. Jam ante mentionem fecimus, annis 1694. & 95. Romæ & in Italiâ non exiguam hominum partem periiſſe apoplexiâ, aitque Baglivius *Diſſ.* 3. tam frequentes fuiſſe hujus caſus, ut *inſtantis mortis horrorem quovis ferè momento viventibus incuterent.* Cauſam verò illius frequentiæ etiam in aëre quærit *loc. cit. p.* 117. Germaniæ frigidum clima accuſat in *Conſil.* Mercurialis, cum de frequentiâ apoplexiæ diſputat. De pluvioſâ aëris conſtitutione legendus eſt *l. c. p.* 415. Foreſtus. Ferdinandi Medici Frater, vigilum Præfectus, cum per 15. dies cœlô nubibus obducto

iter

iter feciſſet, apoplexiam incurrit, teſte Ferdinando *p.* 211. Monachus Franciſcanus continuò per integrum diem in ſeram uſque noctem in cellâ cereviſiariâ commoratus, ipſo etiam prandii ac cœnæ tempore, apoplecticus factus eſt, exemplo memorabili, quod aër frigidior & ſubterraneus ad apoplexiam concitandam concurrere poſſit; Quod etiam, teſte Wedelio, ſereniſſima Perſona in ſenio conſtituta, aëri frigidiori & ſubterraneo expoſita, ſuo damno probavit. Senior in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutus adulto jam autumno ſub cœlo frigidiori piſcationi ab horâ octavâ matutinâ uſque ad ſecundam ferè pomeridianam in loco uliginoſo adſtans in paralyſin manûs incidit. Multò autem major hominum pars, ut credimus, culpâ aſſumptorum apoplexiam incurrit. Et vulgus quidem apud nos viſcidis ac lentis cibis, quos jure accuſat Wepferus *p.* 203. affatim veſcitur. Opificum omne propemodum genus frumenti ſpiritus variis lenociniis ad palati delitium corruptos jejuno ventriculo ingerit. Paulò ditiores manè vinum abſynthites de quo Goclenii obſerv. nota, aut aliud aromaticum ingurgitant. Qui lautioris adhuc conditionis ſunt, Ungarici vini cyathos integros creberrimè ac per multas horas ſtrenuè evacuant. Hæc autem omnia quantam vim ad concitandam apoplexiam habeant, in propatulo eſt. Certè hîc non ignota ſunt exempla apoplexiæ ſummam inebriationem ſecutæ. Celeberrimus Rolfincius memorat Ratisbonæ Principem quendam in Comitiis ex nimio acidularum uſu lapſum in apoplexiam, qualem etiam deſcribit Franciſc. Hildesheim *ſpicileg. 6. p.* 526. Tres mihi apprimè noti ſunt, qui acidulis in æſtate uſi, poſt aliquot menſes ex apoplexiâ ſunt mortui. Invaluit apud nos jam per aliquot annos empiricus planè acidularum abuſus, unde optandum, ut alii damno aliorum cautius mercari diſcant. Tenet etiam noſtros inſatiabile cacoëthes pulveris ſternutatorii. Hoc & infimi ſubſellii & ſublimioris etiam ordinis viri ſingulis penè momentis nares inferciunt. Si itaque non laborat fides obſervationis Anni 4. Dec. 2. *Ephemerid. German.* quâ docemur, à *pulvere tabaci* aſſumpto comâ ſomnolentum, tandemque apoplexiam eſſe ſecutam, evidens eſt, quanti res ſit periculi ſine intermiſſione pulverem hunc intrudere naribus, & id tanto magis, poſtquam felix Celeberr. Bohnii induſtria anatomica nobis detexit, eum etiam ad intima corporis penetrare ac pulmonibus ipſis labem affricare. Non minor error committitur in attrahendo peti fumo, quô, mirum eſt, quam multi unicè delectentur. Non pauci, ubi vix pedem lecto extulerunt, ſtatim ad has ſuas delitias convolant, & per magnam diei & noctis partem tædia ſua hoc nepenthes vino fallunt, ingenti utique & temporis & ſanitatis diſpendio. Quotquot his annis ab apoplexiâ necatos memini, ad unum omnes ultra modum hôc fumo ſe fuiſſe paſcere ſolitos reſcivi. Parum profecit Angliæ Rex Jacobus I. in Miſocapno graviter ſuos ab uſu dehortatus; multò magis nos ſurdis narrabimus fabulam, tametſi ſolum abuſum, ſeriò diſſuademus. Vir Clariſſ. Dominus Johan.

Hellwig. *in Obſerv. Phyſ. Med. obſ.* 45. narrat, duos *fratres quorum alter* 17, *octodecim alter exhauſerat fiſtulas apoplecticorum inſtar proſtratos fuiſſe, & unum eò momentò mortuum, alterum verò per bihorium, vel trihorium miſerè ſpiraſſe & animam egiſſe.* Si illud, ut non dubitamus, verum eſt, ſatis mirari non poſſumus, cur Vratislaviæ non quotidiè multò plures apoplectici diſcedant, cùm multos invenias, qui in hoc certamine par iſtud fratrum longè ſuperent. Accedit ad cumulum malorum vita pigra ac ſedentaria, quam inter congerrones & commilitones ſuos agunt hi fumi ductores, cum ſola motûs intermiſſio ad apoplexiam ſatis diſponat. Certò cuidam apoplexiæ generi obnoxios eſſe qui perpetuo torpent otio, ex ſolerti obſervatione Wepferi in libro ſæpiuſculè *citat. p.* 203. didicimus Paradigma exhibet curioſiſſimus obſervator *p.* 264. *in nobili viro multùm in evolvendis hiſtoriis occupato; qui ob molem corporis vaſtiſſimam vix alio labore quam tardigradâ deambulatione corpus exercuit.* Nec hoc effugit diligentiam expertiſſimi Foreſti, qui aliquoties in ſuis obſervationibus de apoplecticis, otioſæ vitæ eos fuiſſe mancipatos providè animadvertit. In memori pectore eſt, virum egregium poſt ſomnum meridianum apoplexiâ fuiſſe percuſſum, non auderemus tamen ejus injicere hoc loco mentionem, niſi prælaudatus Wepferus *p.* 211. nobis facem prætuliſſet. Multo evidentior eſt ratio, cur declivem inter dormiendum corporis ſitum atro carbone notet Lowerus in doctiſſimo *tractatu de corde c.* 2. *p.* 103; nam intellectui obvium eſt, quomodo hôc corporis ſitu pars ſeri in cerebrum deponatur, & tandem ita hîc accumuletur, donec vel in apoplexiam, vel in alios ſonticos morbos hominem conjiciat. Conſuetæ ſanguinis evacuationes diu ſuppreſſæ via regia ſunt ad feralem hunc morbum. Irrepſit in hanc civitatem aliquod hominum occultiorum genus, qui ſeriò diſſuadent, ne qui quinquageſimum ætatis annum exceſſerunt, uſum V. S. & ſcarificationis continuent, qui, quantum in ipſis eſt, id agunt, ut hæmorrhoides fluentes ſupprimantur, iſtud verò præconceptis noſtratium opinionibus apprimè convenit, & hinc pronis auribus illorum dicta excipiuntur; alii verò, qui graviſſimis rationibus ac experientiâ fulti nænias illas explodunt, vix audiuntur. Suppreſſæ narium hæmorrhagiæ apoplexiam poſt ſe trahentis exemplum ex Hildano jam recitavimus. Narrat idem *Cent.* 3. *obſerv.* 12. mulierem tributum menſtruum per nares & os ſatis copioſè reddidiſſe, hâc verò excretione impeditâ eandem in apoplexiam incidiſſe. A ſuppreſſione lochiorum ortam apoplexiam refert Nicolaus Fontanus *reſponſ. & curat. medic. lib.* 1. *p.* 25. & Ballonius *in Paradigmat. p.* 318. Nec diſpar eſt ratio hæmorrhoidum. Eò, ſi non nullos ſequaris, Hippocrat. reſpexit *Coac. prænotion. ſect.* 3. *text.* 66. his verbis: *Ex hæmorrhoide parùm apparente vertigines obortæ parvam ac modicam ſiderationem ſignificant.* Amatus Luſitanus *Cent. V. c.* 3. exemplum refert. Auſimus certò affirmare, per aliquot annos vix unum alterumve apoplecticum apud nos elatum eſſe, qui non vel arti-

tifi-

tificiales ſanguinis ventilationes omiſerit, vel ſpontaneas ejus excretiones inhibuerit. Inde verò manifeſtiſſimè dilucefcit, quomodo ſtrangulatoriæ jugularium vaſorum cohibitiones apoplexiam accerſere poſſint. Quid de nimiâ ſucci genitalis profuſione dicemus? An & illa ad apoplexiam concitandam concurrit? Judicium noſtrum meritò ſuſpendimus, nihilominus tamen præterire non poſſumus, quod de Nobili quinquagenario Heinric. ab Heer *in Obſervat. Med.* 9. *p.* 103. memorat. Is ducta virgine ſuæ ſortis inter uxorios amplexus apoplexiâ corripitur, ſed ab eâdem induſtriâ Heerii liberatus cum poſt paralyſin ad furias illas reverteretur, in uxoris ſinu, ipsâ non advertente, dulci periit morte. Non diſſimili fato defunctus eſt Dan. Beckherus, Med. D. ac Profeſſ. Regiomontanus. A. 1670, qui cum ad ſecunda vota tranſiiſſet, ne in ſe jaceretur illud Juvenalis:

Jacet exiguo cum ramice nervus,
Et quamvis totâ palpetur nocte, jacebit:

ſumſit aphrodiſiacum, oſtenſurus Juvenculæ, quam duxerat, ſe virum eſſe, ſed in certamine illô ſuccubuit, ac in thalamo tumulum ſibi paravit. Enim verò magis fit veroſimile, hos Duumviros non apoplexiâ, ſed ſyncope eſſe extinctos. Animi pathemata graviora apoplexiæ periculo non paucos ſubjecerunt. Ex mœrore *& ſubitâ animi conſternatione matrona apoplexia* periit apud Hildan. *Cent.* 6. *Obſerv.* 12. Præ terrore ex terræ motu Beroaldus *libello de terræ motu* incidiſſe aliquos apoplexiam memoriæ prodidit, nec deſunt, qui territi ictu bombardæ ſubitò exanimati fuerunt apoplexiâ, ut Luſitan. & Camerar. *in Sylloge memorab.* auctores ſunt. Multos, qui occaſione fulminum attoniti ſunt facti, congeſſit Schenkius *in obſervat.* Celeberrimus Wedelius teſtis eſt, literatum quendam ſenem accepto triſti de filio abſente nuncio territum lethali apoplexiâ fuiſſe correptum. Iracundiæ præcipites graviſſimæ etiam à vulgo accuſantur tanquam cauſæ apoplexiæ. Et profectò vix reperias Medicum, in praxi occupatum, qui non adhibere poſſit verba illa Foreſti *Lib.* X. *obſerv.* 70: *multos conſpeximus, tam viros, quam mulieres ex ira vehementiori & animi percuſſione in apoplexiam incurriſſe.* Porrò vehementiores capitis & cerebri concuſſiones ſæpius in apoplexiam præcipitant homines, quâ de re videſis Gregor. Horſtium *lib.* 2. *de morb. capit. Obſerv. Medic. rar.* 63. Hildan. *Cent.* 4. *Obſerv.* 11. Wepferum *in auctario p.* 348. Wedelium *in pathologia med. dogmat. p.* 334. Nicolaum Fontan. *Diſc.* 6. *fol.* 92. Dum verò paſſim exempla obvia ſunt de apoplexiâ colaphos vehementiores ſecutâ apud Benevenium, Hildanum, Schenckium, Felicem Platerum aliosque, non difficulter aſſequimur, quod etiam alapis violentis cerebri commotio excitari queat. Quorſum refer etiam caſus violentiores apud Heerium *Obſ.* 21. Wepferum *loco citato hiſtor.* 1. 2. 3. 6. alias capitis aut partium ei vicinarum læſiones ac vulnera, de quibus jam loqui non

vacat,

vacat, ſicut neque de tumoribus ſive venereis, ut apud Welſchium, ſive aliis è capite ablatis apud Thom. Bartholinum *in Obſerv. Cent.* 4. *hiſt.* 86. Prætermittimus etiam vermes, de quibus Zacutus Luſitanus *Praxi admirandâ lib.* 2. *obſerv.* 42. videndus, item ſcabiem retropulſam, de quâ legatur *obſervatio* 58. *anni* 1. *Decur.* 1. *Ephemerid. German. p.* 136. tantum adhuc addemus verbum de flatibus, quos apoplexiam producere poſſe credidit Hippocrates *ſect.* 19. *text.* 4. *de flatibus* ſcribens: *Si plurimi flatus per univerſum corpus diſcurrant, totus homo ſideratur, ſi per partem, pars illa percutitur, atque ubi abierint flatus, ceſſat & morbus.* His verbis non crederemus niſi aliquoties vidiſſemus ablationem motûs voluntarii ad breve tempus conjunctam, cum ſtupore leni abſque difficili tamen reſpiratione, quæ aliquam apoplexiæ imaginem exhibet. Conferri hîc meretur Franciſc. Valleriola *E. M. l.* 1. *p. m.* 74. & Dovinatus *Apolog. l.* 3. *c.* 1. Poſt mortem in apoplecticis inſpectione factâ, in aliis quidem effuſionem ſanguinis, in aliis verò ſeroſæ ſubſtantiæ reperiri, res eſt paſſim nota; hinc verò certum eſt, rectè inferri, motum ſanguinis in apoplexia intercipi, atque ideò vel ſanguinem ſincerum è ruptis vaſis excidere, vel ſeroſam tranſſudare ſubſtantiam. Carolum Fracaſſatum in *Diſſert. Epiſt. de Cerebro* teſtem advocamus omni exceptione majorem, qui juſſu magni Ducis Hetruriæ corpora ex hoc morbo denatorum ſecuit, cui Wepferum ſummi judicii, experientiæ ac fidei Medicum & Anatomicum jure optimo jungimus. Perquàm verò notabile eſt, quod cauſæ intercepti motûs ſanguinis non in cerebro ſed frequenter in corde apoplecticorum deprehenſæ fuerint. Ita e. g. pinguedo in ſiniſtro cordis ventriculo à Bartholino *Cent.* 1. *Epiſt.* 2. reperta *Polypum cordis grumumque ſanguinis in Carotides delatum* Crato reperit. *Corpora calculoſa, viſcida, ac glutinoſa* in omnibus, quotquot quidem aperuerit, ſe vidiſſe refert Greiſel *in Miſcell. Curioſ. Dec.* 1. *an.* 1. *p.* 156. Quando itaque aut ſanguis extravaſatus cum grumis, aut ſeroſa colluvies cerebrum vel extus vel intus largiter inundavit, iſtud ſubſidere & per hanc compreſſionem ac ſubſidentiam, de quâ Bonet. *in ſepulchr.* conſulendus, ad operationes ſuas reddi ineptum, valdè eſt credibile. Cum vero ſanguis concretus vel in ventriculis, vel in pulmonibus tantum deprehenditur, apoplecticus ſtupor in cerebro exinde probabiliter naſcitur, quod ſanguini arterioſo liber aditus ad cerebrum ſit præcluſus. Quid enim ligatâ arteriâ etiam in aliis partibus fiat, à Lowero aliiſque ad oculum eſt demonſtratum. Aditus autem ſanguini arterioſo tantò magis præcludetur, ſi arteria fuerit rupta apprimè enim notatu digna eſt obſervatio Fracaſſati *in Diſſ. Epiſtol. ante laudata ad Malpighium p.* 135. *durante adhuc motu cordis vaſa diſſilire factâ in vaſis pulmonariis obſtructione.* Admiratione tamen dignum eſt, quòd interdum nulla evidens apoplexiæ cauſa in defunctorum corpore poſt mortem deprehendatur. Illuſtre ejus rei exemplum ſiſtit

Clariſſ.

Clariſſ. Willis *de animâ brutorum part. patholog. c.* 8. *in fine p. m.* 43. Verùm pluribus egimus de apoplexiâ, quàm ferè huic noſtro inſtituto conveniebat. Jam de curâ breviter aliqua erunt dicenda. Varia illa molimina ad excitandos apoplecticos etiam vulgo nota ſunt: at nondum à nobis viſi, qui acclamationibus, vellicationibus, frictionibus in plantis pedum &c. crinium evulſionibus, concuſſionibus &c. in apoplexiâ paulò graviori adjuti fuerint. Quantum etiam eſt inane in ſuffitibus, quantum in balſamis quocunque etiam titulo ſuperbientibus! Næ eum, qui in his ſpei anchoram figit, valdè ignarum eſſe oportet eorum, quæ apud ægros gerantur. Quàm verò lepidum eſt univerſaliter præcipere, ut linguæ ac palato theriaca Andromachi vel mithridatium cum caſtoreo &c. mixtum & in aquis appropriatis diſſolutum illinatur, cum os ſæpè arctiſſimè clauſum ſit! Tale quid nuperrimè nobili Matronæ per quinque dies contigit. Non hæc eô fine dicuntur, quaſi omnia iſta damnemus; nam ſæpiſſimè pro re natâ ipſimet his uſi ſumus: ſed ſolum hæc ad ſciolorum quorundam arrogantiam, imperitiam ac improbitatem convincendam pertinent. His enim, ubi unum horum omiſeris, planè ſolemne eſt, clanculum funeſtum exitum adſcribere Medici ſeu oſcitantiæ, ſeu ignorantiæ. Ad validiora, ſi hoc ab adſtantibus impetrari apud nos poſſet, deſcendendum videretur. Per admota plantis pedum ignita ferramenta ad vitæ officia in xenodochio nonnullos fuiſſe vocatos, quos nullum quantumvis validum remedium excitaverat, legere licet in doctiſſimo de *ſubitaneis mortibus* opere Celeberr. Lanciſii *lib.* 2 *c.* 5. §. 11. Et certè, ut ipſe commemorat, jam multi ante eum Practici laminarum ignitarum ſuturis admovendarum meminerunt. Lanciſius verò credit, *præſentem ignem validiſſimè irritando fines nervorum, maximum in iisdem tremorem & ſubtiliſſimarum partium excurſum per eorum filamenta inducere poſſe, qui ad usque principium propagatus fortiter etiam excutiat, quicquid cerebro & nervorum oſtiolis pertinaciter hæret, & per talem duntaxat maximam nervorum ſuccuſſionem & particularum ignearum penetrationem amoveri poteſt.* Poſt enematum uſum, vel ad V. S. vel ad vomitorium progrediendum eſſe cenſemus. Vomitorium non niſi illis offerre auſi ſumus, qui phlegmatici, ut ajunt, temperamenti ſunt, aut ante hac excretionibus ſeroſis obnoxii vixerunt, multumque modo tuſſi humidâ, modo coryzâ affecti, aut ulcerationibus diuturnis exerciti fuerunt. His in apoplexiam lapſis, ubi ſeroſæ ac mucidæ excretiones per memorabile tempus ceſſarunt, nec virium imbecillitas fuit impedimento, ſine morâ exhibuimus emeticum, nec dubitavimus hoc in caſu cum doctiſſ. Langio ⊖ li vitrioli primas tribuere. Floridis ac ſanguineis diætâ aromaticâ & vinoſâ uſis illicò vena pertuſa fuit, quicunque demum exitus ſequeretur. Utinam omnibus Medicis expertiſſimi Sylvii verba in memori eſſent pectore: *Judico prudenter & exactè poſſe imò deberi in omni apoplexiâ* (præſertim verò ſanguineâ) *inſtitui VStionem, & pro ægrorum*

 conſtitu-

conſtitutione ſanguinisque copiâ in vaſis exiſtente ſatis largam ſanguinis evacuationem. Non diffitemur bis terve eveniſſe, ut poſt apertam venam apoplectici, qui adhuc initio balbutiebant, uſum ſermonis amitterent, ſed non niſi garrulis ac ſtultis mulierculis condonanda inſcitia eſt, credere, quod aphoniæ ipſiusque mortis cauſa ſit celebrata V. S. Imò non ſine causâ ſuſpicatus ſum in ultimo mihi obveniente ægro rupta fuiſſe vaſa ſanguifera, & hoc tanto veriſimilius, quod ante VStionem tota pubis regio & partes vicinæ, ut referebat, quæ enema injiciebat, ſanguine eſſent ſuffuſæ ac liverent. Inter interna hucusque ex receptâ methodo, quod non meliora ſuppeterent, ſæpiuſculè uſus ſum ſequenti Potiunculâ:

℞. ▽ antapoplect.
lavend.
ſalviæ aa. ℥ ij.
♎ ⊖ ♓ ci ℈ ij.
lil. convall. ℈ j.
Eſſ. caſtor. ℈ ij.
ſuccin. ℈ j.
ſyr. ſtœchad.
ceraſ. nigr. aa. ℥ ß.
M. F. P.

Nec minus crebro in uſu fuit liquor CC. ſuccin. aut ∽ cephal. Mœbii, qui ſub ∽ apoplect. D. T. nomine in quibusdam officinis venalis proſtat. Nec neglesimus veſicatoria, imò & alia omnia, quæ à Medicis præſcribuntur facienda. Non verò apud cordatos, ut ſperamus, nobis fraudi fuerit ingenua confeſſio, omnia iſta in paulò vehementiori apoplexia nihil quicquam prodeſſe. Celſisſimus quispiam Princeps in familiari mecum colloquio incidebat in mentionem pilularum, quarum virtutem in apoplexiâ multum laudabat. Dùm obiter quædam earum ingredientia commemoraret, etiam verbulum de opio modo planè ſingulari præparato ei excidebat. Protinus memoriæ obverſabatur candidiſſimi Ludovici obſervatio conſimilis, ſed de quâ ex propriâ experientiâ nihil addere licebat, quamvis opii uſus in apoplexiâ admodum mihi ſit ſuſpectus. Cum verò hodiè uſitata apoplexiæ curandæ ratio adeò parùm ſuccedat, ſæpius in mentem venit priſca methodicorum methodus, quæ modernæ è diametro oppoſita eſt. Nam locô frictionum, vellicationum, crinium evulſionum, imperat hæc *articulorum blandi tactûs continentiam*, id eſt, ſuavem contrectationem; Nos hodiè ſpirituoſiſſimis aquis ac odoratis nervinis verticem, tempora, vultum, ſpinam dorſi imbuimus; methodici *olim medias capitis partes & collum limpidâ lanâ tegebant, & fomenta olei dulcis & calidi adhibebant, & expreſſis ex aquâ calidâ ſpongiis vultum fovebant.* Nos hodiè ſpirituoſa ac volatilia apoplecticis exhibemus; illi *ſimplicem aquam, ſed calidam,*

dam, *aut mulſum* infundebant. Nos acribus clyſteribus alvum irritamus; illi clyſtere ſimplici ac blando inteſtina craſſa eluebant. Verbo, nobis tonica & ſtrictoria; illis relaxantia ac ſtricturam nimiam ſolventia curæ prora ac puppis erant. Methodici, quod mireris, poſt declinationem paſſionis tantùm aliquod ſpirituoſum, ſcilicet vinum ægris ſuis indulgebant. Meretur omnimò hâc de re legi Cœlius Aurelianus *lib.* 3. *acutor. cap.* 5. in editione quidem Lugdunenſi ſatis accuratâ *p.* 180. *& ſeq.* in novâ vero elegantiſſimâ *p.* 202. *& ſeq.* De hâc priſcâ Apoplexiæ medendi ratione judicium ferri accuratum nequit, ante quam eam in uſum aliquoties vocaveris; in uſum autem ut vocet quisquam, non temerè fuerim autor, quomodocunque cadat res, niſi animum planè adverſus calumnias, vulpinas fraudes ac mille technas obfirmaverit. Quanquam, ut nihil quicquam diſſimulem, rationi & recentiſſimis principiis methodicorum via, niſi me omnia fallunt, non adeò adverſa videatur. Mira fuit ratio, qua Cardinalis Richelius Patrem Joſephum Capucinum, notum in Galliâ, imò totâ ferè Europâ nomen, cum eum ſecundâ vice apoplexia an. 1638 die 18. Decembris obruiſſet, excitare voluit; nam, ut in hujus vitâ ſcribitur, intentâ voce ſubinde Cardinalis acclamavit: *Courage, Pere Joſeph, courage, Briſac eſt à nous.*

Hoc tempore paſſim audiebantur querelæ de aurium dolore acutiſſimo. Laborabant illo potiſſimum Juvenes ſanguineæ conſtitutionis, unus & alter etiam virilis ætatis. Vehemens dolor excruciabat ægros parte intimâ & imo meatu audiendi. Et licet verum eſſe fateamur iſtud *Plinii*, *quod ſuus cuique dolor ad præſens atrociſſimus videatur*, non poſſumus tamen non Galeni judicium probare, qui differentiam quandam magnitudinis doloris juxta locos, in quibus fiunt, faciens, auris dolorem poſt acerbiſſimos coli cruciatus primo ſtatim loco ponit. Deſcribunt autem hunc ſuum dolorem ægri tanquam pulſatorium & lancinantem, qualis ſolet eſſe, quando inflammatio circa membranas & arterias oboritur. Præterea vehemens ſenſus ardoris adeſt, qui vetat originem doloris ab acribus & ſanioſis humoribus arceſſere. Febris etiam accedere ſueuit. Quanquam verò dolorem hunc periculo carere minimè aſſeramus (cum facilè continuatione quadam per nervum & membranas ad cerebrum usque propagari queat) nec detrahamus illis obſervationibus fidem, quæ narrant, quosdam ex immani iſto cruciatu repentè perinde atque apoplecticos eſſe mortuos: apud nos tamen, quantum meminimus, malum hoc non facilè cuiquam perniciem attulit. Intra ſeptem plerumque dies ſuppuratione finitum eſt. In ſanguineis adoleſcentibus etiam citius exquiſitiſſimum dolorem per largam narium hæmorrhagiam fuiſſe ſublatum recordamur. Sub initium curæ diſcuſſionem inflammationis moliti ſumus exhibitis blandis diaphoreticis, mane quidem in forma guttarum, ſub noctem verò in pulvere, ac horis matutinis placidum ſudorem exſpectare juſſimus. Quapropter commendavimus regimen ad uberiorem tranſpirationem promovendam aptum, id eſt, corporis conti-

Dolor Aurium.

nentiam abſque jectigationibus, & potus calidos, puta infuſum Thé, Decoctum Caffé, C. C. juſcula hordeacea. &c. Externè pulverem ex vegetabilibus reſolventibus cum Camphorâ mixtum, uti & pulverem, quem Clariſſ. Ludovici in eryſipelate commendat, applicavimus. Ab infuſionibus oleorum rutæ, chamomillæ, ovorum, ſcarabæorum, amygdal. ſcorpionum abſtinuimus, poſthac multiplici uſu edocti olea hæc noxia eſſe, quoad ſpes ſupereſt diſcutiendæ ſtaſis ſanguineæ, dum in propatulo eſt, emollitione membranarum uberiorem affluxum ſanguinis ad partem affectam concitari. Noti iſti ſpiritus otalgici Minſichti & Barbette ſenſum doloris ſubinde augere deprehenduntur. Quando autem ex voto diſcuſſio ſtagnationis & inflammationis non ſuccedit, ſed ex pulſatione in auribus increbeſcente, febri majori ac deliriis intercurrentibus, ſuppuratio phlegmones inſtare colligitur, ad fotus progreſſi ſumus ac cataplaſmata ex radice altheæ, fol. malv. fl. melilot. chamom. ſem. fœnugr. lini, crocô, medullâ panis triticei, vitell. ovor. &c. Res in vado eſt, ſimulac pus album, leve & æquale effluxerit, febris ac deliria remiſerint, ſomnus placidus & profundus fuerit ſecutus, cum ſignis coctionis in urinâ.

Tinnitus aurium. Tinnitus aurium frequens apud nos malum, de quô primô Hiſtoriæ anno egimus, ſed circa finem hyemis hoc & ſequentibus annis longè fuit frequentiſſimum. Huic hypochondriaci potiſſimum apud nos obnoxii agunt. Celeberr. Wedelius *lympham elaſticam halituoſam, rarefieri aptam ac minus placide motam* accuſat, & præter pilulas ex reſinâ turpeth. ſcamm. extracto agar. pul. rad. jalap. cinab. nat. ol. fœnic. commendat mixturam ex Eſſ. carminat. ʒij. Tinct. ♂ t. balſamic. ⁓ vitriol. cephal. aa. ʒj. ol. citr. gt. ij. ut & pulv. ſtomach. Querc. c. ʒij conch. pp. cinnab. nat. hepat. rub. Dreſd. aa. ℈j. ol. mac. gt. j. Tentavimus in rebelli malo efficaciam horum remediorum, ſed apud nos quidem illa exſpectationi non usquequaque ſatisfecerunt. Irrito internorum uſu fatigati noſtratium quidam majorem à topicis externis, quæ tamen multo parcius quam olim commendare ſuevimus, præſtolantur opem, ſed fruſtrà; Imo ſat in proclivi eſſet exemplis docere, quam noxia fuerint. Hic autem non poſſumus non atro notare carbone eos, qui auribus non probè à ſordibus purgatis varia in notabili quantitate, & quod mireris, frigida, craſſa, lenta ac viſcida intrudunt, & paucis interpoſitis horis nova ſubindè, non abſterſis prioribus infundunt, id verò cum damno ægrorum fieri certum eſt.

Febris maligna. Unus & alter hôc tempore etiam febri malignâ detinebatur. In iis, quibus ea funeſta fuit, maturè admodum tremulum in manibus ac labiis motum obſervare licebat; is brevi poſt ingraveſcebat; ſcilicet mirè incipiebant manum dimovere, palpabant, quaſi aliquid captarent. Ferè taciturni jacebant demiſſis palpebris, & dum dormire viderentur, aliquid ſubmurmurabant, nunquam tamen ceſſantes à geſticulatione manuum, ex qua etiam eos delirare concludebamus. Biduò ferè ante mortem taciturna

hæc

hæc inſania in turbulentam mutabatur, exiliebant, clamabant, rixabantur; paucis tamen ante fatale momentum horis iterum ad ſanam redibant mentem. Nec minus periculosè circa initia Martii ex malignis febribus decumbebant ſanguinei quidam in floridâ ætate conſtituti. Ab initio ſtatim variis obnoxii erant per intervalla viciſſitudinibus. Modo per horam unam atque alteram omnia erant tolerabilia, mox iterum graviori æſtu & anxietate urgebantur, ſed remiſſiones illæ ac exacerbationes non in ſtata incidedebant tempora, quod aliàs continuis ſolemne eſt, quæ circa noctem exacerbantur, horis matutinis remiſſione ægros in ſpem erigunt meliorem. Increbeſcebant vices illæ circa dies criticos. Maxima virium fatiſcentia ac deliria metum augebant; & quod rei caput eſt, abſentia excretionum ac imprimis ſudoris blandi quippiam boni ſperare vetabat. Urina cereviſiæ noſtræ ferè ſimilis. Tempore æſtus intenſioris pulſus fortior ac celerior cum vivaciori in vultu colore, tempore verò inſtabilis illius ac fluctuantis remiſſionis pulſus multò debilior erat, ac color etiam vultûs minuebatur. Tribus aut quatuor ante ineluctabile fatum diebus, anguſtiis in pectore, & faucium ſiccitate ac ardore querentes audire licebat. Ultimis diebus rubeſcebat vultus, interdum etiam oculi, dolor capitis augebatur, mens deliriis gravioribus diſtracta hærebat. In reliquo corpore habitus ſtrictior erat. Inferiores partes parùm calebant, integro etiam ferè die ante mortem frigebant. Antequam penitus malignam hujus febris indolem cognoviſſemus, & ipſi Hippocratis autoritate ſuffulti credebamus, ac aliis etiam perſuadere nitebamur, non adeò eſſe metuendum, ſed hæmorrhagiam criticam expectandam. Fefellit nos hæc ſpes, & ut verum fateamur, ad hanc usque horam, quâ hæc ſcribimus, ancipites hæremus, quidnam potiſſimum Medico agendum incumbat. Illud quidem evidens eſt, quod miaſma vel in maſsâ ſanguinis diffuſum, vel principalioribus viſceribus infixum hærens, indicet eliminationem per poros totius corporis, quod commodisſimè per placidum ſudorem efficacioribus alexipharmacis excitatum, & per aliquot dies continuatum impetrari novimus. At nos omnes, qui lectis ægrorum cum debitâ curâ & attentione aſſiſtunt, obteſtamur, ut liberè ediſſerant, quam vanè ſæpè ars præſidiis ſuis ad hunc ſcopum collineet? Reſiſtere videtur ipſa natura, quæ operoſis moliminibus ferè tamen fruſtra hæmorrhagiam narium moliri videtur, ſtrictura verò inferiorum partium, quæ ad hæmorrhagiam concitandam requiritur, auctiorem tranſpirationem, lenes ſudores, ac madores peripheriæ totius remoratur ac impedit. Quapropter in eas ſæpius cogitationes incidimus, Medico, ſi ſub initium morbi advocetur (contingit autem hoc quam rariſſimè) incunctanter ad V. S. & eam quidem largam (quam tamen in malignis aliis omnibus non tantùm tutò omitti poſſe, ſed & oportere, ſumus perſuaſiſſimi) eſſe confugiendum; & hâc præmiſsâ ſanguinis evacuatione, Sydenhamii methodo, quæ poſt V. S. calidiora aliàs nobis in malignis non adeò probata, commen-

mendat, inſiſtendum, & ſi hac viâ negotium non ſucceſſerit, ultimo etiam raninas aperiendas, nullâ utique temeritate, cùm certò ſi aliter procedas, ægro ſit pereundum. Verùm de hâc re alibi. Hoc tempore medicinam fecimus adoleſcenti cuidam, febre continuâ correpto & periculoſiſſimè decumbenti. Accedebat ad cumulum malorum aphonia, quæ tametſi nos non adeò terreret, cum viderimus puerum ſeptennem per triduum, alium verò paulò adultiorem integrum octiduum voce privatos fuiſſe, & tamen iterum priſtinam recuperâſſe valetudinem, percellebat ac turbabat tamen vehementer, quod inſtar attoniti jaceret omnibus viribus exhauſtus. Oculos ſubindè aperiebat, iterumque claudebat. Cum quaſi conclamatum eſſet de eo, primo quidem largiter ex naribus ſanguis effluxit, deinde etiam pituitoſa ſaburra per vomitum ex ventriculo ſine ullo emetici ſtimulo in enormi quantitate fuit eliminata. Excluſâ criticè opprimente materiâ per nares & ventriculum ephebus ad mentem rediit & locutus eſt. Idoneis confortantibus ſummo languori ac debilitati fuit proſpectum, quo facto brevi poſt ex voto convaluit. Suris cum pectore communicationem quandam intercedere, alibi notatum fuit, & certè Baglivianam obſervationem de inſigni veſicatoriorum uſu in ſuris, quando ægri aſthmate torquentur, cum conjunctiſſimo Collegâ noſtro D. Klaunig quantivis eſſe pretii in Praxi experti ſumus; nunc tribus annectere verbis lubet, quod ſuris etiam cum capite arctior ſit neceſſitas, quam vulgò creditur. In febri acutâ graviora conticuiſſe deliria oborto in ſuris dolore memoratum eſt Hippocrati, & etiam à nobis viſum; rurſus dolore in illis ceſſante, ſcilicet nullo prævio ſudore accenſas fuiſſe deliriorum faces itidem memoriæ proditum à noſtro ſene, ac ſemel etiam à nobis obſervatum eſt. Hactenus verò ſenſum Hippocraticorum verborum *in Coac. dolores circa ſuras mentem emovent:* aſſecuti non fuimus, quia nobis nullum fuit oblatum ejus rei exemplum in febribus acutis cum tremulo partium motu conjunctis, de quibus Hippocrati ibidem ſermo eſt. Extra febrim autem in ruſtico propemodum quinquagenario melancholici temperamenti durâ egeſtate preſſo, qui aliquoties conſilium meum imploravit, ſingularem hanc circumſtantiam notare datum fuit, quod præſente dolore gravi pollicis pedis ſiniſtri, qui per intervalla aliquoties in anno recurrit, ac in æſtu ei ferè continuus eſt, mente ſibi non conſtet, dolore autem illo ceſſante rationis uſu pro modulo ſuo optimè polleat.

Arthritis. Arthritis & calculus multos excruciabant, potiſſimum verò ſanguineos illos, quorum functioni aſſidua & pigra ſeſſio indivulsè eſt connexa. Certè apud Vratislavienſes non exiguus eſt eorum numerus, qui totos dies aut domi, aut in auditoriis cauſarum & curiis ſedent. Videas non paucorum limen à matutinis ſtatim horis obſideri à turbâ hominum, & quorum janua

Manè ſalutantûm totis vomit ædibus undam.

Sunt, quorum otium à prandio moribus noſtris largo, & ubi res domeſti-

ca

ca permittit, vinoſo ſtatim interpellatur, totumque tempus pomeridianum rurſus ſedendo ac ſcribendo conſumitur. Ac hi maturè admodum nephriticorum & arthriticorum caſtris aggregantur. Sæpè mirati ſumus huic hominum generi vel mediocrem conſtare poſſe ſanitatem, cum adeò nulla inter aſſumta & motum ſervetur proportio. Nam non in curiâ tantum, ſed ditioribus etiam in viâ ſedendum, & peſſimo mori manus dederunt, vehiculum perpetuò conſcendendi. Si ut olim tantillum itineris, quod bis aut quater in dei repetendum eſt, pedibus conficerent, poterat ſedentaria fatigatio hac inceſsûs agitatione diſcuti. Sed quid eſt tanta curruum frequentia per ſtrata viarum noſtrarum quotidiè diffundit, ut niſi pedibus equorum obteri, aut conſpurcari luto platearum velint, etiam ad vectationem cogantur decurrere. Huc nempè ventum eſt, ut videamur uſum pedum amiſiſſe, quem reſtitui frequentiæ priſtinæ non dubiè cenſendum intereſſe ſanitatis hominum. Martialis inſaniæ adſcribendum putavit, ſi homo juvenis & validus alienis pedibus ambularet per urbem, Philippum quendam inſectatus hoc epigrammate:

Octophoro ſanus portatur, Avite, Philippus,
Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis:

ut ex togatorum militiâ non ultimus Petrus Xylander quondam Regi Catholico in ſanctiori ſenatu à conſiliis &c. in epiſtola ad Plempium conqueritur. Hæc vivendi ratio etiam alios morbos poſt ſe trahit.

Non paucis hujus ordinis hominibus moleſta etiam eſt ventriculi anxietas ac dolor, qui poſt cibum aſſumtum invaleſcit eâ de causâ, quia ventriculi diſtenſio à ſumto cibo neceſſario ſequitur. Nec verò ſolet miteſcere, donec cibus concoctus per pylorum deſcendit. Credibile eſt, hanc ventriculi debilitatem & inde reſultantem moleſtiam non parum augeri per compreſſionem ejusdem poſt ingeſtum cibum legendo ac ſcribendo, ut jam olim obſervavit Platerus. Ventriculi dolor.

Mirè etiam flatibus obnoxii ſunt ſedentariam hanc vitam agentes, ac multi Vratislavienſes alii. Paulò eſt obſcurius, unde flatus, id eſt, halituoſa ſubſtantia expanſionibus apta tam facilè in ventriculo & inteſtinorum voluminibus cumuletur. Hoc certum eſt, quod hîc locorum cibi, qui facilè in halitum diſſolvuntur, frequentiſſimè apponantur. Multi veſcuntur frigidis & humidis e. g. lacte, ſero lactis, juſculis aqueis &c. Rurſus alii delectantur viſcidis, ac multorum deliciæ unicæ ſunt piſces; plurimi inhiant pomis, fructibus horræis, & inter viliores non pauci fabis & piſis &c. *quorum ſpiritus levi de causâ exhalant.* Tandem dulcia ac mellita, ut & maſſæ farinaceæ cum fæcibus cereviſiariis paratæ ac pinguia quævis in frequenti apud nos uſu ſunt. Cereviſia quoque noſtra craſſa his annis ac turbida fuit multoque ſedimento fœculento fœta. Admo- Flatus.

dum.

dum verò eſt ſimile ex cibis his ac potu noſtro halituoſam ſubſtantiam evolvi in illo inteſtinorum angulo, in quò bilis, ſuccus pancreaticus, lympha inteſtinalis, & quicquid ex poris œſophagi & ventriculi deſtillat, confluunt, & aliquo motu fermentationis ſeu effervescentiæ, ut ſcholæ multæ crediderunt, agitantur. Sed cum experientia affatim teſtatur, eos etiam, qui ab his aliisque ejus commatis cibis abſtinent, nihilominus flatibus infeſtari, rationi non repugnat credere, eos ſæpius ex reliquiis alimenti non ritè concocti, ac muco in ventriculo & inteſtinis ſemper obvio excitari. Dùm vero omnis dies docet, multos homines affatim ingurgitare cibos; quos flatulentos dicimus, & iterum, dum certè non deſunt, quorum canalis alimentarius muco ſatis eſt repletus, qui tamen aut nulla planè, aut ſatis levia à flatibus experiuntur incommoda præ aliis, qui minimum in cibis flatulentis commiſſum errorem multis moleſtiis expiant, neceſſe eſt, aliquam in tubo inteſtinorum tàm diſparis conditionis hominum reperiri diverſitatem, adeoque inteſtina ipſa plurimum ſanè momenti ad generationem flatuum conferre, prout hoc, vel illo modo comparata ſunt. Quod ſi autem ad vivum omnia reſeces, deprehendes facilè in inteſtinis eorum, qui flatibus vexari levi datâ occaſione ſolent, majorem ineſſe flacciditatem ac remiſſionem tenſionis illius, quâ motum periſtalticum abſolvunt, ſcholæ tonum vocant, & quidem multò ſignificantius. Putare ergò licet, flatus excitari, quando in inteſtinis reperiuntur fermenteſcibilia ad diffuſionem & expanſionem elaſticam apta, & inteſtina in hâc illâve voluminis ſui parte non ita tonicè tenſa ſunt, ut halituoſæ fermenteſcibilium diffuſioni obnitantur, ſed ita flaccida exiſtunt, ut expanſioni facilè amplius concedant ſpatium. Quodſi præterea fermenteſcibilia in inteſtinis præſentia hiſce irritatione, acrimonia, acore, aut alio modo infeſta ſunt; absque dubio ſpasmodicæ contentiones ad amovendum & eliminandum ea, quæ moleſta ſunt, in inteſtinis fiunt; unde fit unô eodemque tempore, ut in hâc inteſtinorum parte tonus intendatur, in alterâ verò remittatur. Quando verò portio inteſtinorum illa, quæ relaxatam partem excipit, etiam ſpasmodicè contrahitur, & hoc pacto illa à flatibus propter tonum remiſſum debilitata pars inteſtini utrinque & in ſuperiori & inferiori regione cingitur à ſtrictis & ſpasmodicè contractis inteſtinorum partibus, fieri profectò aliter nequit, quin flatus incarcerentur, & tormina ac dolores diſtenſorii & quaſi ruptorii ſentiantur, dum nimirum flatus vi ſuâ elaſticâ contentioni inteſtinorum renituntur. Arduum verò eſt definire, an halituoſa illa ſubſtantia, quam flatus dicimus, aqueæ, an verò aëreæ ſit indolis, quamvis ſciamus in poſteriorem ſententiam propendere non paucos, quod 1. hujus generis corpori competat rigiditas, cujus ratione etiam vim elaſticam exercent, illi verò partes ſint molles & lubricæ ac flexiles, niſi in glaciem denſentur: 2. quod ad flatum requiratur inſignis rarefactio, cujus

cujus adeo capaces non ſint aqueæ indolis ſubſtantiæ. Si itaque hos autores ſequimur, cibi illi, qui à Fieno, & ante hunc à Celſo flatulenti dicuntur, hoc nomen merentur, quod copioſiorem intertextum gerant aërem, ac emittant, ad quam rem dilucidius explicandam experimenta Boylii multum conferre poſſunt. Si per omnia hæc Philoſophia eſſet vera, caro bubula omnium maximè eſſet flatulenta, eò quod teſte Boylio, ex nullo propemodum alimento major aëris copia educi poſſet; at verò ignoramus, an non experientiæ repugnarent, qui carnem bubulam omnium maximè flatulentam profiterentur. Sed his miſſis nos rurſus ad flatus revertimur. Benè res habet quando deorſum ſpontè erumpunt; ſi verò aliter fiat, & ad ventriculum connitantur, major ſubeſt difficultas, niſi per ructum elidantur. Quodſi verò his viis non procedant, ſæpius contingit, ut ventriculus, ad quem flatus propulſi ſunt, ſeſe nimium conſtringat ad flatus per hanc conſtrictionem expellendos, cui violentæ contentioni non rarò jungitur ſumma reſpirationis difficultas, cum graviſſimis anxietatibus præcordialibus, vertigine tenebricosâ, tinnitu & ſtrepitu aurium, frigore extremorum, ita ut ægri & circumſtantes ſuprema inſtare credant, cui moleſtiæ generi valdè obnoxii ſunt hypochondriaci ac ii, quibus hæmorrhoides negotium faciunt. Nec immunes ſunt ab hâc calamitate mulieres abortum paſſæ, & quibus menſes non ritè procedunt. Verbo, incommoda à flatibus vel congenitam, vel contractam aut ex morbo e. g. dyſenteriâ, vel ſpaſmodicis contractionibus ſæpè reiteratis flacciditatem ac debilitatem ventriculi & inteſtinorum præſupponunt. In gravioribus à flatu anguſtiis eò ante omnia laboravimus, ut obſtructiones tollerentur, & pravæ alimentorum reliquiæ, pituita viſcida, fæces alvi induratæ &c. è corpore eliminarentur, quod quidem commodiſſimè per clyſteres obtinuimus. Peto Hiſpanico enematibus admixto vim maximam educendi flatus non ſine veritate adſcripſit doctiſſimus Gliſſonius. Efficaciam fumi tabaci per inſtrumenta fumiductoria in Angliâ & alibi eò modo parata, prout ea depingi fecit Stifferus, inteſtinis immiſſi in rebus ſummè anguſtis ſummam, ut plurimis in hâc civitate conſtat, experti ſumus. Profectò ſi ea fumi virtus viro doctiſſimo V. F. Plempio fuiſſet æquè cognita, non excidiſſent ei hæc verba, lib. *de togat. valetudine tuendâ p.* 137. *Audio nuper in Angliâ excogitatum eſſe, & populo perſuaſum, atque adeo nunc eſſe in uſu, ut fumum tabaci per tubulum flatu ingerant in eam partem, quâ ciborum onera & reliquiæ redduntur. Quid non moliuntur inſani in hoc gyrgatho? &c.* Non multum ſoliciti fuimus de flatibus contemperandis & mitioribus reddendis, in quam rem etiam ex mente Gliſſonii Medico eſt incumbendum. Et ille quidem eâ fine commendat carminativa vinoſis mixta, ratus, ea haud minimum levaminis, quoniam blando ſuo fotu flatuum ferociam mitigant, in dolorifico hoc malo afferre poſſe. Enim verò cautum in eorum uſu Medicum eſſe oportere, certum eſt, tùm

quòd calida ſint, tùm quod ſtricturam in partibus inteſtinorum jam antea tenſis augere poſſint. Solis phlegmaticis, qui cereviſiæ uſu delectantur, in doſi moderatâ ac blandioribus aquis mixta ſic dicta carminativa, nec adeò frequenter repetita prodeſſe experti ſumus, ſi interpolentur nitroſa cum cinnabarinis & abſorbentibus, quæ ſola utramque paginam apud ſanguineos & cholericos hoc in paſſu abſolvunt. Vix autem Medicus anodynis hypnoticis & narcoticis e. g. theriacâ, philonio romano, opio &c. indigebit ad fibras præter modum irritatas iterum placandas, multò minus ad eas ita diſponendas, quo minus arctè comprehendant, ſed facilius dimittant & traduci ſinant flatus, dummodo cinnabari & nitro peritè uti didicerit. Securius etiam mitigationem fibrarum irritatarum ab oleoſis & gelatinoſis, quàm opiatis ſperare fas eſt. Nulli verò fuerimus auctores, ut ad exemplum Gliſſonii adſtringentia ad torporem inteſtinis inducendum, eademque ad flatuum diſſipationem coarctanda temerè ægris exhibeat. Nam ut jam ante monitum, in omni flatu adeſt aliqua inteſtinorum coarctatio. Eximium planè uſum habuerunt ſacculi ex emollientibus & paregoricis, in quorum externorum uſu commendando Aurelianus alicui nimius non immerito videri poſſet. Inter carminativa ut hoc adhuc addamus, egregiè locum & dignitatem ſuam tuetur extractum radicis pimpinellæ oleo carvi imbutum, in phlegmaticis. Spiritum tartari ritè præparatum inſigne eſſe medicamentum teſtari poſſumus. Dedimus etiam cum effectu Eſſentiam cortic. ☉ant. ac millefol. cum tantillo ⁓⊖☓ci aniſ. &c.

Catarrhi. Sub finem Martii regnabant catarrhi, varii generis, deſtillationes narium, epiphoræ, palpebrarum ſuperiorum laxitates &c. Proderant diuretica ac inter reliqua ſuccinata. Egregium eſt ſequens in exiguâ quantitate ægris oblatum:

℞. ol. ſuccin. ʒj.
⊖ ſuccin. volat. ℈ß.
M.

Digeſtione leni opus eſſe, quivis facile intelligit. Proderant & ſudorifera ſeroſis humoribus per cutis poros excutiendis deſtinata. Mihi tum in uſu fuit ſequens:

℞. ▽ beton. ℥iiiß.
ſerpill. ℥j.
cephal. ʒvj.
⁓ lign. ſanct. ʒj.
Tartari compoſ. ʒß.
Eſſ. lign. ſaſſafr. ℈j.
ſyr. corallor.
beton. aa. ʒß.
M. D.

Multi

Multi etiam tumoribus pariſthmiorum vexabantur, aliiſque morbis ſeroſis, de quibus prolixè agere, non attinet. Non poſſumus tamen euporiſton Joelis cataplaſma in tumore tonſillarum præ reliquis ſatis laudare, quod, niſi fallimur, paratum ex farina hordei, ſem. lini, fœnugr. aa. ℥ij. coctis in æqualibus aquæ & aceti partibus ad conſiſtentiam pultis, huicque maſſæ per ſetaceum trajectæ ol. chamom. q. ſ. admiſcetur. Tumores Tonſillarum.

Initia Menſis Aprilis ſerena & accepta erant; at reliquos ejus dies propemodum omnes tranſegimus inter varios ventorum, nebularum, pluviarum, nivium ac frigoris alternationes, etiamſi interdum per aliquot horas nos gratior refocillaret aër. Eadem aëris erat inconſtantia ineunte Majo uſque ad quintum ejuſdem Menſis diem, quo veris amœnitate frui cœpimus. Non tamen perpetua ea nobis fuit felicitas, nam aliquot diebus nonnulla à ventis incommoda experti fuimus; ſed eò gratior, quò calidior die vigeſimo nos afflavit aura; pluviæ quoque, quæ 23, 24, 25, 26 die decidebant, non erant ingratæ. Sub finem omnia ridebant & erat formoſiſſimus annus. In multis Junii diebus pluit, ac in paucis admodum ſol nobis illuxit ſerenus; nam tametſi 5, 7, 10, 11, 18, 19, 22, 26, 27, 28 non plueret, cœlum tamen nubibus erat obductum. Fulgura ac tonitrua cum ingenti tempeſtate nos terrebant die 16, ac eum ſequenti impetuoſus imber cum grandine effundebatur. Durabant morbi, quos ante enumeravimus; communes valdè erant tuſſes, gravedines, raucitates. Conſtitutio aëris per Aprilem, Majum & Junium.

Paſſim etiam graſſabantur Epilepſiæ puerorum. Plures, quam præcedentibus annis ſcabie fœdabantur. Nunquam meminimus, tot homines omnis ſexûs, & ferè etiam dixeris, ætatis, morbillis laboràſſe, quam quidem hoc ipſo tempore. Sub finem morbi graviſſimâ vexabantur tuſſi, quæ laxantibus bis terve repetitis debellanda fuit. Morbi hoc tempore graſſantes.

Multi adhuc exquiſitiſſimis doloribus podagricis fatigabantur. Memini tum cataplaſma ex radice quâdam arefactâ cum vino decoctâ pedibus illuſtris Podagrici à Chirurgo Caſtrenſi applicatum, poſt horæ circiter ſpatium acutiſſimos dolores ſine ullo ægri damno penitus ſuſtuliſſe. Tametſi verò tum temporis, quænam illa eſſet radix, reſciſcere non poſſemus, brevi tamen poſtea innotuit, eſſe eandem, quam, Johannes Raicus *in tractatu de Podagra Medico-Chymico anno ſuperioris ſeculi* 21. *edito p.* 48. & 49. commendat, quam alii ambroſiam, alii cervariam, germanice *hirſch-Wurtzel* appellant. Cum verò cervariæ nomine à Tabernæmontano & argentina Monſpeliaca *p. m.* 356. & chamædris major, *p.* 769. vocetur, in neutram verò quadret deſcriptio Raici, diu perplexi hæſimus, quænam ea eſſet radix, ſed dubium illud exemit nobis Bernh. Verzaſcha *p.* 468. ſcribens: * *Etliche ſetzen dieſes Kraut auch zu dem* Peucedano *oder Haar-Strang. Es hat eine Wurtzel mit groben langen haar, das über ſich gegen den Stengel ſtehet, bedeckt, auſwendig ſchwärtz-* Dolores podagrici.

* Sunt qui hanc herbam volunt eſſe ſpeciem Peucedani. Radix ejus villis craſſis, longiuſculis, caulemque verſus erectis cooperta, extrinſecus nigri, intrinſecus albi coloris, odoris ſaporisve acris & vehementis.

ſchwärtzlich, inwendig weiſz, an dem Geruch und Geſchmack hitzig und ſtarck. Hanc ipſam eſſe radicem, quam deſignat Raicus, patet, ex hoc, quod & ipſe agnoſcat, quod Tragus eam velit eſſe ſpeciem Peucedani *parte* 1. *herbarii ſui c.* 148. Nec dubium eſt, quin cervaria ſit Libanotis altera quorundam, item Daucus ſelinoides major, ſaxifragia Venetorum &c. Accuratius adhuc eam deſcribit celeberr. Rajus *in hiſtoriâ Plantarum lib.* 9. *c.* 4. *p.* 413. docens: *Radices plures digitales in unam coire, quæ ſenſim attenuata pedes duos aut tres horſum, illorſumque vagatur altius humo depacta, foris nigricans, intus alba lentam mucilaginem vulnerata manans, ſapore reſinaceo, aromatico, grato ad paſtinaceæ Germanicæ accedens ſaporem, ſubſtantiâ teneriuſculâ &c.* Hæc radix ex mente Raici 1. abundat *ſale adeò corroſivo*, ut ferrum penetret. 2. habet 🜍 *purum anodinum.* 3. prædita eſt ☿*io ſubtiliſſimo anodyno*: Enim verò hæc notitia hactenus podagricis noſtris nullam attulit utilitatem, quod radix hæc noſtris non ſit cognita officinis. Eum autem in finem hæc à nobis commemorantur, ut ii, quibus alibi eâ utendi occaſio ſuppetit, vires ejuſdem periclitentur, & uberiorem de effectu ejus cognitionem Medicis non invideant.

Affectus oculorum.

Cum variis etiam oculorum affectibus colluctati ſumus. Non leve nobis dederunt negotium puſtulæ in adnatâ poſt variolas & morbillos reliquæ, quamvis neminem latere queat, quòd omnia ea, quæ corneæ inæqualitatem ac ſcabritiem inducere poſſunt, etiam generandis ejusmodi excreſcentiis apta nata ſint. Meminimus, quòd multoties etiam ſine prægreſſis variolis aut morbillis tales puſtulas conſpexerimus. Initio interdum vix magnitudinem ſeminis cannabini æquant, hærentque in corneâ non aliter ac guttula aquæ. Credibile eſt nutritii humoris exſudantis partem quandam eſſe tranſparentem hanc materiam ſubtiliſſimæ membranæ incluſam. Illa vero poſt intervallum temporis interdum ſatis breve turbatur, & affluxu ex vaſis ſanguiferis uberiori aucta in craſſiuſculum pus abit. Jam verò fieri aliter nequit, quam ut puſtula à puris ſubtili ſalſedine rumpatur, ac pus effundatur. Quod quando contingit, remanens membrana cum antea pure diſtenta ac elevata eſſet, in ſe rugoſa collabitur, & cuticulæ ita adhæret, ut ſenſim ei adnaſcatur, ac cum eâ coaleſcat. A novâ ſubinde materia affluente, cui rugoſus ille ſitus faciliorem præbet aditum & domicilium, illa fibrilloſa accretio augmenta capit, & ſi ab angulis oculorum, majori imprimis prodit, ut certè frequentiſſimè ab interiori oculorum cantho prognaſcitur, ſæpè ita invaleſcit, ut non tam corneam tunicam, ſed ipſam etiam pupillam tegat, ac ſpecierum viſibilium, ſicut ſcholæ vocant, acceſſum prohibeat. Speramus non adeò fore improbabilem hujus texturæ ex ſucco alibili generationem conſiderantibus, & ipſos nodos & cicatrices eidem debere natales, illos quidem, ubi eroſis perioſtiis, hos quidem ubi carne, cuteque vulnerata nutritius liquor copioſius effluit. In curâ univerſalibus præmiſſis, ruptâ puſtulâ ad extergentia ſeptica, & quæ rodendo agunt illicò pro-

greſſi

greſſi ſumus. Nunquam enim probavimus conſilium eorum, qui fotui & ſuffumigiis multum tribuunt, edocti à Wedelio, quod ab intempeſtivis fotibus ſtudioſus aliquis cataractam reportaverit, *in Amœn. Mat. Med. p.* 133. Nota ſunt collyria Foreſti, Riverii, Claudini, aliorumque, ſed nunquam cenſuimus, tantâ eſſe opus farragine. Initium ferè fecimus vel à pulvere ex ovorum teſtis parato, vel oſſe ſepiæ, vel etiam matre perlarum alioque terreo. Ubi vidimus, hæc aliaque minus ſufficere, quemadmodum certè raró ſufficiunt, illicò ad alia progreſſi ſumus, ſcilicet ad vitrum antimonii, crocum metallorum, vitriolum ♀is cœruleum &c. vitrum ♁ij. & crocum metallorum in pulverem redegimus, vino vel aquâ roſarum aut euphraſiæ diluimus, pulverem, qui in fundo ſubſedit, oculis cautè inſperſimus, & cavimus ne partes oculi illæſæ tangerentur. Vitrum ♁ij eſt paulò ſegnius. Crocus metallorum oculum premit, eique pondere ſuo moleſtus eſt. Efficaciſſimum eſt vitriolum ♀is in aquâ roſarum ſolutum, at vehementer urit, quapropter neceſſarium, ut brevi poſt oculo aqua roſarum cum ſaccharo Saturni inſtilletur. Novimus lapidem medicamentoſum Crollii non ſine utilitate fuiſſe adhibitum. ∘°∘ laterini virtutem in diſſolvendis laxioribus epigeneſibus extolli ab aliis probe recordamur, ſed iſtud nos quidem in oculis hactenus nondum adhibuimus.

Hâc occaſione liceat nobis addere, quod experti fuerimus in quibusdam junioribus Strabismum poſſe corrigi, in aliis verò, quicquid etiam egeris, laborem omnem inutiliter impendimus. Et omni quidem dubio vacat, in his conformationis vitium ſubeſſe debere, nam etiam diuturnæ conſuetudinis vis tanta in puerulo eſſe non poteſt, ut nullâ contrariâ conſuetudine immutari queat. Vitium autem illud congenitum in nonnullis conſiſtere videtur in hoc, quod humor cryſtallinus pupillæ non rectè opponatur, ſed in utroque oculo vel ad latus, aut ſurſum, aut deorſum vergat & declinet. Eo ipſo autem fit, ut ille non ſecundum lineam rectam, ſed obliquam rebus videndis opponatur. Apud alios vitium non tam in vitioſo humoris cryſtallini ſitu hæret, ſed in pravâ muſculorum oculos moventium diſpoſitione ac conformatione, quâ fit, ut oculus non in ſitu æquali contineatur, & præterea neceſſaria muſculorum ſynpraxis lædatur. Quando enim hæc pervertitur, & hic vel ille muſculus antagoniſtam ſuum ſuperat eidemque præpollet, eo ipſo, dum oculum nimis in ſuas trahit partes, viſionem diſtortam efficit, ac, ſi in utroque oculo id eveniat, ſtrabismum inducit. Enim verò ſi ſtrabismus à vitioſo muſculorum in oculis motu originem trahit, ut quæ diximus, fidem faciunt, in aprico eſt, quod per pravam conſuetudinem infantes in ſtrabiſmum incidere queant, dum nimirum vitioſè oculos movere aſſueſcunt. Illuſtre eſt apud Sennertum exemplum de puellâ, quæ metu novercæ malignæ poſt fornacem ſedens limis oculis adventum ejus obſervans, ſtrabismum contraxit. Non immeritò itaque parentes ſtrabismum metuere poſſunt,

Strabiſmus.

quando infantes in cunis jacentes oculos vel ad hunc, vel ad illum loci ſitum continuè movent, & quaſi fixos habent, dum enim, ut jam innuimus, perpetuò vel ſurſum, vel deorſum, vel ad dextram, aut ſiniſtram partem flectunt, ſenſim oculi illi ſitui aſſueſcunt, & eodem niſi valde in contrarium nitaris, permanent, ac ſtrabones evadunt, & quidem brevi temporis ſpatio; nec enim fides abroganda clariſſ. Boneto qui teſtatur ſe vidiſſe ſtrabismum ortum in puero ex illuſtri familiâ oriundo citra ullum morbum præcedentem, & ſtrabismum quidem ſpatio unius hebdomadis conſummatum. Aliàs & hoc compertum eſt, ſtrabismum ſuo modo eſſe hæreditarium. Novimus parente ſtrabone ortos liberos cum eodem oculorum vitio. Ex omnibus hisce liquet, humani quippiam paſſos eſſe noſtros anteceſſores, ex quorum mente omnis ſtrabismus vel à ſpasmo, vel à paralyſi proficiſcitur. Et tametſi omninò ſit vero conſonum, à convulſione & reſolutione nervorum ac muſculorum oculos distorqueri atque exinde obliquum aſpectum oriri, facillimum tamen ipſis fuiſſet ſtrabones notare, quibus liber eſſet motus muſculorum in oculis, hoc eſt, quorum oculares muſculi neque paralyſi, neque ſpasmo laborarent. Strabismus congenitus nulli ſubjacet curæ, ille verò per pravam conſuetudinem contractus non adeò facilem admittit medelam. Novi applicatam larvam faciei puerulorum foraminibus ad locum oculorum perforatam, & lucernam directè oppoſitam fuiſſe, ut hoc pacto viſui directo aſſuefacerent oculos, quod remedium ex antiquis *Paulus* commendavit *lib.* 3. *c.* 22. & poſt Paulum ex recentioribus *Jonſtonus* noſter in *Ideâ univerſ. Med. lib.* 8. *c.* 8. *p. m.* 433.; ſed omnis ille labor fruſtra impenditur, niſi per aliquot menſes continuetur.

Hæmoptyſis. Porrò fidei noſtræ etiam ſeſe commiſerunt hæmoptoici, inter quos fuêre, qui ante eruptionem ſanguinis conquererentur de dolore ſub coſtis nothis in hypochondrio ſiniſtro, eoque ſatis exquiſito, ut etiam medentes redderent dubios & perplexos, an rejectio ſanguinis dolorem brevi ſecuta per ſtomachum fieret, vaſe brevi ſcilicet aperto, ac in ventriculum hianti & ſanguinem effundenti, ita ut lien fons ſanguineæ ſcaturiginis hujus eſſet, an verò ex pulmonibus per arteriam aſperam latex vitalis prorumperet? Nam ita deſcribunt hunc ſuum dolorem, & locum adeò apertè deſignant, ut dubium nullum ſupereſſe poſſit, ſedem exquiſiti ſenſûs in liene eſſe, eumque & à ſtagnatione ſanguinis, & compreſſione, contractione, ſtricturâque viſceris ac vaſorum ſanguiferorum illius oriri. Nihilominus omnes circumſtantiæ aliæ nos convincebant, ſanguinem ex pulmonibus ferri, ut vel hinc videre liceat, quantum ſtricturæ & coarctationes viſcerum ac vaſorum abdominis conferant ad hæmoptyſin. Communicata fuit ab amico methodus nova effrænam etiam coërcendi, ut ajebat, hæmoptyſin. Vocata ea in uſum, & eximiè profuiſſe deprehenſa eſt. Eam cum Practicis communicare haud gravabimur. Miſtura ſequens horâ ſeptimâ matutinâ & tertiâ pomeridianâ exhibita eſt doſi 40 gutt.

℞.

℞. Eſſ. millefol.
mum. exot. aa. ʒß.
ſcordii.
Tinct. bezoard. aa. ʒj.
Tinct. wilde cynogloſſ. gt. XX.
M.

Horâ verò 10. matutinâ & horâ 6. pomeridianâ hæc:

℞. Tinct. ♁ij.
CC. aa. ʒjß.
M. eadem doſi.

Veſperi data fuit ex pulv. ſeq. ʒj.

℞. bol. armen. pp.
Terr. ſigillat.
mum. veræ.
ſang. Drac.
ſpermat. cet. aa. ʒij.
ſpec. Diatragac. frigid. ʒj.
ſpec. wil. de cynogl. ℈j.
M. f. pulv. ſubtiliſſ.

In eruptione violentiori ex ſpec. de hyacinth. ℈ß. quocunque tempore oblatus eſt; ſi verò hoc medicamento ferocia effuſionis non mitigaretur, ut ſubinde mitigata non fuit, mox hoc pulvere domita eſt:

℞. ſpec. wil. de cynogl.
ocul. ♋ pp. aa. ℈j.
M.

Præterea pulvis bufonum ſacculo incluſus ſub axillarum alterâ geſtabatur. Vitriolum album ſole calcinatum aquæ calidæ immiſſum, ac ſanguis erumpens in illud vas effuſus eſt. Hæc cura non vulgaris ingenium inventoris, quiſquis ille fuerit, acutum abundè declarans, ex voto bis terve ſucceſſit.

Menſes tarde erumpentes.

Vernali hoc tempore ſuſcepimus curam multarum fœminarum, partim earum, quibus menſtrua nondum fluxerant, etiamſi 14 ætatis annum jam exceſſiſſent, ſi, ut frequenter uſu venire ſolet, propter retardatum hunc fluxum valetudo earum læderetur; (eas enim, quæ illibata fruuntur ſanitate, etiamſi ad 20 ætatis annum ac diutius, imò per totam vitam lunare tributum non perſolverint, nullis torquendas eſſe remediis, certi ſumus, ac rem hîc acu tetigiſſe cenſemus Helmontium, qui credit, has fœminas tantum ſaltem ſanguinis producere, quantum ipſis pro conſervando corpore neceſſarium eſt) partim etiam iſtarum, quibus ex voto antea menſes ſucceſſerant, ſed iterum ſubſtiterant. Plures ſunt hîc locorum virgines, quibus juſto tardiùs non ſine gravi earum incommodo menſtrua purgatio erumpit. Cauſas ſi ſciſciteris, variæ ſeſe offerunt. Plebeiæ craſſis ac viſcidis ſaturantur alimentis, frigidam ingurgitant, & quod caput rei eſt, in locis frigidis & humidis ac uliginoſis educantur, (rem norunt, qui

qui egenæ plebis habitacula apud nos viderunt) & aliquanto adultiores linteorum extersione aut aliâ manuariâ operâ vitam tolerant, in iisdem domiciliis, in quibus nati ſunt, commorantes. Fortunatiores, quibus liberalior contingit educatio, maturè vitæ ſedentariæ aſſueſcunt, dum iis imbuuntur artibus, quæ hunc ſexum ornant, id eſt, vel filum acu ducunt, vel dulcedine muſices captæ inſtrumenta muſica animant, aut etiam in linguis exoticis Polonicâ, Gallicâ, Italicâ diſcendis occupantur. Quantilla eſt etiam illa exercitatio corporis, quam culinaria negotiola mediocribus (nam nobiliores hæ etiam curæ non exercent) nuptias anhelantibus imperant. Menſa verò, quæ his noſtris apponitur, irritat famem & ſaturas etiam ad edendum cogit. Farinaceo butyro frixa unicæ multarum deliciæ ſunt. Quando autem per tempus palato ſuo obtemperarunt, juſcula & calidos cibos faſtidiunt, & deinceps non niſi frigidis ac crudis ventrem implent. Aliæ, quæ ad hos ſcopulos non allidunt, parum admodum bibunt. Somno etiam nimium temporis tribuitur à pleriſque. Nonnullæ non noctem tantum, ſed & optimam diei partem, horas ſcilicet matutinas ad octavam, imo nonam uſque ſomno dicant. Non eſt exiguus numerus eorum ex utroque ſexu apud nos, *qui alium ſibi diem, aliam à naturâ noctem faciunt, qui ad faces & cereos vivunt, qui tædas ſolem ſibi ſtatuunt*, ut ingeniosè Carolus Scribanius S. J. *in Antverpiâ p. 6.* Nimium *ſordida res eſt*, ut pergit *ibidem & pag. ſeq. vulgari viâ vivere, facereque, quod facit populus: quare publicus dies relinquendus, deligendus proprius ordoque rerum mutandus; tanquam aut natura, aut conditor Deus à ratione aberraverit.* Hâc autem vivendi licentiâ non tantum ſanguis lentus & craſſus evadit, ſed & ſerum ac lympha muceſcit, ac ad ſtagnationem diſponitur. Atque hinc lerna malorum, præcipuè autem lumborum, ſcapularum, capitis totiusque corporis gravitas & dolor tenſivæ laſſitudinis, cibi faſtidium ac menſium retardatio. Rurſus reperire licet, quas propter diætæ leges temerè violatas immeritò accuſaveris, quibus tamen nihilominus non licet adeò eſſe felicibus, ut tempore à naturâ deſtinato manent menſes, licet ſint plethoricæ, ut exinde ſuſpicio ſuboriatur, etiam ſanguinis abundantiam nimiam in quibusdam menſium fluxum remorari. Non defuerunt, quibus ſanguinis immoderata ex naribus & pectore profuſio ſæpius repetens impedimento fuit, quo minus ordinario tempore iis menſes fluerent. Non licuit nobis hactenus perſpicuè & clarè per experientiam cernere, quod viarum anguſtiæ in juvenculis exitum menſtrui ſanguinis impediverint, nam tametſi captu facillimum, quomodo unus alterve ramulus arteriarum tumoribus, cicatrice &c. arctari queat: difficillimè tamen aſſequi datur, quomodo tam numeroſæ arteriæ tum in uterum, tum in cervicem ejus deſinentes hôc modo ſtringi & comprimi poſſint, quò minus ſanguis ex oſculis in uteri & vaginæ cavitatem ſtillet? Multò autem minus patet, quomodo vaginæ & colli uterini tanta poſſit eſſe anguſtia, ut exeunti ſanguini repagulum objicere valeat, imperforatas ſi excipias.

Cæte-

Cæteroquin in vulgus usque notum eſt, quod hæmorrhagiis ſæpè obnoxiæ vivant, qui exilibus admodum vaſis præditæ ſunt. Facilius deprehendere licet, in quibus haud ſufficientem ſanguinis motum internum arguas, cum ubique obviæ ſint, quæ præ mœroribus ferè contabeſcant. Variæ etiam cauſæ reperiuntur, cur jam conſuetus menſium fluxus ſupprimatur, ſed ferè communes magisque vulgares ſunt enormiores in diætâ errores, crudorum alimentorum ingurgitationes, his enim, dum ſanguinis tenuitas & fluiditas ſenſim labefactatur, pedetentim fluxus menſium imminuitur ac tandem prorſus ſupprimitur. Pedum ac inferiorum partium refrigerationes, vel jam fluentes vel inſtantes menſes ſimul & ſemel cohibent. Non diſparis efficaciæ eſt terror vehemens ac improviſus in obſtruendo fluxu menſium. Novi duas nobiles præcipuo apud nos loco natas, quarum alteri, cum apoplexia matrem, alteri verò idem morbus patrem ex improviſo menſium tempore eripuiſſet, ambæ ex panico hoc terrore in pertinaciſſimam menſium obſtructionem inciderunt, & prior quidem à Collegâ noſtro non conſcio menſtruæ hujus purgationis eodem die pilulas purgantes acceperat, quarum efficaciam idem terror ita retudit, ut nullæ ſequerentur ſedes. Poſt fata illuſtriſſimæ matris menſes ſatis largiter fluere ſoliti, non amplius comparuêre, & poſt non adeò longi temporis intervallum hæc noſtra febri malignâ petechiali correpta Deo piam reddidit animam, nihil proficientibus medicamentis, quæ ultimis morbi diebus cum ordinario exhibebam. Poſterior priori felicior aliquot menſium labore tandem ab obſtructione hâc, quam per terrorem incurrerat, liberata fuit. Ex ſolerti obſervatione conſtat, quod ſucculentis & ſanguineis haud rarò menſes ſatis parcè fluant. Hæc res, ut ſubinde fit, ad medicos defertur. Hi, ſi minus provido conſilio, ut aliquando contigiſſe recordamur, fortiora emmenagoga, jam jam exitum molientibus menſibus exhibeant, tantum abeſt, ut copioſiores inde profluant, ut potius omnimode cohibeantur. His præmiſſis de curâ aliqua addamus. Quantum ergo concernit iſtas, quæ ætate maturâ evacuatione menſtruâ juſtô diutius carent, atque hinc malè habent. In iis ſi ſint plethoricæ, curam ferè auſpicati ſumus à V. S., quam in pedibus circa novilunium celebravimus. Pridie verò novilunii exhibuimus laxans, ubi plerumque pilulas noſtras cephalico-hyſtericas cum obſoleta, ſed efficaci tamen maſſ. pilul. Ruffi in admodum moderatâ doſi mixtas præſcripſimus, & multoties vidimus non ſine lætitiâ ex voto hâc ratione fuiſſe menſes provocatos. Egenis & minus nauſeabundis ſpecies hieræ ſimpl. Gal. ordinavimus, ac re ipsâ comperimus veriſſima eſſe illa Roderici à Fonſecâ *in Conſult. Med. c.* 18. *p. m.* 136. *Nullum medicamentum eſt præſtantius ad ciendos menſes ipsâ hierâ ſimpl. Galeni.* Pediluvia etiam ſeriò commendavimus. Quodſi hâc viâ reſtitantes non prolicerentur menſes, ad emmenagoga ac ſanguinem attenuantia nos convertimus, ſed ad illa quidem non niſi circa novilunium progreſſi ſumus, & vel Eſſ. myrrh. Tartariſat. vel Elix. Propr. ſ. acid. vel Elix. balſam. Langii in vino ad 20 vel 25 vel 30 guttas alvô non obſtructâ

in vino vel aquâ pulegii vel artemiſ. obtulimus. ℘il. Beccheri efficaciam jam anno hiſt. noſtræ primo laudavimus. Volatilia, ⊡rinoſa in ſanguine attenuando plurimum valent, ſi prudenter iis fueris uſus. Martialia aperientia etiam laudem merentur, e. g.

℞. Croc. ♂t. aper. gr. vj.
Tart. ⊕lat.
⊖ artemiſ. aa. gr. xv.
M. f. pulv.

Qui per aliquot dies non ſine utilitate ſumitur. Amavimus per tot annos contra communem ſententiam exiguas martialium doſes, ſi quando neceſſitas voluit, ut ad illa confugeremus. Ac parciori adhuc manu limaturam martis dedimus, quam crocum, ferè tribus aut quatuor alcohol chalybis granis contenti, cum etiam ex collegis quidam j. ingerere non vereantur. Bonum factum! abundamus ſuo quisque ſenſu. Pulveri cachectico Quercetani more Wedeliano o°o cinam guttam adjecimus, aliàs nunquam ferè imitati eos, qui ∽⊖)(ci vinoſ. cum o°o ſuccin. rutæ, ſabinæ connubium tantoperè amant. Pluſculum, ut ingenuè fateamur, tribuimus nodulis ex *herbis uterinis* artemiſ. roriſmar. meliſſ. matricar. major. origan. calamenth.: *ex floribus* chamæmeli, matricariæ, Keyri, calendulæ, ſummit. aneth. *radicibus* pimpinell. leviſtici, galang. mei, acori veri, cichor: *aromatibus* cinamo. caſſiâ lig. croco, mac. ac *laxantibus* helleb. nig. fol. ſenn. &c. Nemo, quantam offerant noduli hujuscemodi utilitatem apud nos credere poteſt, niſi qui multoties fuerit expertus, tum in iis, quibus menſes ſtato tempore non comparent, tùm in illis etiam, quibus, poſtquam fluxerunt, iterum pèr incongrua alimenta, ſuppreſſi fuerunt. Emeticis, quorum abuſum etiam alias deteſtamur, ferè non eguimus. Pediluviis verò ac balneis aquæ dulcis tantò crebrius uſi ſumus, quæ etiam ipſis medicamentis palmam dubiam faciunt apud eas, quæ per refrigerationem ac moram in locis humidis aut retardatos menſes expertæ, aut horum ſuppreſſionem incautè, ut diximus perſæpè ita fieri, incurrerunt. Paulò ante commemoravimus, menſes ſtato ordine fluere ſolitos aut abrupte & impetuoſius ſiſti; aut paulatim minui, ac tandem penitus aboleri. Sicubi prius hoc contigerit, ſanguinei temperamenti fœminæ febrilibus exæſtuationibus, & ſpaſmodicis agitantur motibus, ſimulac menſes fluere deſierint. Quæ verò paulatim fluxum amittunt, proniores ſunt ad catharros ſuffocativos, aſthmata, cardialgias, tumores pedum, ventriculi ataxias ac inflationes, hypochondriorum tenſiones, pertinaciſſimos capitis dolores, hemicraniam, vomitus, tuſſes ſiccas, artuum dolores ac viſcerum obſtructiones &c. Ad priores illas vocati ſine morâ enemata ſuaſimus, & quidem blanda, ſine ſtimulo ex emollientibus & carminantibus; hiſce junximus illicò Eſſ. pimpinell. cum guttâ unâ alterâve Tincturæ croci, & decantatas Beccheri ex ſelectioribus extractis pilulas, quibus factis, ſæpiſſimè febrilis alteratio cum

con-

convulſivis commotionibus conquievit, tametſi non illicò menſes iterum manaverint, quod tamen interdum fit, modò terror non illicò poſt aſſumpta alimenta menſium ſucceſſum turbaverit, uti omnia majoribus involuta ſunt difficultatibus, niſi vomitus ſpontè ſequatur, aut arte excitetur & moderatè pellentia exhibeantur. At res aliter comparata eſt cum iis quibus ſenſim menſes ſubſiſtunt ex erroribus in diætâ commiſſis. In illis utramque paginam, quantum nobis per experientiam conſtat abſolvunt purgantia ſæpius repetita, unde quidem fit, ut inſtantibus menſibus augeantur ſymptomata, ſed & ſæpiſſimè menſes revocentur, quos ſperare non licet illâ vice, ubi ad medicamenta idonea ſymptomatum malacia conſequitur. Purgantibus interpolavimus in minus ſanguineis Eſſ. aromat. DK. Elix. balſ. Lang. Elix. vit. D. Tralles amici quondam noſtri & Collegæ, & tandem moderatis pellentibus naturam ſui admonuimus officii tempore illo inſtante, quô aliàs menſes manare conſueverant. Eludit tamen pertinacia mali ſæpè artem, & optimorum remediorum vim enervat, quod potiſſimum, fit quando lumbrici in inteſtinis oberrant, ac tum fruſtra quidem omnis impenditur labor niſi cum uternis & emmenagogis anthelmintica ſocientur.

Quibusdam gravidis per muliebria ſanguinem fluere ſolere pervulgatæ res eſt notitiæ. Non unius verò generis eſt fluxus ille ſanguinis; intereſt verò prægnantium, ut cujuslibet indolem Medicus accurate habeat cognitam perſpectamque. Cum verò hos diſparis conditionis fluxus tum hiſce diebus, tum alio tempore ſæpiſſimè obſervaverimus, operæ erit pretium, eosdem breviter percurrere. Et initio quidem notum eſt, nonnullis ac potiſſimum plethoricis menſes fluere, aliis uſque ad quintum menſem, aliis verò toto geſtationis tempore, & quidem abſque omni & fœtus & matris noxâ ac damno, quâ de re conſuli meretur Columbus *lib.* 12. *de formatione fœtûs p.* 250. Et his quidem abſque doloribus ac torminibus placido curſu manat rivus ſanguinis ex genitalibus, non cum impetu exundat, nec grumos facile vehit. Tantum abeſt, ut ullis artis præſidiis ad inhibendum hunc ſanguinis effluxum, opus ſit, ut potius per adſtringentia quævis in abortûs periculum mulier conjiciatur. Neque enim ullo modo negari poteſt, quod ſanguinis nimia moles in utero fœtum ſæpè obruat, illumque vaſis umbilicalibus diſruptis foras propellat, quod contigiſſe illuſtri Matronæ Clariſſ. Verzaſcha *Obſerv.* 82. non immerito ſuſpicatur. Neque etiam ullum minatur vel matri, vel fœtui periculum, quod non raro brevi poſt conceptionem ſtato menſium tempore per horarum paucarum intervallum emicat ſanguinis ſtillicidium, ac altero etiam menſe interdum recurrit. Enim verò aliud judicium ferendum eſt, de fluxu illo ſanguinis, qui vel ſub finem ſecundi, vel etiam tertii quartive menſis geſtati uteri prodit. Tametſi enim primum à typo evacuationis menſtruæ neque quantitate, neque exeundi modo abeat, quinimò ſub hoc ſchemate duobus aut pluribus menſibus ſeſe ſiſtat, grave abortûs periculum portendit. Et abortus quidem tum inſtare cenſendus eſt, cum

Fluxus ſanguinis in gravidis.

fluxus ex tranquillo (præterlapſis nonnunquam aliquot diebus) in vehementem præcipitemque laticis vitalis mutatur profuſionem , quæ non raro adeò invaleſcit, ut ægræ animo linquantur, & extremis frigentibus jam jam expiraturæ videantur, quod etiam certò eveniret, niſi plerumque poſt aliquot horas immaturus fœtus excluderetur. Attentam verò conſiderationem illa inſolita animi dejectio , quæ ante vehementem iſtam hæmorrhagiam ſeſe exerere ſolet, meretur , ex quâ ſolâ inſtantem abortum & graviora ymptomata tutò prædixeris , etiamſi tibi cognitum non ſit , an mammæ ſint extenuatæ , aut cujus generis lac ex his fluxerit, an latera cum ventre ſuperiori arctari fuerint viſa &c. Eo autem majori dignæ ſunt commiſeratione, quod impoſterum, niſi uterus quam optimè expurgetur, iterum eôdem, quo prius menſe, iisdemque menſis diebus eadem fata experiantur, quod etiam erumpente ſanguine, prægreſsâ lumbi coxæque inſolitâ gravitate ſibi ominantur , licet ſpaſmi uteri admodum ſint leves. Quando itaque confertim erumpit ſanguis , metuſque abortûs non vanus eſt , ut rariſſimè tum eſſe ſolet, Medico ſit religio impetui ſanguinis exundantis adſtringentia , tanquam aggerem objicere. Nos analepticis ac emulſionibus gratioribus & minus flatulentis vires conſervavimus , orgaſmum repreſſimus , & eliſâ uteri ſarcinâ (ſæpè enim poſt primum abortum cùm gravidas ſeſe eſſe arbitrantur , informem geſtant quandam moleculam) hujus catharſi viribus debitè reparatis , ſedulò vacavimus. Tandem ſub finem etiam geſtationis , nonnunquam uſu venire conſuevit, ut ſanguis ex genitalibus feratur , ac maturè fluxus illius inſoleſcat. Ne hîc cum periculo gravidæ erraremus , ſolicitè attendimus, an hic ſanguinis rivus ex utero, an verò vaginâ tantùm & uteri collo oriretur, (ex utroque enim locô hôc ipſos etiam menſes ſcaturire poſſe , cum illuſtri Dn. Schrœckio *in Schol. ad Obſerv.* 91 *Helwigii* perſuaſi ſumus, non obſtantibus & rationibus & experimentis Clariſſ. Regneri Graaf *tract. de organis mulier. generationi inſervientibus c.* 9 *p.* 124) ſi ex vagina ſtillaverit ſanguis, ſalva res, nec opus fuit magna feſtinatione. At longè aliter judicavimus , ſi ex ipſo uteri fundo ſanguis manaverit. Tum enim fluxus certiſſimum eſt indicium ſeparationis placentæ ab utero, quæ ſimulac hinc fuerit avulſa , nunquam amplius cum eo coaleſcit , nec ullo modo ſperare licet , fore , ut ante editum fœtum fluxus ſanguinis ſiſtatur. Ne ergo falleremur miniſterio manuum obſtetricis uſi ſumus ac exploravimus , eſſetne internum uteri orificium apertum ? Ubi nunciatum nobis fuit, iſtud orificium hiare, non amplius duximus eſſe dubitandum, quin ſanguis ex utero ipſo erumperet, & tum quantocius partum promovimus, veriti, ne per inanem exſpectationem ex nimiâ hæmorrhagiâ vires fatiſcerent, ac mulier ſub partûs laboribus exſpiraret, quod in hæmorrhagiâ continuâ & magnâ facilè evenire poteſt. Quod ſi verò illa per intervalla in exiguâ quantitate recurreret, nec gravidæ vires valdè dejiceret, exſpectavimus , donec natura partionem moliretur , quod in Mercatoris Itali conjuge aliaſque ſæpè à nobis obſervatum fuit.

Inci-

Incidêre, fatemur, caſus, ubi effluxus ſanguinis admodum fuit inſolens, & jure metui poterat, ne non eſſet ferendo ægra, tum ob eam, quæ præceſſit evacuationem, tum ob eam, quæ edito fœtu, reſeratis uberius viis, ſequi poſſet, non tamen deſeruimus ægras, ſed in ancipiti hoc caſu aliquid auſi ſumus & circumſtantibus explicavimus, quod ſine acceleratione partûs & matri & fœtui neceſſario ſit pereundum, ac vidimus ſæpè matrem, poſtquam enixa fuit, ſervatam, nec meminimus, gravem hæmorrhagiam facilè ſecutam fuiſſe. Et profectò, ſi poſt partum per aliquot horas analepticis circulatio ſanguinis conſervari poteſt, periculum mortis ex hæmorrhagiâ uteri ceſſat. Conf. Mauriceau *dans ſes Obſervations ſur la groſſeſſe & l'accouchement des femmes.*

A multis hôc tempore vernali propter frequentem ſeminis excretionem conſulti ſumus. Alii conſcientiæ ſuæ hinc metuebant, alii ſanitati. Illos ad Theologos remiſimus, ac præſertim ad lectu dignam St. Athanaſii *Epiſtolam ad Ammum Monachum*, quæ habetur in *Synodico* Beveregii *Tom. 2. p. m. 36.* in quâ inter alia hæc etiam habentur verba: *Quod enim ò dilecte & religioſiſſime, habet peccatum, vel immundum naturalis excretio, ut ſi quis vellet etiam crimen facere eos, qui per nares emittuntur mucores, & quæ per os, ſputa* &c. juſſimus etiam eruditos legere *Canonem quartum* Petri Archi-Epiſcopi Alexandrini *in eodem opere p.* 13. Cum iis vero, quos ſanitatis cura hâc de re ſolicitos eſſe cogit, ita egimus, ut ante omnia erueremus, an tabes dorſalis metui poſſet, an fortè hæmorrhoides eſſent ſuppreſſæ, an hypochondriaco malo laborarent, an unquam calculo vel podagrâ fuiſſent correpti &c. nam his morbis detentos frequenter pollüi, tum à nobis ipſis obſervatum, tum ab aliis eſt annotatum. De homine, qui tabe dorſali affectus ita ſcribit Hippocrates *lib. 2. de morbis: Inter dormiendum, ſive cum uxore dormiat, ſive non, veneris ludibria experitur.* Hyppochondriacos præ cæteris turbari hâc excretione, exemplis à Mercuriali & aliis fuit comprobatum. Obſcœnis ſomniis vexari, quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, ſcribit Hollerius *lib. 1. de morbis internis cap. 55. in ſcholio.* De nephriticis & arthriticis Schenckii *obſervatio* proſtat. Pro diverſitate horum affectuum diverſa etiam ſuggeſſimus conſilia, omnibus verò ſuaſimus, ut à cibis calidis, acribus, ſalinis, vino generoſo, ceroviſiis nitroſis, fœculentis abſtinerent. Meminimus adhuc probè, quod quoties ſeni cuidam in catarrhis, quibus crebrò infeſtabatur, exhiberemus pilulam de ſtyrace D. Sylvii pondere gr. j. toties in nocturna phantaſmata ac pollutiones inciderit, ut vel hinc colligere licuerit, opium ſymbolam ſuam ad ſtimulandam ſeminalem excretionem conferre. Turcæ, teſte Alpino *de medic. Indorum*, opium adhibent, *ut habeant de nocte impudica ſomnia.* Compertum quoque habemus mentham ſemen ita colliquare, ut fluat, quod inſinuavit Martialis *lib.* 10. *epigramm.* 48, dum mentham vocat deſtupratricem, & herbam ſalacem:

Seminis excretio.

In quibus eſt lactuca ſedens & ſeſſile porrum,
Et deſtupratrix mentha & herba ſalax.

Non obſcure eô ipsô innuens menthæ ineſſe vim accendendi Venerem, & excitandi ſpontaneum ſeminis profluvium. Hinc Ariſtoteles *ſect.* 20. *problem.* 2. *mentham*, ait, *in bello ne comedas, nec ſeras*, cujus dicti occaſione Gabriel Naudæus Vir clariſſimus eleganter de uſu menthæ diſquirit in eruditiſſimo *de ſtudio militari opere lib.* 1. *p. m.* 296. *& ſeq.* Vitandus eſt etiam decubitus ſupinus, quem adeò multum conferre ad pollutionem *ſect.* 10. *problem.* credidit Ariſtoteles, ut concluſerit etiam, bruta animantia pollutionibus non infeſtari, eò, quod nunquam ſupra dorſum & renes jaceant. Quâ in re ab eo diſſentire novimus Johannem Benedict. Sinibaldum *lib.* 5. *Geneanthropeiæ tract.* 2. *c.* 2. *probl.* 4. *p. m.* 669; huic enim probabile videtur, quod bruta in ſomno ejiciant genituram, rariùs tamen hoc contingere autumat, tùm ob corporis raritatem, tum etiam ob ſimplicem frigidumque victum, nec non durum ac nullis ſtratis munitum accubitum &c. Internorum uſum e. g. notas paſſim caſtitatis eſſentias, & ſyrupum ab Altomari, quem Sinibaldus *l. c. c.* 3. *p.* 677. deſcribit, ac omnium validiſſimum vocat, nitroſa &c. commendavimus, ſed experti ſumus fruſtra adhiberi, niſi animus ab omnibus libidinoſis cogitationibus avocetur, & perpetuis laboribus corpus refrænetur & ſubigatur. Leviſſimum etiam eſt ſubſidium, quod ab externis quibusdam e. g. unguento Comitiſſæ, de Alabaſtro, Ceruſsâ, refrigerante Galeni, laminis plumbi ſuper renes geſtatis vulgò exſpectatur. Enim verò etiamſi hic æſtum in regione renum parum temperaveris, vanus tamen fuerit labor, niſi occultum libidinis ignem in intimis cordis penetralibus flammantem extinxeris.

Incubus ſeu Ephialtes.

Inter plebejos & melioris etiam censûs homines non defuerunt, qui de incubo ſeu ephialte conquererentur. *Es hätte ſie der Alp oder das Nacht-Männlein gedruckt.* Et non minus apud nos quam apud Anglos ſuperſtitio inolevit, *paſſionem hanc reverà à Dæmone induci atque à malo ſpiritu incumbente iſtam in præcordiis oppreſſionem & gravamen inferri*, ut loquitur *de animâ brutor. parte patholog. c.* 6. Williſius. Quantum nobis per experientiam hujus anni conſtitit, gravi admodum moleſtiæ ſenſui obnoxii ſunt adoleſcentes & juvenes in cœnâ mirum in modum craſſis cibis ventriculum refercientes ac onerantes, inter provectioris autem ætatis homines, vel cacochymiâ, vel cachexiâ aut malo hypochondriaco laborantes. Una alteraque puella admodum plethorica ante liberum menſium fluxum prægravantem quandam in præcordiis molem tempore ſomni in decubitu ſupino ſibi moleſtam fuiſſe itidem affirmavit. Quotquot unquam de pondere ejusmodi thoraci inter dormiendum incumbenti nam nullo modo iis hanc phantaſiam excuſſeris locutos audivimus, unanimi conſenſu

ſenſu narrarunt, ſe, poſtquam evigilarunt, cordis tremorem & diaphragmatis vibrationem eamque celerrimam percepiſſe; in eo verò nequaquam convenerunt, quòd modò ſub hac, modò ſub illâ ſpecie, id quod ſibi incubuiſſe credunt, apparuerit. Tametſi verò in ultimo *hiſt. noſtræ anno* ſenſum ponderis ab aëre in pulmonibus retento derivaverimus, nec hodiè adhuc nos hujus ſententiæ pœniteat, ac cur ſupino corporis ſitu id fiat, explicare conati fuerimus, addendum tamen cenſemus, ſanguinem ſtagnantem à conſortio aëris in formandâ hàc thoracis preſſione non eſſe excludendum. Credibile verò eſt, ſanguinem hoc in caſu intra ipſos pulmones ſtagnare, ejusque refluxum per venam pneumonicam ex parte impediri, tametſi nihil vetet etiam concedere, quod ex dextro ventriculo cordis non ſatis vegetè interdum ille propellatur, ac in eo moram aliquam trahat, quod contingere tùm variis aliis de cauſis poteſt, tum potiſſimum, quando ſpatium omne pulmonum latice hoc vitali nimis repletum, & ad excipiendum eum, qui affluit, incapax eſt, id quod plethoricis quibusdam puellis contigiſſe arbitramur, quæ incubo menſibus nondum fluentibus vexatæ fuerunt. Sentitur itaque ejusmodi moles pectori incumbens tempore ſomni in ſitu corporis ſupino, quando cor motum ſuum cum difficultate inſigni abſolvit, ſanguis in ventriculis cordis & vaſis pulmonum ſanguiferis ſtagnat vel remoram patitur, ac aër pulmonum veſiculis incluſus per exſpirationem non redditur. Sentitur verò tantò gravius illa moles, quò magis cor, diaphragma ſitu ſupino nimis verſus vertebras lumborum extenſum, ac muſculi intercoſtales (nam reſpiratio manet, ſi credimus Pecqueto, etiamſi omnes muſculi, in pectore & abdomine penitus abſcindantur) laborant & vim movendi exerere conantur. Attenta conſideratio experimenti Veſalii *lib.* 7. *de human. corporis Fabric. p.* 827. De nervorum phrenicorum ac recurrentium ligatorum, vel abſciſſorum efficaciâ ad vocem brutis vel intercipiendam, vel adimendam ac abolendam affatim docere poteſt quantum incommodi læſiones nervorum iſtorum partibus ſpiralibus afferre queant. Voracioribus ac ingluviei deditis evacuantia profuerunt. Robuſtioribus, niſi quicquam obſtaret, emetica dedimus, paulò debilioribus verò purgantia. Plethoricis puellis venæ ſectio debito tempore in pede celebrata ſummam attulit utilitatem. Et quoniam Ephialtes in junioribus ſæpè recurrens epilepſiæ, in ſenioribus autem apoplexiæ metum incutit, prudentiæ leges requirunt à medente, ut venientibus pro virili occurrat malis & tum omnimò ſuſpicio eſt, genus nervoſum pati, quamvis dolendum, quod modus læſionis ferè notitiam noſtram effugiat.

Scorbutici verè tales (Scorbuti enim vocabulum à recentioribus ſcholis nimis latè extenditur, & ferè ſicut apud Ariſtotelicos juſtitia univerſalis complexus eſt omnium virtutum; ita ſcorbuti nomen apud multos neotericos tantum non omnes morbos ſuo ambitu comprehendit) multi per Scorbutus.

per integros decem annos, quibus inclytæ fundationi Tharullianæ olim præfuimus, & incredibili ægrorum numero pro virili ſuccurrimus, noſtrum auxilium implorarunt. Scorbuticis verè autem talibus accenſuimus 1. illos, in quorum gingivis indicia putredinis, exulcerationis ac fœtoris præſto erant: 2. quorum artus maculis vel parvis ſubnigris, vel majoribus purpureis, violaceis, ſublividis &c. fœdabantur. Ac nusquam profectò vivam magis ſcorbuti imaginem ſpectare nobis licuit, quam in militibus, ut anceps belli alea fert, vulneratis ac mutilatis, quos dura egeſtas ad bellum inidoneos non ſine nationis Germanicæ opprobrium oſtiatim ſtipem petere cogit. Hi quemadmodum in caſtris quondam inſalubribus ac interdum putridis cibis ac aquis corruptis in aëre uliginoſo vitam ſuſtentarunt; ita cum truncati caſtra amplius ſequi non valent, paſſim in pagis & oppidis palabundi latrantem ſtomachum vili pane, lardo rancido, piſcibus lacuſtribus, lentibus, piſis, fabis, cœpis, braſſica muriatâ, halecibus &c. placant. Dum autem ita paſſim oberrant, priſtinarum ſanguinis evacuationum, ſi non ex venâ phlebotomo aperta, certè tamen ex vulneribus illatis immemores ac ſecuri ſenſim ſcorbutum contrahunt, peſſimam, ut monuimus, diætam obſervandô. Dictu autem arduum eſt, quot ſcorbuto invaleſcente, fatigentur ſymptomatibus miſeri. Vidimus alios, quibus vomitus & conatus vomendi ex improvisò reccurrebant; rurſus alios, qui crebris exercebantur diarrhœis ingeſti cibi quantitatem multum excedentibus. Falleris, ſi illis ex efficaciſſimis ſtomachicis, his verò ex theriacalibus & adſtringentibus aliquod promiſeris auxilium. Lac calidum præmiſſis per aliquot dies abſorbentibus, mirum, quam egregium ſit in vomitu & diarrhœâ ſcorbuticorum remedium. Initio ſaburrham vitioſorum humorum ex pravis aſſumptis, in primis viis ſuſpicabamur, ac emetica & purgantia indicari credebamus; at hypercatharſes etiam leniſſima pharmaca excipientes, nos docuêre, quanto cum periculo à vulgo medicorum draſtica illis obtrudantur. Ex adſtringentium uſu in leipothymiam, ad quam mirè proni ſunt, incidunt. Efferas vernali, aut annuo illo, quo vulnerati quondam fuerunt, ac multum ſanguinis profuderunt, tempore in orbem redeunti patiuntur hæmorrhagias, quas ſi cohibere ſatagas, in anguſtias inexplicabiles eos conjicies. Eryſipelas vagum crebro experiuntur. Artus, imo totum aliquando corpus varii generis maculis eſt conſperſum. Maculam nigram majorem in tumorem elevatam per tibias diffuſam plus ſimplici vice cum chirurgo conſpeximus. Puſtulæ prurigine moleſtæ colore vario lecti calore provocatæ iis ſunt perquam familiares. Tubercula dura ac varicoſa, de quibus alibi, niſi fallimur, diximus, ſeſe nobis obtulerunt. Pedes obſeſſos fœtidis ulceribus meminimus, inter quæ periculoſiſſimum eſt cruſtoſum, quod poſt maculam nigram erosâ cute fœtido pure initio ſordidum, deinceps

verò

rò celeriter in ſphacelum abit, ita ut ægri non ſentiant immiſſa chirurgi inſtrumenta. Ulcera reliqua manantia in ſeram durant ætatem, & emplaſtris ſiccantibus tractata, aut gravioris morbi, aut mortis occaſio evadunt, materiâ ad nobiliora viſcera regurgitante. Puſtulam citrini coloris in ulcus gangrænoſum ſiccum, quod neque pus, neque ſaniem redderet, & latiùs cum exitio militis ſerperet, quondam advertimus. Enimverò ſi non ad peripheriam corporis motus vergat, & maculæ illæ, quod interdum fit, evaneſcant, graviſſima alia mala Scorbutici incurrunt. Quidam anguntur aſthmate convulſivo, difficulter reſpirant nullâ præſenti pectoris anguſtia, nullâ præſenti tuſſi, ſibilo, ſtertore &c. Convulſiones totius corporis his in locis paulò rarius ſcorbuticis moleſtæ ſunt, nihilominus viro juveni medicinam fecimus, cui variis inteſtinorum cruciatibus ac lancinationibus noctu diuque per multos menſes torto convulſiones ſupervenerunt, comitanti & convulſiones & colicos inteſtinorum dolores, febri. Nec reperiuntur adeò multi, qui ex ſcorbuto paralytici ſint: maxima verò turba eſt eorum, quibus non tantùm obtuſus crurum dolor, ſed & tenſivus ac mordax cum punctorio & erodenti greſſum reddit impeditum ac difficilem, cujus generis moleſtiæ in nonnullis manuum & digitorum extrema etiam occupant. Nihil crebriùs audias, quam flebiles de contuſoriâ crurum laſſitudine, & manuum etiam ad motum quemvis ineptitudine, ac arthriticis ſimillimo in articulis cruciatu cum levi partium reſolutione conjuncto. Omnium maximè adverſa hæc premunt miſeros, cum principium agens in expellendis heterogeneis ad peripheriam corporis eſt occupatum, quando autem labor hic non ex voto ſuccedit, pertinaciſſimæ cephalalgiæ, vertigines tenebricoſæ, exquiſitiſſimi dentium dolores, pleuritis notha & ſexcenta alia mala, quibus etiam præſentibus maculis non vacant, noctu diuque illos exagitant. Ineffabiles anguſtias & ſævam cardialgiam obſervavimus aliquoties, antequam hydatides ſeu veſiculæ ſero impuro turgidæ in cute prorumperent; his verò efflorescentibus protinus ſymptomata omnia evanuerunt. Cum ſcorbutici in febrem incidunt ardentem, horrendis ac inſuetis ſymptomatibus exagitantur. Præter ſpem enim & exſpectationem typumque febris non tantum præcordialibus anxietatibus opprimuntur, ſed in aphoniam, convulſiones, aſthma, ſæva deliria incidunt, ut de animi deliquiis, cardialgiâ &c. jam nullam injiciamus mentionem. Ceſſant verò ſymptomata, poſtquam purpura ſcorbutica in cute apparuit. Non adeò pridem antequam erumperent hæc ſcorbutica exanthemata in horribiles convulſiones lapſus eſt vir in conſiſtente ætate conſtitutus. Alius, ſed multò intemperantior febri correptus cum diarrhoeâ, tertio quartoque morbi die deliravit, importunâ ſuâ loquacitate aliis moleſtus, at duabus ante eruptionem noctibus mentis alienatio tanta fuit, ut crederetur furere. Portentoſa certè & ſenſibus & menti ejus ſeſe objectare ex ſermonibus

feris innoteſcebat. Accedebat nervorum ſubſultus, quo non nervi modò ipſi, ſed & artus, præſertim manus & brachia jactabantur, tandem toto corpore vehementer contremuit, jam jam epilepſiam inſtare credidiſſes. Poſtquam inhorruiſſet, protruſæ fuerunt ad ambitum corporis maculæ ſcorbuticæ, brevi poſt, repreſſo delirio ſomnus obrepſit, & æger iterum convaluit. Illud ſcorbuticis affectibus eſt quaſi peculiare, quòd levibus profectò ex cauſis & occaſionibus invaleſcant, ac vehementia ſymptomatum usque ad ſummum vigorem citò perveniat. Cùm verò terroris omnia ſunt plena, & extrema quæque ab omnibus metuuntur, non tantum ſymptomatum vehementia ſubitò remittit, ſed & prorſus deſinit. Præterea in eo à cæteris morbis differunt affectus ſcorbutici, quod illi ſtata quaſi & fixa durationis, decurſus & reditus tempora ſervent, hi vagi propemodum ſint, inconſtantes & ad nullas temporum leges adſtricti, quamvis tempore æſtivo magis ferociant. In ſanguinis motu ac vitiatâ ejus texturâ, dyſcraſiâ humorum cauſam ſcorbuti quærendam eſſe, facilè patet. Alii aciditatem ſtypticam, tanquam fontem viſcidi ac viſcoſi ſanguinis, alii acrimoniam cauſticam, & colliquantem, alii ſalinas corruptiones accuſant. Juxta Williſium *tract. de ſcorbut. p. m.* 99. *& ſeq.* ſanguis in affectione ſcorbutica ita alteratur, ut vinum, quando nimium fervens degenerat in rancidum ſpiritu ejus depreſſo, ſulphure verò ac ſale exaltato, ac perſuaſus eſt vel à fervore ſanguinis, ob exaltatum ejus ſulphur, vel à ſalſedine & tardâ circulatione, qua fit, ut fœculentiæ viſceribus affricentur, varia ſcorbuti ſymptomata derivari poſſe. Qui Helmontium in oculis ferunt hoc in paſſu, ut Gremſius ac Horſtius aliique, lienem accuſant, frivolâ quidem ratione, ut cognitum eſt iis, quibus doctrina de fermento ventriculi ex liene oriundo penitius eſt perſpecta, ſed antiquâ traditione nixi, cum jam in Celſo *lib.* 2. *c.* 7. legamus: *Quibus magni ſunt lienes, his gingivæ malæ ſunt & os olet, aut ſanguis aliqua parte prorumpit. Quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt in cruribus mala ulcera & ex his nigræ cicatrices fiant*, quibus verbis ſcorbutum delineaſſe videri poſſet Celſus. Nobis non vacat prolixè ad examen aliorum revocare opiniones, ac profitemur nos cum iis facere, qui in explicanda ſcorbuti naturâ ad impeditiorem abundantis ſanguinis motum, ac hinc dependentia humorum vitia utroque oculo in curâ reſpiciunt. V. S. in ſcorbuto non commendat Barbette *lib.* 4. *c.* 3, ſed jam oſtenderunt Willis & Conringius eam non poſſe ſimpliciter in ſcorbuto damnari. Nos ſanè pereximiam ex illa utilitatem ægros malo non inveterato percepiſſe vidimus. Certè illud tempeſtiva V. S. debito tempore celebratâ conſecuti ſumus, ut ſymptomata multum de ferocia priſtina remitterent, nihilominus ingenuè fatemur, nos nunquam in corporibus exſuccis, & ad ſceleti formam ferè redactis eâ fuiſſe uſos. Abſtinuimus etiam ab illâ, qui nocturnis ſudori-
bus

bus diffluunt, nam ferè exciderat, ſcorbuticos ſub leviſſimis tegumentis etiam hyeme ſæviente immodico ſudore fatigari, ut jam ante nos obſervarunt alii, & diſertè quidem Eugalenus *p. m.* 200. Nec præſentibus maculis ſcorbuticis ſanguinis miſſionem facilè alicui ſuaſimus. Draſticis purgantibus ac emeticis res ſcorbuticorum in deterius labuntur, vernali tamen & autumnali tempore alvum nodulis ex laxantibus & antiſcorbuticis compoſitis, blandè ſubduximus. Succus fumariæ cum ſero lactis miſtus egregiè multis contulit. Rhabarb. orient. itidem ſubindè uſi ſumus. Sudorifera validiora ægris lecto obrutis nunquam imperavimus metaſtaſes & exacerbationes mali, imo etiam paralyſin veriti. Neque unquam credimus, ſolidam fuiſſe cauſam Guil. Romano, Medico Naumburgenſi, cur adeò propter virtutem ſudoriferam Lap. bezoar extolleret, & cum Decocto lignorum in ſudore expellendo æquipararet. Ad hæc pretium lapidis bezoar tantum eſt apud nos, ut egenorum, qui ſcorbuto maximè laborant, facultates ei emendo non ſufficiant. Nec decoctis lignorum abuſi ſumus, niſi quod exiguam radicum & lignorum portionem interdum reliquis antiſcorbuticis adjecerimus, & cum ſero lactis decoqui curaverimus. Cæterum tametſi ſubinde locum apud nos habuerint iſta medicamenta, quæ ſanguinem craſſum ac viſcidum attenuant ac grumeſcentem reſolvunt, quæque lympham ſpiſſam in motum cient, quo nomine alibi volatilia ⊖na urinoſa in moderatâ doſi commendavimus, nec radices helenii, pimpinellæ, ari, in attenuanda lympha ſpiſſeſcenti debitâ laude fraudari queunt; nos tamen omnium maximè antiſcorbuticis inhærendum eſſe putavimus. Vulgata antiſcorbutica non promiſcuè applicavimus, ſalino-amara & volatilia frigidioribus & pituitoſis ſcorbuticis præſcripſimus, gnari, quod bilioſæ complexionis homines ⏜tu cochlear. naſturt. Eſſ. ſtrobul. pini &c. offendantur, ac uſu edocti amara acidiuſculis mixta palmam reliquis præripere ac excedentem ſimul calorem moderari. Conf. Sylvium *p. m.* 869. Cùm autem ſæpe contigerit, ut ignoti, nec unquam nobis viſi remedia antiſcorbutica requirerent, iis quidem accipiendam in diffuſioribus vehiculis e. g. potu Thèe, lacte vel ſero caprino, decocto leniori ferè commendavimus Mixturam celebris quondam Practici D. Konerding:

℞. ⏜ cochlear.
Mixt. ſ. aa. p. iiij.
Eſſ. naſturt.
chamædr. aa. p. j.
ſucc. cochlear. p. ij.

Solas autem guttas, quam immenſis etiam præconiis divulgentur à Chymicis non multum prodeſſe poſſe hoc facilius cum doctiſſ. Pechlin. *in Obſerv. p.* 179. credidimus, quod in ventriculi phlegmate magnâ ſui parte attritæ *halitum duntaxat aliquem in ſanguinem transmittant, cujus vires jam*

ante debilitatæ corrigendæ ſalſugini (aut ſanguinis texturæ vitiatæ) *non ſufficiant, aut protinus in illa: fluidi peccantis copia opprimantur.* Cæterum potionibus iſtis, cum quibus miſturam prædictam D. Konerding. aut aliam quamvis adhibendam eſſe diximus, nullis ſyrupis ſaccharo coctis blandum conciliavimus ſaporem, memores prudentis moniti Horſtiani, ſcorbuticos hisce curandos non eſſe. Invaluit apud nos uſus infuſi trifolii fibrini, quod ſine additione ſacchari, inſtar infuſi Thée calidè à multis optato cum ſucceſſu bibitur. Naſturtium aut cum beccabunga in lacte coctum & per aliquot ſeptimanas abſorbentibus præmiſſis hauſtum in muliere quâdam reliquis omnibus remediis faſtum feciſſe ſcimus: Lac ebutyratum aliquis Sacerdos ſumptis 20 aut 30 guttis ♎ cochlear. copiosè ſuperingeſtum magnis quondam efferebat laudibus. Martialia, cum ſcorbutici ferè ſemper ſint hypochondriaci, etiam locum in nonnullis ægris habent. His, ſi quando indiguimus, ferè ſolo pulvere Wedeliano antiſcorbutico ſine laudano opiato contenti viximus, iſte verò ex bezoard. ♂tial. & ſuccino componitur. Luculenta ex diætâ humectante & refrigerante commoda plus ſimplici vice obſervavimus, & ortas inde inducias paulò longiores, cum nullis remediis hunc morbum ita expugnare licet, ut nunquam redeat. In curâ ulcerum & affectuum ſcorbuticorum, ſimplicia, quæ hinc inde Eugalenus, Reuſnerus, Wierus, Joel &c. commendant, teſte repetita experientiâ, optima ſunt. Ad gingivarum putrilaginem & exeſionem præcavendam maturè vacandum eſt, *emendandis exprimendisque* gingivarum tumoribus; & hi, ut verè Pechlinus, *ſalis corroſivi ſtagnantisque ſanguinis pleni non ante ſubſidunt, quam elutriato ſanguine putrido* & ſeroſo acri, quo facto gingivis *firmitas per amara adſtringentia & balſamica*, quæ tum ab aliis, tum Sebiſio *in Spec. med. p.* 483. *& ſeq.* recenſentur concilianda eſt. Decoctum ſcordii cum alumine uſto, ⊖ fixo & melle roſato, quod Pechlinus laudat, multis profuiſſe certum eſt.

Ejectio medicamentorum non alteratorum.

Hoc tempore ac deinde ſæpius feci Medicinam infantibus, qui non tantum liquida & potulenta, ſed & pulveres absque ullâ mutationis notâ intra horæ ſpatium rejecerunt. Nuperrimè adhuc ſpectavimus illud in Patritii cujusdam filiolo, à quo pulvis antiſpaſmodicus cum ſpecifico cephalico mixtus ad præcavendum Epilepſiæ, quam ante biduum paſſus fuerat, novum inſultum datus, vix elapſa horâ ſeceſſit prorſus non mutatus, id quod ſatis mirari non poterit, qui inteſtinorum longitudinem & flexum ſeriò perpenderit. Perplexos ea res nos tenuit hactenus. Quod modò allatum eſt exemplum, videtur ſuadere, quod internarum partium convulſionem tranſitus hic aſſumptorum absque minimo immutationis indicio præſupponat. Enimvero puerulum quendam, qui ex atrophia totus contabuerat, ac pulchrè paucis remediis cum ingenti parentum gaudio reſtitutus videbatur, præter votum, ut incerta hominum ſpes eſſe ſolet, in æſtum

cum

cum diarrhœâ conjunctum poſt aliquot à recuperatâ ſanitate ſeptimanas incidentem tractavi, qui abſque omni convulſionum internarum ſigno aſſumpta quævis & medicamenta per ſedes eliminabat, penitus non alterata. An hic atoniam fibrarum & colliquationem accuſabimus? Apud Cælium Aurelianum *lib.* 2. *tardar. paſſion. cap.* 1. (*p.* 316. *Ed. Lugd.*) *leguntur ſeq.*

Perulo paralyſi vitiato cibus nulla digeſtione mutatur, ſed tanquam per infundibulum ad inferiora deſcendit & circum ventrem laxior locus efficitur inferius inflatiorque: quæ per ventrem egeruntur, aſpera atque plurima erunt & neque fluida. Cornarius ut perulum Cælii exprimeret, margini adſcripſit πήρολος, & ut rectè monuit æternum eruditæ Germaniæ decus Thom. Reineſius *lib.* 3. *variar. lect. c.* 18. *p. m.* 662. ſcribendum eſt πυλωρὸς & hanc lectionem Clariſſ. Amman in nuperâ editione *p.* 346. ſecutus eſt: *pyloro paralyſi vitiato* &c. Itaque quando dextrum ventriculi os, quod in ventriculo concluſa, tantiſper dum cocta ſint, cuſtodire debet, paralyſi correptum eſt, ex mente Aureliani recepti cibi & medicamenta protenus ſine ullo alterationis veſtigio ab alvo deturbantur, quod fortè ſæpius fit, quam vulgo creditur, aut à Medicis hactenus obſervatum. Paralyſis Pylori.

Paralyſis, quæ fauces & œſophagum occupat, paulò eſt frequentior, quam in non paucis moribundis obſervavimus, de quâ Aurelianus *l. c.* legi poteſt. Triſte, & cujus ſimile nec videre amplius optamus, præbuit nobis exemplum vir circiter quinquagenarius melancholici temperamenti, quod hâc occaſione recenſere liceat, tametſi caſus hôc anno, cujus hiſtoriam damus, non contigerit. Is juventutem in aulâ egerat, poſtquam autem virilem ætatem attigiſſet, officio admotus eſt, quod eum toto die in ſcribendo occupavit, hinc verò ſolitudinis amor in eo crevit. Id vitæ genus cum per aliquot annos eſſet ſectatus, ſubito apoplexiâ obruitur. Adhibitis idoneis remediis nihilominus παραπληγία lateris dextri ſucceſſit, ſed & ab hâc feliciter liberatus eſt, ita, ut ferè ad priſtinum ſtatum reverteretur. Præterlapſis aliquot annis membrorum ſtupor reſolutionem denuò inſtare nunciabat. Et verò ita planè evenit. Improviſo enim obmutuit, uſumque pedis utriusque amiſit. Ad ipſum vocatus ſine mora advolo. Senſus utcunque erant integri, ratio etiam ſibi quodammodo conſtabat, & innuebat ſeſe me agnoſcere. Maximopere etiam conabatur loqui, ſed verbum nullum diſtinctè aut integrè proferre poterat, quam operosè etiam illud moliretur, inconditus & confuſus tantùm clamor erat. Linguam movebat, nec in eâ ullam coloris mutationem aut aliam quamvis differentiam deprehendere potui. Dum præſcriptæ potioni avidè inhiat, ejuſque ℥ij circiter ori infundit, miſer experitur, ſe illam deglutire non poſſe, ac ita circumſtantibus nobis patefecit, muſculos laryngi & pharyngi communes à paralyſi non eſſe immunes. Poſt injectos clyſteres, apertas Paralyſis faucium & œſophagi.

raninas & medianam, ut vocant, perfuſam ſpirituoſis linimentis diu multumque nucham, dorſique regionem, poſt immiſſam per ſyringam varia morbo debellando idonea remedia, poſt fauces tum aliis, tum oleo cinamomi imbutas, veſicatoria applicata, aliaque molimina potum aliquanto diutius retinebat, ſed ſenſuum torpor major erat, manus quoque intumeſcebant; nihilominus liquida injecta non immutata reddere cogebatur. Id quod argumento erat, ipſum œſophagum graviſſimâ paralyſi eſſe affectum, atque virtutem medicamentorum ad eum non fuiſſe diffuſam, quæ tamen quadantenus in faucibus, ut ex deglutitionis rudimentis apparebat, ſeſe exeruerat. Lugubris illa ſors afflictiſſimum virum per octo dies preſſit. Nullis verbis exprimi poteſt, quantis cum lacrymis & ejulatu, quam flebili geſtu potum deſideraverit. Altero morbi die juſſus breviter in charta adſcribere, quanam re potiſſimùm affligeretur, inextinguibili ſe ſiti urgeri calamo interprete ſignificavit. Truculentia affectus tandem hominem occidit. Neque apparet, quomodo huic morbo occurri debeat. At alia res eſt, cum fibræ ſpirales in media ventriculi tunica ſpaſmo conſtrictæ ſunt, ac muneri deglutitionis inſervire nequeunt. Pertinax quidem & hoc malum eſt, & per multas, ut aliquoties experti ſumus, ſeptimanas recurrit, tandem tamen antiſpaſmodicis ſelectioribus expugnari poteſt. Non tantum vulgus, ſed & ipſi Medici de Paralyſi muſſitant, cum ſpaſmodica œſophagi ſtrictura alimentorum transmiſſioni obicem ponit, qui tamen audiendi non ſunt, ac eos ipſos poſt intervallum aliquot horarum liberum relaxata iſta conſtrictione potulentorum & eſculentorum ad ventriculum iter, ac ſermonis uſus non adeò quidem expeditus, non tamen planè ſublatus redarguit & erroris convincit. Tum verò neque de paralyſi, neque de ſpaſmo cogitandum eſt, cùm, quod etiam meminimus aliquoties à nobis obſervatum, cibus ſolidus absque difficultate, juſcula verò ac liquida omnia non ſine præſenti ſuffocationis metu deglutiuntur. Diſcuſſis enim omnibus nihil vero ſimilius occurrit, quam vitium aliquod in epiglottide hærere, quod impediat, quò minus rectè & accuratè tegat arteriam aſperam. Dum itaque cibi ſolidiores epiglottidem validiùs comprimunt, absque ſuffocationis periculo in ventriculum demittuntur, liquida verò cum huic compreſſioni non adeò apta ſint, fit, ut in arteriam aſperam non ritè clauſam delabantur, ac eô ipſo ſpiritum præcludant ac ſuffocationis metum afferant.

Venæ ſectio in Raucedine.

Venæſectionis efficaciam in Raucedine notabilem hoc anno obſervavimus. Virgo religioſam vitam profeſſa ſanguinei temperamenti & floridi corporis habitus, cui menſes ritè ſemper fluxerant, bis terve in anno raucedine corripitur. Illa nulli ceſſit remedio niſi ſoli V. S. & quod me, ac nuper etiam meum in cura illarum Religioſarum ſucceſſorem D. Klaunig in admirationem rapuit, hoc eſt, quod, ſimulac ſanguis ex pertuſa

pertuſa vena effluere incipit, vox clareſcat, & abſoluta V. Sectione nullum raucedinis veſtigium remaneat. Expertus ſum etiam in duabus aliis virginibus, quantum V. S. in raucedine valeat, ſed effectu non æquè prompto ac in ſenſus incurrenti. Impensè verò dolemus, quod V. S. ſucceſſum in quinquagenario illo, cujus mentionem fecimus in Hiſt. M. A. 1699. p. 42. non fuerimus periclitati, ſed potius nos ſtrigoſi corporis ſiccitate à generoſo hoc remedio deterreri paſſi fuerimus.

Vidimus hoc anno in viro hernioſo ſcrotum magnitudine vaſta, illudque referebat figuram cucurbitæ oblongæ majoris. Sine dubio in illud ſine faſcia convenienti pendulum magna defluxerat inteſtinorum pars. Sed hoc peculiare & admiratione dignum cenſuimus, quod ob hanc Scroti portentoſam magnitudinem & diſtenſionem penis planè intrò retractus eſſet, ut in hypochaſtrio, ſeu ſuperiori ſcroti parte nullum ejus veſtigium appareret, præter foveam, quæ ad glandem intus latitantem pertingebat. Ex foveâ hac urina effluebat, ſed neceſſe erat, ut quotiescunque urinam reddere vellet, manu tumorem reprimeret & ita foveam dilataret. Hoc officio, niſi manus fuiſſet defuncta, urina in ſcrotum decidebat, & per ejus longitudinem deſtillabat. Ad hæc eum corpore incurvato mingere oportebat, nam ſi erectus urinam reddere vellet, lotium non recta procedebat, ſed propter urethram diſtortam verſus abdomen effundebatur, quod olim non tantum Imperatori Heraclio, teſte Zonara, contigit, verùm etiam aliis. Certè alicubi huic per omnia ſimile exemplum ante multos annos nos legiſſe recordamur. Verba Zonaræ de Heraclio hæc ſunt: *Ferunt etiam pudendum ejus univerſum ſurſum urinam emiſiſſe, eumque niſi tabula apponeretur, faciem ſuam comminxiſſe.* Non obſcurè totum hoc & vulgus, & ipſe Zonaras ad vindictam divinam ob Monotheletarum hæreſin & ductam in uxorem fratris filiam referebat. Hoc anno ac ſequenti etiam famoſus agyrta multos hernioſos, quo fato etiam mihi vir ille, de quo jam jam locuti ſumus, innotuit, cum caſtratione alterutrius teſticuli ſecuit. Tametſi verò non in omnibus feliciter hæc temeritas ei ceſſerit, ſed vel in ipſa crudeli operatione pueri quidam convulſi exſpirarent, vel eadem peracta vomitibus & epilepſia fatigati charis parentibus tandem per mortem eriperentur; ea tamen multorum dementia fuit, ut vel ſemetipſos, vel ſuos imperito artificis cultro certatim ſubjicerent. Oppoſuimus huic nos torrenti pro virili, & oſtendimus tum quidem temporis nobis præeunte Schradero *in Dec.* 1. *Obſerv.* 6, quâ anatomen cadaveris virilis ab Hornio 1669. inſtituti deſcribit, & *Decad.* 2. *Obſervat.* 1. quæ *diſſectionem hernioſi ſiſtit*, ac Bidloo *Anatom. tab.* 32, quantoperè principiis anatomicis tralatitia herniotomorum de ramice opinio repugnet. Confirmati ſumus poſtmodum in hac noſtra ſententia per ſuffragium Domini D. Bohnii ſummi anatomici in lectu digniſſimo *de officio Medici opere c.* 22. *p.* 523. Hernia.

p. 523. *& ſeq.* Accenderunt nuper nobis adhuc clarius lumen ingenioſæ obſervationes de herniis celeberr. Domini Mery *dans les Memoires de l'Academie Royale des ſciences pour l'année* 1701. *p.* 356. *& ſeqq.* ut jam nulli ambigamus, herniotomiam vulgarem ignorantiæ veræ ramicum ætiologiæ ac conformationis proceſſuum peritonæi & vaſorum ſpermaticorum, originem progreſſumque unicè debere. Parum verò diſſuaſiones noſtræ apud multos valuerunt, ac ferenda fuit, perinde ut in aliis uſu venire ſuevit, vulgarium hominum temeritas. Hâc in re ſecuti ſumus prudens monitum Fortunati Fidelis: *Si acriter illorum inſaniam reprehendas, ad jurgia profectò, quod gravis Medici non eſt, devenias tandem oportet: ſi diſſerendo falſas velis illorum opiniones ſtudiosè nimis & accuratè deprimere, fruſtra id atque indecorè cum imperito homine ac rerum medicarum ignaro laborabis.* Hæc ille *in Medic. Patrocinio lib.* 4. *c.* 5. *p.* 24. Nos profectò quamdiu medicinam fecimus, nulli fuimus auctores, ut circumforaneorum crudelitati ſeſe permitteret, ſed quantum in nobis fuit, laboravimus, ut herniofis per bracheria & debita remedia opitularemur. Preſſimus in curâ veſtigia celebrium Medicorum & Chirurgorum. Facilis eſt methodus, quam poſt tot alios nuper commendavit Dionis *dans le Cours d'operations de Chirurgie demontrées au Jardin royal p. m.* 288. *& ſeqq.* Novum illud herniarum genus, quod detexit Monſ. Littre in *Memoires de l'academie des ſciences pour l'anneé* 1700. *p.* 384. *& ſeqq.* noſtram in obſervando diligentiam hactenus effugit. Mirabile illud eſt & aliorum quoque induſtriæ commendandum. Deſcribitur verò in modò laudata *Academiæ Regiæ ſcientiarum Hiſtoria* his verbis: *Une portion d'inteſtin s'engage dans un anneau, mais non pas entiere. Il n'y a qu'un des côtés du canal de l'inteſtin, dont la membrane, quelque cauſe que ce ſoit, s'enfonce dans l'anneau, s'y allonge peu à peu, & forme à la fin un tuyau ſans iſſue, droit & ſimple, ſemblable à une branche, qui ſe jette à côté de ſon tronc &c.*

Curæ Vernales.

Curæ Vernales, de quibus aliquid dicendum reſtat, apud Vratiſlavienſes in magno habentur pretio, & quondam Medicis non ingratæ erant. Noſtri certè anteceſſores ſtudiosè videntur inculcaſſe utilitatem, imò & opinionem de neceſſitate earum foviſſe, nam florentibus tùm incolarum rebus, ut fando accepimus, & hodiè adhuc quidam, quamvis oppido rari, veteris conſuetudinis, ut ipſimet prædicant, retinentiores munuſculo teſtantur, Medici V. S. celebratâ unctiores domum redibant. Brevi autem ambitu ferè apud nos cura, quam vocant, Majalis circumſcribitur, nempe purgatione & V. S. abſolvitur, & illa quidem non omnibus æquè neceſſaria judicatur, hæc verò ab iis præcipuè, qui priſtini in ornandô Medicô moris ſunt ſervantiores, ſine piaculo & periculo maximorum morborum omitti non poteſt. Nos, qui nunquam, abſit arrogantia dicto, aliorum commodis inſidiam ſtruximus, quique res Medicorum hisce tempori-

temporibus ferreis nullatenus reddere cupimus deteriores, conſcientiæ noſtræ dictamen ſecuti etiam cum damno noſtro pro re natâ oſtendére coacti ſumus, curationes illas vernales nequaquam omnibus, qui olim illis uſi, eſſe neceſſarias aut utiles. Neque hîc ſubſtitimus, quinimò hallucinari demonſtravimus eos, qui purgatione ſemper opus eſſe contendunt, cum evidens ſit, noxios humores, non ſolâ purgatione, ſed & per urinam ac ſudorem è corpore eliminari poſſe. Sed nonne etiam abunde conſtat, quod multi non evacuationibus, ſed correctione humorum indigeant? His annon præſcribenda ea ſunt, quæ humores corrigunt ac temperant? Hinc non pauci evidentiâ rerum convicti ſententiam mutârunt, ac ferè in oppoſitam lapſi ſunt, quaſi V. S ac purgatione nunquam, ſed ſolâ ſanguinis depuratione, ut loquuntur, eſſet opus. Enarrabimus breviter, quomodo ad multorum votum curas has adminiſtraverimus. Quando & Venæ ſectione & purgatione opus eſſe agnovimus, hanc contra multorum ſententiam illi poſtpoſuimus, & à V. S. initium fecimus. Venæ ſectionem autem neceſſariam eſſe judicavimus 1. Plethoricis. Nam quantum plethora periculum minitetur, nemini in medicinâ verſato ignotum eſſe poteſt. 2. Quibus conſuetæ ſanguinis evacuationes v. g. menſes in fœminis, hœmorrhoides in viris ſuppreſſæ fuerunt, ac in utroque hoc caſu V. S. in pedibus ſuaſimus. 3. Iis, qui hæmorrhagiis enormioribus obnoxii ſunt, ad præoccupandas violentiores ſanguinis effuſiones, quod multis ex voto ſucceſſit. 4. Quorum ſanguis viſcidus & craſſus eſt, multoties experti, quòd, quando ſanguis à naturali ſuâ fluiditate abit, ac in vaſis ſtagnat, ſi accedant frictiones & medicamenta reſolventia, inſigni uſu ſeſe commendet V. S. imprimis ſi in hypochondriis & abdomine tenſiones variæ ſentiantur, ubi iterum V. S. in partibus inferioribus magis è re eſſe, quam in ſuperioribus, compertum eſt. Tandem 5. ex cacochymis etiam illis, qui bilioſæ calidæque ſunt complexionis, ſed fere tum demum, ſi per multos annos ſanguinis depletioni fuerint adſueti. Tribuendum hîc multum eſt conſuetudini, præterquam enim, quod verè nocere queat, teſte experientiâ, in aſſuetis omiſſio V. S. id etiam damni in medicum redundat, quòd pravo ejus conſilio, ſi quando in ægritudinem deinceps ejuſmodi cacochymus incidat, morbus unicè adſcribatur. Itaque in hujuſmodi circumſtantiis V. S. haud illibenter admiſimus. Quamvis enim negari nequeat, quod cum vena fuerit aperta, ſanguis bonus maluſque nullo delectu fluat, certum tamen eſt, & experientiæ fide comprobatum, à boni etiam ſanguinis jactura in quantitate non adeò magnâ, nullum imminere corpori periculum, dempto autem ex parte vitioſo ſanguine, id quod ex eo reliquum eſt, melius corrigi ac ſuperari poſſe. Contra receptum verò morem, non in Majo, ſed in Martio, ubi dicto fuerunt, qui conſilium implorarunt, audientes, vernales has V. S. inſtituimus. Nec dubitavimus,

V. S. floridis ſenibus, etiam ſeptuagenariis, ubi noſtris conſiliis locus datus eſt, ſuadere. Enimverò dici non poteſt, quantopere non tantùm hi, ſed iis ætate minores, puta ſexagenarii, imò & quinquagenarii à V. S. falſis excœcati præjudiciis abhorreant. V. S. præmiſsâ, ubi opus fuit, purgantia fuêre exhibita, non tamen omnibus eadem. Utut enim electivè, quæ vocant, purgantia non admittamus, uſu rerum edocti, quod e. g. rhabarbarum non tantum bilem, ſed & ſerum, jalappa non ſerum modò, ſed & bilem, ac helleborus non tantùm fæces aduſtas, ſed etiam bilem ac pituitam, ac denique catharcticum quodvis juſtâ doſi omnis generis humores ex corpore faciat exire: negari tamen non poteſt, alia aliis evacuantia magis conducere. Mirè Vratislavienſibus placet formula pilularis, unde etiam celebri Poëtæ ac inclyti ſenatûs Præſidi de Hoffmanswaldau elegantiſſimi verſus nati ſunt. Primum autem obtinent locum apud nos pilulæ cephalico-hyſtericæ, quarum compoſitio hæc eſt:

℞. Extr. colocynth.
res. jalap. aa. ℥ß.
☿ dul. ʒij.
Extr. helleb. nig. ℈iiij.
caſtor. (quod communiter omittitur, niſi expreſſe additio præcipiatur) ℈ij.

Sufficiunt validioribus gr. xiij. xv. ad ſummum xvij. vel xx, quamvis etiam vij. viij. grana quoſdam ſatis commoveant. Non ſemper tamen eâdem chorda oberravimus. Tùm temporis in creberrimo nobis uſu erant etiam ſequ. formulæ.

℞. ♍. de hier. c. agar. vel Extr. panchym. Croll. gr. xv.
gumm.)-(ci in aceto ſolut. ℈ß.
Extr. trochiſc. alhand. gr. j. vel ij.
c. ſ. q. Elix. propr. f. l. a. pilulæ.

℞. Extr. agar. vel reſin. agar. gr. xij. vel xv.
Magiſt. gum. de Peru gr. vj.
⊖l. tartari. gr. ij.
c. ſyr. de ſtœch. f. l. a. pilul. conſperg.
pulv. liquir.

℞. ♍. de lapide Lazul. ℈j.
Magiſt. gum. de Peru gr. v. vel vij.
tartar. vitriol. gr. iiij.
c. ſ. q. Tinct. ♂t. tartariſ. aut ſyr. de epithym.
f. l. a. pilulæ.

Nem

Nemo niſi expertus credere poteſt, quantoperè ultimæ hæ ſtrigoſis corporibus, ac ita dictis melancholicis proſint. Cave itaque propter antiquam maſſam, quæ multis modò non eſt ad palatum, eas deſpicatui habeas.

℞. Extract. rhabarb. ℈j.
Reſ. ſcamm. gr. vj.
c. ſ. q. ſyr. de cich. c. rhab. f. Pilul.

Olea deſtillata nec pilulis nec reliquis purgantibus per decem fere annos addidimus, tùm quòd purgantium vim retundant, tùm quòd ſecus ac multi alii crediderunt, evacuantibus ſociata, tormina excitent, Pulveres noſtri purgantes ex diagryd. aut rad. jalapp. pulveriſ. cum tartar. vitriol. ♁ diaph. &c. componuntur. Ultra 12. grana diagryd. vix dedimus. Sæpius adjecimus pulveribus purgantibus duo aut tria grana ☉ri fulminantis, neque enim negari poteſt, quòd hâc viâ & virtus purgantium extollatur, ut in minori doſi operentur, & tormina egregiè præcaveantur. Convicti ſumus de veritate noſtræ ſententiæ ex eô, potiſſimum, quod idem purgans in majori doſi exhibitum abſque ☉ fulminante ſegniter, & cum multâ inteſtinorum torſione ſedes excitârit, ipſiſſimum autem illud præſcriptum uni eidemque Sacerdoti in minori doſi, ſed duobus croci ☉lis granis mixtum abſque ullo moleſto in inteſtinis ſenſu pluries alvum laxârit. Cœpit ante annos aliquot calx illa ☉is nonnullis Practicis eſſe ſuſpecta, quòd infanti cuidam fatum accelerâſſe crederetur. Vocatus Medicus ad infantem diris torminibus exagitatum, cum ex lactis aceſcentis cum bile ac ſucco pancreatico in inteſtino duodeno congreſſu, vel fortaſſis ex ſolo lacte congrumato ſenſum ardoris & doloris derivaret ac epilepſiam metueret, ad imitationem Cl. Lentilii pulverem, niſi fallimur ex ☉ro & ☉ fulmin. præſcribit. Sumpto medicamento tanta fibrarum atonia ac motuum in inteſtinis ferocia ſecuta eſt, ut omnia, quæ infanti infunderentur citius ab alvo (ita mihi narrarunt, qui infanti adſtiterunt) deturbarentur, quam fundum ventriculi attigiſſe adſtantes conjicerent. Ictu oculis citius omnia ſeceſſiſſe matris vox erat. Hàc diarrhœa exhauſtus infans interiit. In Medicum culpa conjicitur mortis, ac fama ejus vehementer, ut fieri ſolet, oneratur. Indubium eſt, quòd infantes abſque ullô pharmacô ſumptô ejuſmodi diarrhœâ colliquativâ non raro conficiantur. Nec eſſet, cur cauſæ ſuæ, ſi coram tribunali medico diſceptaretur, anxiè metueret medicus, cum vitioſa iſta materia, quæ torminibus anſam præbebat, ſive in ventriculo, ſive in inteſtinis hæreret, proſcriptionem ac eliminationem ex corpore indicaverit. Hanc verò etiam Lentiliano pulvere exterminari potuiſſe non adeò multi fortè inficiarentur medici. Iſte, qui curæ præfuerat, à Pharmacopœo peccatum fuiſſe, aut alium quempiam offerendo pulverem, aut commiſſo in præparando ☉ro fulmin. errore, contendebat,

quâ de re noſtrum non eſt judicare. Quicquid tandem de hoc caſu dicatur, nos ſeriò affirmare poſſumus, nullum ex uſu calcis hujus cuidam, quantum nobis quidem conſtat, ægro natum incommodum, & audemus ſpondere, nec ex uſu iſtius inpoſterum noxam eſſe metuendam, modò ♀is tantillum, quod ducato fuerit admixtum providè amoveatur (ne particulæ ♀eæ cum croco ☉is commiſceantur) & deinceps cum ☉ aut alio ſalino in mortario orichalceo ⊙ fulmin. non ſubigatur, ac tandem à medico debito tempore & loco adhibeatur. Verum hæc obiter. Præterea nobis familiariſſimo in uſu eſt potio ex ▽ laxat. Viennenſ. ⊖ eſſ. tartari, ſpeciebus diatartari ac ſyr. quodam e. g. regio, domeſtico, de cichor. c. rhab. diaſer. Andernac &c. ut quondam fuit Sydenhamii. Ex ſpeciebus diatartari Mynſ. ℈j ſufficit, raroque ad ʒß aſcendimus. Grana 8. vel 10. Reſinæ jalapp. vel ſcammon. in vitell. ov. ſoluta & cum ▽ viol. fl. acac. &c. ac julep. roſ. borrag. &c. mixta ſufficienter evacuant. Emulſio hæc grata eſt, nec noſtratium delicatius iſtam reſpuit palatum. Noduli quoque ex radicibus, herbis ac laxantibus à quibuſdam expetuntur. Addidimus hiſce utplurimum ſemina aniſi, carvi & aromatum quiddam, ut tranquillius agerent & ſine ſtomachi injuria. Infuſorum horum vires facilè & innoxiè intenduntur, ſi ſingulis doſibus liquor. tartar. tartariſat. gt. 30. adjeceris, quô ipso etiam tormina præcaventur. Bolos & Electuaria plurimi inter noſtros faſtidiunt. Pridiè purgationis quidam digeſtivis, ut vocare mos eſt, non malò utique conſilio & ſucceſſu utuntur, quorum loco ſicciores, quibus fruſtra interdum opinionem de neceſſitate purgantis excutere ſategeris, ad lubricandas vias, liberalius haurire juſſi ſunt juſculum, cui rad. alth. incocta, id quod ab ipſis cum maximâ eorum utilitate factum eſt. Non tamen noſtro nos defunctos credidimus officio, niſi etiam pro virili correctioni humorum incumberemus. In hâc autem humorum correctione non habuimus ante oculos noſtros multiplicia illa craſeos humorum vitia, quæ nimis ſolicito ſtudio veteres, quos aliàs tam libenter defendimus, quam alii impetunt, in ſcriptis ſuis explicant, multò minus ſexcentos illos ſalinos recentium ſapores, acidum, ſalſum, ponticum, auſterum, cauſticum, colliquativum, amarum &c. ac horum omnium innumerabiles inexplicabileſque miſturas & gradus; ſed 1. viſciditatem & craſſitiem, 2. autem iſtam ſalſedinem, quæ ad ſalis culinaris acrioris, aut acetoſitatis indolem propius accedit, fere unicè reſpeximus. Præter medicamenta noſtra commendavimus ægris placidos corporis motus ac ſufficientem per potum diluitionem, unde uberiores, quam ex remediis ipſis perceperunt utilitates. Nuper hîc locorum, ut illud obiter addamus, cæpit innoteſcere cura quædam ſordida per lotium vaccæ vernali tempore in floriferis pratis paſtæ ſub ortum ſolis affatim hauſtum, quam Galli, quibus initia debet, rem turpem pulchro velaturi nomine vocant *la cure de mille fleurs*, occaſione, niſi fallimur, ſumpta ab

ab aquâ omnium florum. Fœminam 50. annorum aſcite laborantem, remediis aliis parum proficientibus hâc curâ fuiſſe reſtitutam D. Klaunig compertum habet. Cæteroquin nobis hactenùs adeò felicibus eſſe non licuit, ut totam ſanguinis maſſam jam vapeſcentem in integrum reſtituere licuerit. Novimus, qui ſeſquipedalibus verbis per arcana ſua hoc pollicentur. *Miramur & iſtos, & noſtri nos pœnitet.* His enim myſteriis plus quam eleuſynis initiati non ſumus. Sicut enim lac aceſcens, vinum rancidum &c. arte in priſtinam naturam reſtitui non poteſt, ita forte nec ſanguis illis analogia reſpondens, ubi ſemel miſtura & compages ejus vel ſoluta fuerit prædominante quâdam ejus parte, vel per interpoſitionem materiarum noxiarum graviorem ſubiit mutationem, notis medicamentis in antiquum reducitur ſtatum. Non ignoramus Paracelſum olim jactaſſe, à ſe inventum tale medicamentum, quod omnia vitia ſanguinis mutet, & illum in optimam convertat temperiem, ſed dolemus, quòd ſi unquam tanti arcani conſcius fuit, humanum genus ejus cognitione privârit. Quantum ſibi mortales obſtrinxiſſet Helmontius, ſi eos docuiſſet, quodnam illud ſit, cujus ſubtiliſſimo ac penetrantiſſimo impulſu fermentativo, quodvis heterogeneum & excedens promptè è ſanguine ſepararetur. Neque enim iis pollicem premimus, qui dictatoria auctoritate decernunt, ejuſmodi medicamentum his dotibus ex parte præditum nullum inveniri poſſe. Palma in medio poſita eſt. Hoc tamen aſſerimus; nullum ad hunc uſque diem remedium nobis innotuiſſe hiſce facultatibus inſtructum, omniaque illa, quæ hic & alibi vendita fuerunt, licet vires eorum magnificis verbis deprædicarentur, tanti nominis menſuram non impleviſſe.

Per omnes ferè Menſis Julii dies aut venti ſpiraverunt, aut pluviæ, imò imbres impetuoſi deciderunt; & ut non de tonitru, fulgure &c. quicquam dicamus, 15, 16, 17, 18, 19, 26. magna aëris erat inclementia. Nec Auguſti initia erant blandiora partim propter pluvias, partim propter auram frigidiorem. Et cum dies ab 11. uſque ad 14. nobis illuxiſſent ſereni, reliqui ad 21. uſque ventis moleſti, ac pluviâ turbidi erant. Tandem poſt nubila phœbus nos reſpexit; quippe aëre gratiſſimo ferè in finem uſque menſis uſi ſumus. Cum Septembris ingreſſu ventorum ac pluviarum injurias iterum experiebamur, at tædium noſtrum per aëris ſerenitatem iterum fuit abſterſum, uſque in 12. Hunc qui excipiebant 13, 14, 15. & 16. iterum propter pluvias decidentes non adeò grati fuerunt. Secuti deinde iterum ſunt quinque dies admodum ſereni, quibus, ut mortalium res viciſſitudinibus obnoxiæ, ſucceſſerunt unus ventorum tumultu, alii pluviis infeſti. In ultimis duobus aër ſatis temperatus.

Conſtitutio aëris in Menſe Julio, Auguſto, Septembri.

Multi hoc tempore longis ac tædioſis fatigabantur febribus, ſine dubio, quòd per pluvioſam tempeſtatem plurimæ aquoſæ ſuperfluitates in corpore cumularentur. Infantes ac pueros Epilepſia premebat, quod

Febres diuturnæ & alii morbi.

quod argumento eſt, ex imbribus cerebrum graviter affici, ac pravis gravari humoribus. Gutturis ac faucium tumores adoleſcentibus ac juvenibus erant familiares. Cacochymici ulceribus ſordidis ac mali moris cruciabantur. Ita etiam in his plagis ſeptentrionalibus locum obtinet *Aphoriſmus* Hippocratis 16. *lib.* 3, qui ita habet: *morbi in pluviarum multitudine magnâ ex parte fiunt febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, & apoplexiæ & anginæ*, quamvis hoc tempore apoplexias & anginas non tractaverimus, imò nec putredines, ſi per eas cum aliquibus interpretibus intelligas partium ſolidarum corruptiones, gangrænam & ſphacelum.

Vomitus. Præstereà verò morbis hoc tempore graſſantibus jungebantur vomitus, imò ſine complicatione aliorum morborum, etiam multi aſſumpta vel quantitate nimiâ, vel qualitate ventriculo moleſta per vomitum rejiciebant. In ultimis hiſce vomitibus compeſcendis non properabamus, modò ii, qui vomerent, facile tolerarent, & non vehementer angerentur, non eſſent hernioſi, phthiſi vel tabe affecti, hæmoptoici aut hæmorrhagiis aliis obnoxii, aſthmatici vel anguſti admodum pectoris, aut tandem morbis aliis exhauſti. Omnium minimè verò moras traximus, quando ſingultuoſæ præcordiorum & hypochondriorum concuſſiones cum vertigine & deliquiis, ut & deliriis conjungebantur, horum vomitus compeſcendos illicò eſſe putavimus. His parum præſidii erat in roborantibus ventriculum, aut ſtomachicis, ſed plurimùm in theriacalibus. Ultimi hi vomitus cum ſemper nobis eſſent ſuſpecti, ægris quietem imperavimus, & uſum alexipharmacorum cum regimine ſudorifero. Eandem ferè methodum ſervavimus in nimiis febricitantium vomitibus, quibus multi torquebantur non ſecus ac febricitantes in anno proximè elapſo. Cum enim ab hinc tribus ferè luſtris in acutarum malignarumque febrium vomitibus eandem, quam in peſtilentibus ſpondet Sydenhamius, ex alexipharmacis & ſudoriferis percepiſſemus utilitatem, huic viæ conſtanter poſthâc inſtitimus etiam in aliarum febrium vomitoriis defatigationibus, imò in nauseâ paulò graviori: ac ſpes noſtra minimè nos fefellit. Subjunximus rebus jam tranquillis ad exemplum Riverii in malignis acetoſitatem citri, tùm ad temperandum ſanguinis æſtum, tùm virulentiam miaſmatis expugnandam. Ab aromaticis omnibus & præcipuè ab oleis deſtillatis cinamom. menthæ & opio ſedulò cavimus. Externè Theriacam in formâ emplaſtri non rarò ordinavimus, conſilium D. Ludovici ſequentes. Ex eô ſolô in Pictore hypochondriaco internorum uſum abhorrenti in febri acutâ ita invaleſcentibus vomitibus, ut non vanus eſſet metus morbi iliaci, ſtupendum vidit ac deprædicat effectum D. Klaunig. Non rarò etiam impoſuimus emplaſtrum de cruſtâ panis, maſtichinum & oleo menthæ, (cum jam Hippocrat. *lib.* 2. *de diæta*, *textu* 26. teſtetur, mentham vomitum ſiſtere) aut caryophyllorum malaxatum. Præſenti ope ſeſe etiam com-

commendat ∽ vini camphoratus cum ✢ fl. tunicæ miſtus. Nec emplaſtrum de galbano cum camphorâ prorſus rejiciendum eſt. Uſum mulſi cum ruta in vomitu ſingultuoſo in Polono mulſi amantiſſimo abſque effectu præſcripſimus, commendatum olim ab Heurnio *lib.* 2. *method. ad Praxin. c.* 21. Porrò etiam multi ex tuſſientibus, quorum non paucos hiſce diebus reperire licebat, facilè ea, quæ in capacitate ventriculi hærebant, per vomitum expurgabant, ſive id contingeret propter viſcerum abdominis compreſſionem in tuſſi violentiori, ſive propter nervorum communionem, (in aprico eſt, pulmones à pari vago antequam ventriculo inferatur ſurculos conſpectiores recipere) ſive tandem propter nexum arteriæ aſperæ per tuſſim irritatæ, cum œſophago, cujus ſuperior pars pharynx digito, aut alio quovis modo ſolicitata vomitum, aut vomendi conatum provocat. Tuſſis, & per conſequens etiam vomitus à tuſſi dependens, laxantibus lenioribus bis terve repetitis ſedabatur. Prægnantes multò gravius quam alio tempore, etiam poſt medium geſtationis tempus vomitibus delaſſabantur. Pilulis Beccheri potiſſimum ſublevabantur; Eſſ. etiam roriſmarini quibuſdam cum utilitate fuit propinata; nec deſtituit ſpem Miſtura ex

Eſſ. millefol.
cort. ☉t. aa. p. ij.
Elix. vitriol. Mynſ. p. j.

in vino, cui ſummitates roriſmar. fuerunt immiſſæ, exhibita.

Varia depravati appetitûs paradigmata & in virginibus ante menſium fluxum, vel in eorundem ſuppreſſione, ac in gravidis, quin etiam in illis fœminis, quibus menſes ritè fluebant, itidem his menſibus ſpectavimus. Cura ardua, quòd proxima mali cauſa non adeò ſit cognita. Menſtruorum ſuppreſſio picam inducere non potuit, quòd, ut jam diximus, etiam mulieres ab illâ immunes, res abſurdas, una e. g. vivum Lucium, altera carbones, tertia corium cordubenſe &c. impensè appetierint. Et quot quæſo non deprehendere licet fœminas menſium ſuppreſſione per ſemeſtre ſpatium laborantes, inter quas tamen alio tempore vix una inſuetis his, ac hominis alimento non deſtinatis rebus unicè delectetur? Humorum corruptio vulgò accuſatur, ſed modus & ſpecies corruptionis non explicatur. Hyſterica pathemata, utut in excludendo hôc malô partes aliquas ſibi vindicare queant; ſola tamen malaciam parere vix admiſerit Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 37. non obſcurè innuens ex ulcere circa fauces in muliere appetitum vitioſum eſſe ortum. Nos ex diverſitate appetitûs diverſitatem humorum peccantium pravo appetitui anſam ſuppeditantium conjectando aſſequi conati ſumus. Cum verò affatim conjecturarum, quæ potius turbant, quam erudiunt, in medicina ſit, nos hâc vice ſubticemus, donec dies nos meliora edoceat. Debile etiam fuit lumen, quod ab oppoſito certorum ciborum faſtidio aut nativo aut adventitio petere licuit. Nam

Appetitus depravatus.

quan-

quantum ad congenitum faſtidium pertinet, ejus cauſa ad matris gravidæ imaginationem refertur, ſed teneras contigit nobis tractare puellas pulvere laterum, cretâ, filamentis linteorum avidiſſimè veſcentes, quorum deſiderio matres gravidæ non tenebantur, quamvis non neſciamus contrarium exemplum legi apud Tulpium *lib.* 2. *Obſerv.* 24, ſcilicet quod vitioſus halecum matris gravidæ appetitùs in infantem ita tranſierit, ut ejulatu, quos nondum poterat verbis, haleces appeteret. Aſcititiam autem averſationem quod concernit, negari nequit, quod ſæpe ſolum erroneum de pravitate hujus vel illius cibi judicium per conſuetudinem confirmatum pariat nauſeam; ſed ejuſmodi præjudicium multis annis radices agens in ſtolido illo appetitu rerum noxiarum non cernitur. Deinde pendet illa conſtans certorum alimentorum nauſea aliquando inde, quod eadem ipſa alimenta aut minus mundè præparata, aut in nimiâ quantitate ad repletionem nauſeabundam avidè ingeſta fuerint, cujus rei memoria perpetuò præſens averſationem iſtam conſtantem fovet. Sed quid hinc eruas, quod faciat ad illuſtrandam appetitûs iſtius noxii cauſam? An abſurda olim nitidè eleganterque cum multo palati lenocinio præparata, eademque ante annos aliquot cum voluptate aſſumpta faciunt, ut ex ſolâ perceptæ voluptatis jucunda recordatione deſiderium fruendi iis denuò reviviſcat? Sed quicquid tandem de curâ picæ ſit, bene eſt, quod gravidæ noſtræ innoxiè peregrina ac prorſus aliena comederint? Non datum eſt, noſſe, quos ſyrupus de agreſtâ ceraſ. acid. ribium, berber. &c. à vitioſo iſto appetitu revocaverit. Nec majora incommoda eæ ſunt perpeſſæ, quæ ab omnibus remediis abſtinebant, quam illæ, quæ ſtudioſiſſimè & ſyrupis iſtis & tragæis ſtomachicis ex ſpecieb. aromat. roſat. & caryophyll. diaxyloalce, roſat. novell. &c. utebantur. Enimverò puellæ & fœminæ non gravidæ petulantiam hanc ſuam gravidè luebant, præcipites enim in cachexiam, obſtructionem menſium &c. devolvebantur. Ab his corporis malis non niſi laxantibus ſæpius repetitis, abſtergentibus, vomitoriis levioribus, abſorbentibus, anticachecticis, ſtomachicis &c. ſublevabantur. Relabuntur autem facillimè in priſtinos mores ac morbos reſtitutæ, nec niſi expertus crediderit, quanti ſit laboris efferum hunc cicurare appetitum. Notum eſt non Medicis ſolum, ſed & præcipuis quibusvis, quænam ſint acta hic locorum ad avocandam ſupremi ſubſellii heram ab immoderatâ prorſus ceræ ac cereorum ingluvie. Cerei primùm manibus mortuorum inſerti, ac deinde ori etiam in præſentiâ ejus, niſi fallimur, immiſſi, ſucco colocynth. imbuti fuerunt, non deſière tamen eſſe unicæ ejus deliciæ, quibus aviddiſſimè, modò nanciſci poſſet, & cum ſummo jucunditatis ſenſu frueretur.

Cholera. Homo cæteroquin ſatis robuſtus cholerici temperamenti incidebat in ferocem affectum Cholericum. Cucumeribus, ut non paucorum mos apud nos eſt, ventriculum diſtenderat, ac turbidam cereviſiam ingurgitarât ad ℔. vj. circiter. Poſt prandium abjectâ tunicâ ad labores ſeſe accin-

accincturus, à ſuorum quodam irritatus vehementer excandeſcit, ſed iracundiam diſſimulat. Poſt duarum horarum intervalla gravitatem maximam & anguſtiam immanem cum dolore in ventriculo percipit. Turbatur etiam caput, mens percellitur. Brevi poſt præterlapſis quinque circiter à prandio horis nauſeat, ac animi defectionem ſibi imminere narrans frigore percellitur, ſuccedit æſtus, ita tamen ut horripilatio quanquam non adeò frequens intercurrat. Supernè ac infernè magno cum impetu ac ſummis cum anxietatibus humores erumpebant. Tametſi verò ſtomachus & inteſtina mirè torquerentur, immanior tamen cruciatus, prænuncians inſtantes vomitus & ſedes ab eo ſentiebatur in regione lumbari dextrâ, ubi inteſtini duodeni ſitus, idque documento eſt, iſtud præcipuam hujus morbi eſſe ſedem, ac malo invaleſcente inflammari. Ferè convicti ſumus præſentes hujus tragœdiæ ſpectatores, vomitus in cholerâ à motu inteſtinorum periſtaltico inverſo nequaquam pendere, cum ea, quæ nobis præſentibus in magnâ quantitate supernè dejiciebantur, nulla excrementorum indicia ac ſtercoris notas præ ſe ferrent, omnique fœtore carerent. Probabile eſt choleram ex duobus morbis componi, vomitu & fluxu alvi. Cum humorum verò copia, quæ utrâque viâ expurgatur per œſophagum, inquam & per inteſtina, ſæpè tanta ſit, ut incredibile videri queat, eam omnem in primis hisce viis hærere, ſuſpicio naſcitur ex maſsâ ſanguinea non minimam ſentinæ hujus partem per arteriæ cæliacæ ramos ad ventriculum, per meſentericam, tum ſuperiorem tum inferiorem ad inteſtina confluere, & per vomitus ac ſedes ex corpore ſurſum deorſum exturbari. Huic ægro præſcriptus illico fuit Pulv. ſeq.

℞. Cryſtall. mont. ppt.
Corall. rub. ppt. aa. ℈jj.
⊕ depur. ℥ß.
Cinn. nat. gr. vjjj.
Camphor. gr. jj.
M. f. pulv. div. in 4. pt. æqu.

Pulverem hunc ad corrigendam materiam acriorem in ventriculo ac inteſtinis, ex cucumeribus corruptis & cereviſiâ fœculenta & ſerum, ſi ita vis, acidum, aut alia acrimoniæ ſpecie imbutum, nec non ad bilem temperandam, ſique eam cum veteribus tenuem in hoc morbo accuſare placet, incraſſandam, ac quaſi coagulandam, & ad præcavendam inflammationem utilem eſſe multoties experti ſumus: Cryſtallum montanam & Corall. ferè ſemper in hoc caſu prætulimus alabaſtro, ebor. uſto, lap. 69. mat. perlar. &c. tametſi nec illa rejiciamus. Potum tenuem non minus bilem, quam humores acres cæteros diluentem commendavimus. Veteres ſolicitè aquas lactucæ & nymphææ extollunt, Aretæus etiam aquæ frigidæ cyathos duos aut tres

non abhorret; nos poſthabito etiam juſculo ex pullis gallinaceis Sydenhamii, decoctum hordei elegimus, ſatis certi, hoc ipſo & acrimoniam bilioſam involvi, ejusque muciditate inteſtina adverſus acrium injuriam præmuniri. Non tamen permiſimus, ut ſumpto pulvere ſtatim decoctum hoc ſuperinfunderet æger, ne ventriculus irritatus illicò medicinam excuteret. Sub noctem Theriacæ Androm. ʒß in aqua cinamomi diſſolutam accepit. Externè ~ Vini camphoratus fuit adhibitus. Cum per intervalla 18. horarum ter pulverem ac ſemel theriacam ſumpſiſſet, multùm de ferociâ ſuâ remiſerant ejectiones, itaque Eſſent. Theriacal. uſui pulveris denuo repetiti intercalavimus, ut &, vomitu magis ac magis ceſſante, hauſtulum vini Canarienſis. His paucis medicamentis malum fuit debellatum. Uſus deinde per biduum eſt gelatinoſis juſculis, ac ex voto convaluit. Anodyna in largiori doſi more Sydenhamii non propinavimus, etiam in aliis caſibus, &, ſi remedia, quod multoties factum eſt, ab ægris rejicerentur, ea denuo ac iterato iis obtulimus, ſed ad dimidiæ ferè horæ ſpatium à ſumptis remediis potum illis interdiximus. Ex adſtringentibus, ſcilicet pulv. compoſ. ex terr. ſigill. Goldberg. bol. armen. croc. ♂t. adſtring. gum. Arab. & raſ. N. M. ac parum theriac. cœleſt. in ▽torment. biſtort. cum ſyr. Myrtin. præcordiorum anxietates cum puncturis acutiſſimis in hypochondriis usque ad animi defectionem auctas fuiſſe, meminimus. Nec Cydonites, ſeu ut vulgò vocant, vinum Cydoniorum multò melius ſe gerit, ſi ſub morbi initio exhibeatur, at morbo jam debellato ventriculum egregiè roborat, ob hanc profectò virtutem Cydonia à Sebizio *de alimentorum facultatibus* eximiè celebrantur. Cæterum Vratislaviæ quò fervidiores ſunt tempore æſtivo ſolis ardores, eo frequentiora Choleræ exempla cernere licet.

Fluxus Cœliacus Fluxus alvi cœliacus cum diarrhœâ hoc tempore erat morbus prædominans, quo infantes, pueri ac adulti paſſim imò & ſenes infeſtabantur. Fæces, quas reddebant, cremore ſeu chymo permiſtæ erant, haud multùm albicabant, id quod indicium præbebat, bilem in duodeno cum chylo fuiſſe permiſtam. Hoc alvi profluvium tormina non comitabantur; nec æſtuabant, aut adeò ſitiebant ægri, mirè tamen enervabantur ac contabeſcebant. Pulſus tantùm in paucis quibusdam celer & frequens exiſtebat, tanquam febris affligeret. Ante dejectionem ſedium abdomen diſtendebatur, ac venter inflabatur. Non meminimus, quod hoc tempore dejecturis leviuſculæ lipothymiæ ſeu animi defectiones obrepſerint cum frontis ſudore, quod alias factum eſſe novimus. Non uno alterove die durabat hoc malum, ſed poſt duas aut tres ſeptimanas demum adhibitis idoneis remediis conquieſcebat. At tamen non nimis erant frequentes ſedes per diem, ſexies, ad ſummum octies vel decies alvum exonerabant. Appetitus non prorſus erat proſtratus, nec tamen per omnia ſalvus, ſicut iſtius mulieris, de qua Foreſtus *lib.* 22. *Obſ.* 26. Ex reſiduo autem

appeti-

appetitu, ut & chylo coćto colligitur, ventriculum ſuo fungi officio, nec ei culpam omnem imputari poſſe. Re attentè conſiderata patuit vitium hærere in cruſtâ inteſtinorum villoſa (quam velamentum bombycinum Hornius appellat:) per quam tanquam filtrum cribratur & tranſcolatur chylus. Vitium autem illud aliud eſſe non poteſt, quam quod pori iſtius periſtromatis humoribus lentis ac pituitoſis ſint obdući. Dùm itaque blenna viſcida ac tenaci velamentum bombycinum eſt incruſtatum, chylus non admittitur, ſed cum fæcibus alvinis exturbatur. Præterea affećtus hic noſter abundantiam pituitoſorum humorum in maſſa ſanguinea præſupponere videtur, nam frequentia ſedium per tot dies durantium, ſatis innuit, cauſam non ſoli pituitæ in inteſtinis ſtabulanti adſcribendam eſſe, tametſi alias facilè largiamur, largam in inteſtinis reperiri humiditatem excrementitiam, *qua*, ut veteres efferebant, *eorum tunicis imbibita laxitatem efficiat.* Perſuaſi igitur eramus, pituitam aliosque noxios humores ex maſſa ſanguinis per arterias meſaraicas in inteſtina effundi, ac deinde cum chylo & fæcibus per ſedes eliminari. Non excluſimus etiam glandulas, quas Wepferus tunicæ tendineæ, Bayerus vero & Bechlinus carneæ intertexi notarunt, quamvis Wepferus potiſſimum de glandulis ventriculi loquatur. Nec enim negari poteſt, ex dućtibus illorum lympham ſubindè viſcidam in tubulum inteſtinorum illabi. Maximi uſus erant in curando hoc affećtu pulveres digeſtivi ex ocul. 69. tartar. vitriol. arcan. dupl. ſale abſynth. ad mucum viſcidum incidendum. In infantibus ac pueris absque omnibus aliis ſatisfaciebat pulvis laxans Ludovicianus ex pulvere jalapp. & ☿ dulci ea doſi, qua grana hujus ſeriei annorum uſque ad quintum reſpondebant, illius enim (ſcilicet jalappæ) grana vjjj. infanti quatuor annorum tutò, ſi iſte non adeò debilis ſit, exhiberi queunt. Subjunximus ejusmodi laxanti in hoc caſu medicamentum ſine pari Tinćt. Vitriol. ♂t. tartariſat. D. Ludovici, ac ferè nullis aliis indiguimus. In adultioribus, præmiſſis ſalibus aperientibus, rhabarbarum bis ferè præſcripſimus, deinde in uſum traximus ea, quæ emollitas per pituitoſos humores fibras roborare poſſunt. Eminent præ reliquis ♂tialia cautè cum aromaticis miſta v. g. limat. ♂t. cum tragea quadam gratiori. Nec enim vidimus ullam cauſam, cur limatura hæc cum lumbricis terreſtribus exſiccatis aliisque, prout quidem Ravellio placuit, miſcenda eſſet, quamvis lumbricos in uſum adverſus puerorum vermes duxiſſe videatur, falſa utique innixus hypotheſi. Egregiè etiam profunt Elix. menthæ, Eſſ. acori, abſynth. comp. ſi rećtè fuerit parata, & rad. cichorei condita in delicatioribus. Adverſus febrim non erat peculiaribus medicamentis opus, nam ut jam diximus, illa non erat notabilis, aberant etiam animi deliquia. Externa pauca adhibebantur, & illa ex adſtringentibus minimè compoſita. Convaluerunt quantum ſcimus, omnes noſtra hac methodo curati. Aſt etiam alius generis fluxus cœliacus datur, qui tantum non omnes in mortem præcipitat. Nimirum contingit, ut

 chylus

chylus etiam ritè percolatus per poros velamenti bombycini in glandulis meſenterii ſubſiſtat ac in caſei formam coaguletur. Prædictæ glandulæ à copioſo chyli fluxu intumeſcunt, quò ipſo ſubſequenti tranſitus præcluditur. Non autem ſolùm in tumorem perexiguæ iſtæ glandulæ extolluntur, ſed diuturniori morâ liquoris mucilaginoſi emolliuntur & vim tonicam propellendi receptum chyloſum liquamen amittunt. Hoc ubi contingit, quemadmodum in tenerâ ætate, dum frigidus potus noctu ingurgitatur, crebrò ſolet uſu venire quovis anni tempore, chylus inſpiſſatur, in cremam aut in caſeoſam ſubſtantiam induratur. Fieri tum aliter nequit, quam ut cœliacus fluxus ob iter chyli impeditum excitetur cum ventris torminibus & atrophiâ totius corporis ob denegatum humoris nutritii ad ductum thoracicum per pancreas meſenterii liberum commeatum. Exinde ægri ejusmodi atrophiâ conſumti in ſceleti formam rediguntur, & emaciati prorſus exſpirant. Poſt mortem, ut notum eſt Profectoribus, innumeræ glandulæ, quas vel lynceus oculus vix in ſanis detegere potuiſſet, in conſpectum veniunt turgidæ & duræ, quarum aliæ fabæ, aliæ nucis avellanæ, aliæ tandem nucis moſcatæ magnitudinem æquant, in quo caſu laudata anteà medicamenta eam, quam prædicavimus efficaciam in priori illâ cœliaci affectus ſpecie minimè exerunt. Pauperes, qui fructus fugaces crudos ingurgitabant, paſſim in lienteriam incidebant.

Lienteria. Adeò hisce menſibus alvi profluvia quæcunque, excepto ita dicto hepatico fluxu, quem non vidimus, præ reliquis morbis erant communes. Lienteria hoc tempore maximè omnium dependere videbatur à lubricitate ventriculi, ſeu laxitate fibrarum ex pituitoſorum humorum flacceſcentium admiſtione. Maximè verò omnium atonia pylori accuſari meretur. Iſte enim ex diuturniori morâ & commercio cum phlegmate enervatus, alimenta non retinet, ſed potius ante debitum concoctionis tempus eadem elabi ſinit. Hoc verò quando contingit, cibus non valdè mutatus (aliquam certè mutationem commiſtio ſalivæ cum alimentis in maſticatione parit) per alvum celeriter egeritur. Neque neceſſarium eſſe videtur ad producendum hunc lientericum fluxum, ut *particulæ pituitoſæ ventriculo & inteſtinis adhærentes valdè levem & glabram faciant eorum tunicam interiorem*, ut credidit Craanen *Prax. Med. reform. c.* 75. ſed tranſverſarum fibrarum in ventriculo debilitas ab emollitione enata ſufficit, quo minus aſſumpta in ventriculo ſerventur, donec in chymum fuerint diſſoluta. Et fortaſſis Galenus non adeò malè taxavit veteres, quod lienteriæ tale nomen indiderint ἀπὸ τῆς τῶν λειότητος, cum vitium non inteſtinorum ſit, ſed ventriculi; itaque non neceſſe eſt, lævitatem cum Doctiſſimo Viro D. Craanen non ſolum in ventriculo, ſed & in inteſtinis comminiſci. Cæterum palpabile videtur, quod ita conſtituto ventriculo, prout eum in Lienteriâ comparatum eſſe diximus, ſalivalis humor (menſtruum vulgò vocant) iners ac ad diſſolvendos cibos

ineptus

ineptus eſſe debeat. Feſtinavimus curam, quæ non magis ardua eſt, quam in cœliacâ, nec periculum præſentius, quam hæc minitatur. Omninò enim hic ſubſcribimus Doctiſſ. Medico Ludovico Mercato in lib. *Conſultat. XII. p. m.* 66. eos decipi, qui arbitrantur, longè minus eſſe periculum in cœliacâ, quam in lienteriâ. Nec nos movet ſpecioſa, quam allegant, ratio, quòd in hâc omnimoda ſit coctionis privatio, in illa verò diminuta, privatio autem ſemper deterior ſit diminutione, nam rectè iis reſpondit vir prælaudatus, eos ignorare, privationem coctionis in lienteriâ adeſſe hâc præcipuè de cauſa, *quòd alimenta non retineantur*, at in cœliaca, ea præſertim, quam vulgo deſcribunt, ſed tamen à noſtra illa, quæ hoc anno, ut diximus, graſſata eſt, in non paucis diſcrepat, graviora coctionis vitia deprehendi, nam alimenta, etiamſi detineantur, cruda tamen excerni & magis putrida, quò diutius detinentur. Non attigiſſemus hæc, niſi quosdam ex noſtris in aliâ verſari opinione nobis innotuiſſet. Medelam hujus temporis Lientericis rhabarbarum in juſta doſi bis exhibitum, & ſtomachica tonum ventriculi reſtituentia attulerunt. Inter ſtomachica illa præcipuum locum obtinuerunt ex maſtich. abſynthio menthâ ac ligno aloes præparata, quæ & moris immaturis ſiccisque, ac eo ipſo acerbis ab Altimaro, & gallinarum ventriculis à Foreſto tantoperè commendatis prætulimus. Nec minus utilia deprehendimus Zingiber & N. Moſch. condita. Egregiè etiam profuit ipſa Theriaca in vino diſſoluta. His exhibitis non indiguimus alumine, cujus dextro uſu nihil eſſe præſtantius in lienteria Frid. Hofmannus arbitratur, præſertim ſi diæteticæ leges ritè obſerventur. Decoctum radic. chinæ dilutum loco potûs ordinarii hauſtum reliquorum remediorum uſum, mirum dictu, quam efficacem reddat. Colophonem curæ imponere licet per prudentem martialium uſum.

Unus & alter puer ab inſultibus arthriticis hoc tempore non erat immunis. Succi lumbricorum efficacia alibi à nobis debitè fuit celebrata in articulari morbo, ſed prorſus mirandam eſſe in arthritide puerili, aliquoties poſthac deprehenſum fuit. D. Pezoldo occurrit puer nobilis 10 annorum, patre natus arthritide frequenter exercito. Hunc ipſum arthritide vagâ miſerè tortum poſt fruſtra ferè propinata diapnoica, diluentia, præcipitantia, cinnabarina & nitroſa feliciter ac brevi reſtituit remedio à Clariſſ. Ludovici indicato, ſcilicet ſucco lumbricorum in calido infuſo trifol. fibrin. beton. ſalviæ & ſabinæ exhibito Inde ſudores largos acidum olentes cum ſubita ac inſperatâ euphoria fluxiſſe vidit. Et nos ferè etiam ex pulvere lumbricorum non multò minorem utilitatem percepiſſe arthriticos, in hâc tenera ætate, quibus ſuccum lumbricorum in paulò amarioribus infuſis nullâ arte obtruſeris, multoties experti ſumus. Quamvis nulli dubitemus, alias palmam ſucco præ pulvere offerre, ſi ægri non fuerint nauſeabundi, & occaſio utendi ſuppetit in aliis quoque morbis. Inſigniſſimum effectum certè eidem Arthritis.

D. P. notare licuit in Juvene ex Ducatu Wurtenbergico 22. annorum, qui ex variis duram militiam ſtipantibus laboribus, peſſimâ diætâ, ac ultimò ex potu frigido poſt iram ſuppreſſam in gravia ſymptomata, atrophiam inſignem, vertiginem, arthritidem, impotentiam artuum, tubercula glanduloſa variarum corporis partium delapſus; iſte verò præmiſſis univerſalibus, præcipitantibus, reſolventibus &c. ex continuato uſu ſucci lumbric. cum memorato brevi ante infuſo eminens levamen ſenſit, & poſt aliquod interjectum tempus cum ſanitate ex integro reconciliatus eſt, ita ut poſt duos menſes ſucculentus & carnoſus evaderet ac ζωτικὸν ἄνθος recuperaret. Proficuus admodum huic eidemque juveni fuit non ſine merito à Celeberr. D. Schlevogtio doctrinæ & experientiæ rarioris medico commendatus ex ſabina & filice ſuffitus.

Febres intermittentes mali moris.

In ſcenam etiam prodibant febres quædam intermittentes admodum ſimiles iis, quæ anno proximè præterlapſo à nobis fuerunt tractatæ. Diſputatum fuit, ut alibi innuimus, inter doctiſſimos medicos, an ex verè intermittentibus quædam malignæ ſint, & videas alios hoc affirmare, alios verò negare. Malignas ejus generis febres multis præclaris medicis videre licuit, Petro Salio Diverſo, Sennerto, Paulo Neucranzio, Johanni Rhodio, Simoni Pauli, Henrico Meibomio, aliisque pluribus. Agnovit etiam eas Galenus, indicavit Mercatus Claudinus & Minadous. Et hoc anno nobis quoque hîc intermittentes malignas aliquoties obſervare contigit, ſed non adeò frequentes, quam anno nono hujus ſeculi tempore æſtivo. Quin imò annotatum eſt à Medicis in illis locis, ubi peſtis in vicinia noſtra hodiè graſſatur, ante luis peſtiferæ ingreſſum intermittentes mali moris fuiſſe graſſatas. Illarum quas tractavimus & hoc anno 1702. & jamjam præterlapſo, 1709. ferè typus hic fuit. Initio ægri meridiano tempore levem ſenſere horrorem, quem calor illicò excepit non adeò magnus, ſed cum ſumma laſſitudine & debilitate virium conjunctus & in ſequentem diem usque ad quintam & ſextam matutinam protractus. Pulſus ſummè languidus erat. Altero die non tantum remiſſio, ſed vera intermiſſio obſervabatur, nihilominus de maximâ virium proſtratione conquerebantur, & artus ſibi omnes quaſi confractos eſſe ingeminabant. Tertio die ferè circa veſpertinum tempus ſenſum frigoris per dorſum, ut ajunt, decurrentis percipiebant, & ſtatim in magnum incidebant æſtum, qui per noctem usque ad octavam, imò nonam & decimam durabat. Et hoc die tertio verè adhuc intermiſſionem aliquam obſervare licebat. Sequentibus autem tribus aut quatuor diebus creſcebat calor ac debilitas cum maximâ virium dejectione & reliquis ſymptomatibus mox deſcribendis, ut facilius exacerbationem caloris ſtatis temporibus, quàm intermiſſionem veram notare poſſes. Sed quod notatu quàm digniſſimum eſſe arbitramur, his, quos diximus, tranſactis diebus juxta noſtram curandi methodum poſt ſeptimum, modò citius, modò tardius rurſus intermiſſiones apparebant, & quotidiè quaſi luculentiores, donec vel in

tertia-

tertianas, vel quod tribus eveniſſe memini ultimo hoc anno, in quartanas manifeſtè degenerarent. Lingua toto morbi decurſu mucô viſcido (albo plerumque) erat obducta. Graviſſimè urgebat nauſea. In quibusdam ventriculus ad vomitus concitabatur, alios verò inanes vomendi conatus maximoperè torquebant. In his cardialgia major quam in illis, ac priores facilè animo linquebantur, cum leviter commoverentur. Inappetentia & nauſea ciborum erat longè maxima, ſed quod mireris, ſitis minimè clamoſa. Limpidam ferè deſiderabant, reliqua potuum genera faſtidiebant. Tribus aut quatuor prioribus diebus immanis capitis dolor iis infeſtus erat, qui utut ſequenti tempore non ceſſare videretur, quia morbus de vehementia non remittebat, nihilominus veteres de ejus cruciatu querelæ parcius audiebantur. Vigiliæ ferè perpetuæ & inexpugnabiles. Urina ſub initium propemodum naturalis, creſcente morbo ſaturatè rubra, eô autem adulto plerumque turbida erat. Alvus ferè adſtrictior. Tantum in uno diarrhœa, quantum memini, animadverſa. Purpuram, poſt incredibiles anxietates & jectigationes erupiſſe itidem recordamur. In quinquagenariæ viduæ, quæ in ſterili matrimonio vixerat, corpore poſt ſummam pectoris oppreſſionem Eſſere effloruit. Superato etiam morbo tardè ægri priſtinas recuperarunt vires. Hisce noſtris febribus admodum noxia fuerunt emetica & purgantia draſtica, quorum uſus, ut fama fert, nonnullis fuit lethalis. Ad imitationem Neucranzii *de purpuræ curatione p.* 413. quando neceſſitas illud exigebat, ab initio leni ſumus uſi pharmaco, curiosè vitatis fortioribus. Alexipharmaca & bezoardica cum ♁tro miſta, ſacra ægrorum noſtrorum anchora fuerunt, non tamen neglecta humectantia & analeptica. Quoad intermiſſio aliqua obſervari potuit, ſub declinationem paroxyſmi exhibita fuit Eſſentia ex ſcordio & radicibus alexipharmacis, ægrisque inculcatum, ſudorem ſpontè manaturum continentia corporis & quiete calidoque potu eſſe fovendum. Horâ unâ aut altera ante paroxyſmum datus eſt pulvis ex bezoardicis & ♁tro. Cum verò deinceps intermiſſio aut nulla eſſet, aut certè obſcuriſſima, Eſſentiam quidem hora 5 & 11 matutina dedimus, pulvis verò horâ quartâ & nonâ veſpertina in uſum fuit vocatus. Quibus ſudores absque omni violentia horis matutinis placidè fluebant, iis nauſea, vomitus, imò & deliquia multò citius ceſſarunt, quam aliis, qui jectigationibus quamvis lecto ſepulti jacerent ſudoris fluxum impediverunt. Irregularis etiam erat febris cujusdam præſidiarii militis, cujus curæ præfuit D. Pezold. Ejus paroxyſmi modo tertianæ, modò quartanæ typum ſervare videbantur. Quartus acceſſus conjunctus erat cum ἔκλυσι & ἐφιδρῶσι, ſed mox comparebant ubivis in toto corpore & artubus confertiſſima tubercula ſatis dura, albida & prurientia cum ſummo levamine. Quia verò poſt triduum Medico inconſulto in aëre libero ac horridiori commorabatur, denuo ob deſpumationem turbatam incidit in grandes præcordiorum anxietates

&

& diſpnœam, quibus liberabatur, cùm iterum tubercula pruriginoſa coloris rubicundi ac brunni erumperent. Poſt uſum Mixturæ ſimpl. non camphoratæ iſta exanthemata evanuêre, ſed fœdus cutis color cum pruritu pedumque tumore œdematoſo per aliquot dies reſtabat. Cæteroquin ejus generis febres minimè raræ ſunt, ut alibi innuimus, & viſi ſunt interdum ferè omnes domeſtici laborare ejusmodi febribus ſcorbuticis. Ita Patriſamilias ædes declives & ſtillicidio adeo madentes, ut fungi in hypocauſto naſcerentur, inhabitanti, ut & conſalinis ejus ſub quolibet paroxyſmo ſimilia tubercula albida, prurientia & æſtuoſa efflorefcebant. Quondam doctiſſimus Reineſius in tertianis epidemiis mali moris, pertinacibus, & miris ſymptomatibus comitatis ejusmodi tubercula pruriginoſa, alba per totum corpus inſtar monticulorum ſubitò prorumpentia, ſubitoque diſparentia conſpexit *Epiſt. 2. ad Neſteros.* Febrium harum ſcorbuticarum cura requirit omninò antiſcorbutica, quibus ex voto debellantur. Id quod prælaudatus Reineſius expertus eſt, l. c. ſcribens: *Feliciter mihi ceſſit habita ratione febris ejusque cauſæ antiſcorbutica alterantia exhibere, quod, quia non attenderunt alii, ludere ſcilicet & latere ſcorbutum ſub typis febrium, etiam veteranos & exercitatos Medicos nihil ſe profeciſſe (& pertæſos ægros reliquiſſe) conqueri memini.* Quæ longè veriſſima eſſe quotidianæ ferè experientiæ teſtimonio confirmamur. Hæſitavimus autem hactenus & ad hodiernum usque diem ambigimus, an fides adhibenda ſit iis, quæ p. 4. idem Reineſius addit: *Univerſim autem verum eſt, ſcorbuticos etiam calidiora facillimè tolerare: nam & humor morbificus frigidus & viſcus, quod plerumque hunc morbum fovet, ipſum frigidum eſt, & atonia flaccorque ventriculi, qui ſemper comitatur, calidis potius, quam frigidis corrigetur.* Si fidem rerum magiſtram conſulueris, facilè comperies, multos ſcorbuticos calidiora ægerrimè ferre quando febricitant, & ſucco citri aliisque ſubacidis maximè refocillari. Sed hæc obiter.

Criſis per abſceſſum cuticulæ. Mulier quadragenaria cholerico-ſcorbutica in febrim continuam periodicam lapſa eſt, ac demum feliciter, obſervante D. Preus, per cuticulæ univerſi corporis ſeceſſum judicata. Adeò non ſoli ſerpentes exuvias ſuas deponunt. Frequenter autem cuticula abſcedit in morbo, quem vulgò vocant Roſalia, antehâc à nobis deſcripto, prout multoties vidimus.

Alphus. Paulò rarior apud nos affectus, Alphus, quo ſumma cutis colore punctis ſeu maculis albis, ſed non continuis, nec invicem cohærentibus diſtinguitur. Vitiligine hac cutis ſubaſpera & inæqualis redditur. Maculoſâ hac corporis defœdatione non tantum quendam Medicum alibi jam viventem, ſed nonnullos etiam alios dehoneſtatos conſpeximus. Ab iſta morphea nec membrum virile fuit immune. Sed benè eſt, quod ſuperficietenus duntaxat cutim quaſi guttis quibusdam ſuperaſpergat, nec muſculos corripiat, quod in Leuce fit. Nulla verò cæteroquin moleſtia premit hominem. Vegetus ſanè erat Medicus, vegeti &

pauci

pauci illi alii à nobis conſpecti. Ab his maculis non niſi colore diſtinctæ videntur illæ obſcurè rubeſcentes, quæ multò frequentiores & paulò, quantum ad ſpatium, diffuſiores, his, religioſus quidam collum & brachia notatus, à D. Klaunig conſilium opemque petiit. Vitium in humoribus latens corrigendum eſſe facilè patet, ne ſi altiores radices agat, in deterius vergat, & gravem aliquem affectum inducat. Lepram quod minentur maculæ albæ, quorundam ſententia eſt. Ex votô ceſſit Doctori prælaudato cura per trag. aromat. ℥jj & limat. ♂t. ſubtiliſſ. ʒjj. Illâ manè ad 3 cuſpides cultri ſumptâ, Religioſo ad ſudorem uſque corpus commovendum fuit. Poſt prandium ol. tartar. per deliq. Monachus iſte non ſolum uſus eſt, ſed & maculas ſudore adhuc madidas eo ipſo perfudit, hoc eventu, ut brevi priſtinus cuti, abſterſis his maculis, redderetur nitor. Quæ cura etiam in aliis, omiſſo externo & interno ol. tartar. per deliq. aliorumque euporiſtorum uſu per ſolam ♂tis limaturam cum pulv. cinamom. & ſacchari ſ. q. in rotulas redactam fauſta ac ſecunda fuit.

Non tantum infantibus propter tormina clamoſis, ſed & aliis nec non adultis familiare erat vitium Procidentia ani, ſive propter diarrhœam epidemium hujus temporis morbum; ſive quod acria quædam, ac in nonnullis etiam aſcarides in inteſtino hærerent, ac vellicando, ſtimulando, morſicando, illud protruderent; ſive quod muſculorum tonus nimiâ humiditate eſſet quodammodo relaxatus. Notum enim ſatis eſt, quòd, quando, aut robur muſculi ſphincteris, aut levatorum humiditate & mollitie remiſſum eſt ac elanguuit, podex hiet, & non ritè conſtringatur, vel anus aliquantiſper protruſus (quod in omni excretione contingit) non ſurſum retrahatur. Ex ultimâ hâc cauſâ multis fuiſſe his diebus prolapſum inteſtinum non licet dubitare. Tametſi autem prolixis quæſtionibus in affectu in oculos incurrenti minimè opus ſit, ut tamen in noſtrâ ſententiâ magis confirmaremur, non neglaximus indagare, an magnus egerendi conatus ob fæces exſiccatas & induratas adeſſet, an calculo veſicæ premerentur, num aliqua paralyſios veſtigia obvia forent? Nihil autem horum in ægris noſtris tùm deprehendere potuimus. Non tantum tollendæ hujus prolapsûs cauſæ incubuimus, ſed ante omnia eò laboravimus, ut quam primùm anus in ſuum reponeretur locum. In adultis negotium repoſitionis non adeò difficile fuit, antequam inteſtinum inflammaretur ac intumeſceret; nam facilè vel ab ægro ipſo, vel à Chirurgo linteó calidô blandè retrudebatur. Præſenti autem inflammatione uſi ſumus aut fotu, aut ſacculis ex flor. ſambuc. meliloti, chamomill. Verbaſc. hyperic. ſummit. anethi ac ſem. cumini in vino coctis optimo ſemper cum ſucceſſu: ſublato repoſitionis impedimento levi manûs operâ prolapſum inteſtinum in priſtinum redit locum, ſed ut diximus, illud ita facilè expeditur in adultis. In infantibus paulò aliter ſe res habet: dùm continuô ſuô ploratu ac ejulatu inteſtinum protrudunt, fruſtra in

Procidentia ani.

repoſitione laboratur, niſi punctum illud temporis accuratè obſervaveris, quo inteſtinum motu ſuo vermiculari artis & manûs ſubſidium adjuvat. Difficilius opus eſt, anum in locum debitè repoſitum ita firmare, ne denuò procidat. Variis modis, quos omnes hîc commemorare non attinet, hoc aſſequi tentarunt hactenùs Medici. Inter remedia externa maxime extollit D. Klaunig unguentum Foreſti, quod in fœmina 30. annorum, quæ per multos annos hoc incommodi perpeſſa fuerat, ut etiam illo tempore, quo alvum non deponebat, inteſtinum prolaberetur, mira, aliis omnibus irritis, præſtitit. Unguentum verò illud ſequens eſt:

℞. Gallar. immatur.
Nuc. cupreſſ.
bacc. myrt.
balauſtr.
Mali corii.
Cort. glandium.
Acaciæ.
Thur.
Maſtich. aa. ʒjj.

Omnia exquiſitiſſimè trita macerantur dies circiter quatuor in ſuccis meſpilorum & ſorborum immaturorum, deinde ſiccantur igne & cum ol. roſat. ſæpius in aquâ aluminoſâ loti ℥jjjjß ac ceræ albæ ℥j. f. Unguentum. Nos, ut nihil diſſimulemus, unguentis omnibus ferè ſemper prætulimus vinum, in quo ſummitates abſynth. cortex granat. acaciæ & alia ſimplicia à Foreſto in unguenti formam redacta fuerunt cocta, eò, quòd non tantùm fibras inteſtini conſtringat, ſed una eademque opera muſculis relevatoribus robur addat. Nec rejicienda cenſemus illa topica, quæ lumbis & præcipue oſſi ſacro imponuntur. Ac laude ſuâ defraudandum non eſt celeberr. Ettmulleri Emplaſtrum ex Gumm. ſagapeno, oppoponace aa. q. ſ. liquefacto præparatum & calidè oſſi ſacro impoſitum; quod amplius delucescet & ab unoquoque facilius concedetur, ſi in memoriam nobis revocaverimus, quod levatores ab oſſium coxendicis ſacrique ligamentis oriantur & ſphincteri muſculo, ad quem diſtincti deſcendunt, inſertiones ſuas commiſceant.

Calculus in uretere hærens.

Torſerat dolor fixus in iliô, niſi fallimur, dextro Virum quadragenarium per aliquot dies cum morsûs & ponderis in regione umbilici, tractionis verò ac tenſionis ſenſu in teſticulis, collo veſicæ ac pene. Per intervalla, dolore increbeſcente vomuerat. Petitur conſilium. Medici in diverſa abeunt. Colicum dolorem hic eſſe cauſatur, alter à ſolâ obſtructione alvi, (nam jam aliquô tempore illa fuerat ſegnior) & flatibus in abdomine oberrantibus originem mali accerſit. Nos, qui illud doloris genus in aliis aliquoties

quoties jam tractaveramus, à calculo in uretere hærenti natales omnis moleſtiæ deducebamus. Injecta fuère enemata varia, Balneum ex ſapone veneto Uratislaviæ uſitatiſſimum æger ingreſſus, ſumpſit oleum amygdal. dulcium; Decoctum emolliens, juſcula cum rad. alth. parata, emulſiones ex ſemine violarum, milii ☉lis, aquis appropriatis, pulv. Volkammer. ac alia. Cataplaſmata ex emollientibus externè dolentibus partibus applicata &c. At his omnibus ſtudioſiſſimè per 8. dies exhibitis nihil profecimus. Poſteà valere juſſis remediis poſt biduum derepente ab omni dolore noſter liberatus fuit. Dum adhuc anceps hæreret, à quo morbo fuiſſet afflictus, & noſtram de calculi præſentiâ opinionem datâ occaſione ſalſè irrideret, poſt aliquot iterum dies ſubitò ad urinam reddendam ſtimulatus duos calculos piſi magnitudinem ſuperantes cum aliquô dolore excluſit, deſiitque nobis inſultare. Cum iiſdem phænomenis, ſed majori cum impetu, elapſis poſt abortum aliquot diebus, idem dolor ilium ſiniſtrum in illuſtri fœmina occupavit, ſed non eodem cum eventu. Nam antecedentibus partûs laboribus exhauſta, dum intenſiſſimè ac pertinaciſſimè calculorum excluſionem, quæ antehâc bis vel ter cum atrocibus ſymptomatibus, frigore, cui ſimile nunquam in hoc morbo vidimus, & æſtu ſummo ac jectigationibus anxiis, vomitu horrendo &c. ei contigerat, natura molitur, exquiſitiſſimis doloribus ferendis non ſuffecit, ſed in convulſiones iteratò incidit ac vitam cum morte commutavit.

Sæpius de ἀπραξία Genitalium Viri illibatâ fruentes valetudine ac ſatis robuſti & toroſi querelas ad nos detulerunt; hiſque menſibus deſiderio prolis fervens uxor nonneminis marito tergiverſanti aut verecundanti conſilium & opem petit. Cauſam hujus ἀδυναμίας tum in hoc caſu, tum in aliis ſimilibus quæſivimus antehac ſemper vel in pene patratore, vel in inopiâ, aut inertia liquoris genitalis, & hanc quidem per alimenta commoda ſublevare & corrigere, membro autem naturale robur ac tonum per tonica, nonnunquam etiam externa irritantia acriora reſtituere conati ſumus. Et certe utrumque hoc ſæpiuſculè non ſine ſucceſſu tentavimus & perfecimus, cum revera vitium aliquod vel in verpo hæreret, iſque ſpaſmo aut alio morbo correptus eſſet, vel ſeminis penuriâ laboraret. At verò in his noſtris ſeminis defectus prætexi non poſſe videtur, in tanta ſcilicet abundantiâ ſeri laudabilis ac ſanguinis ſpirituoſi, quæ in hominibus ejuſmodi athleticâ corporis ſanitate fruentibus, & lautè & opiparè viventibus in oculos incurrit. Nec vitium reperitur evidens in nervo, imò, quod magis eſt, ne in juventute quidem illum libidine ineptum reddiderunt, nunquam partes illas doluerunt, multò minus Gonorrhœâ laborarunt, & in rei hujus fidem ipſum Deum teſtem invocaverunt; & tamen lorum in aquâ, quando munus mariti obeundum. Res illa multoties nos habuit ſolicitos. Curioſè itaque inveſtigavimus, an eſſet quippiam in Conjugibus, quod averſarentur eosque à coitu alienos redderet. Nam notum eſt, ex confeſſione quotidianâ quorundam maritorum, quam ingrata iis ſit cohabitatio

Impotentia in quibuſdam viris robuſtis.

cum uxoribus, quæ munditiei non ſtudent, quarumque anima olet. At in uxoribus Virorum, quos noſtris, dum hæc ſcribimus, oculis obverſantes habemus, profectò ſatis formoſis, nihil eſt, quod faſtidii quippiam parere poſſit. Placuit etiam indagare, an rixoſæ eſſent, an aliquid contingeret eorum in thoro, quæ Alex. Benedictus *lib.* 24. *Pract. ſ. c.* 26. his verbis ſubindicat: *Scimus quoſdam, cum in venere conjugali eſſent promptiores, facta inter eos de re triſti mentione, ita ab opere imperfecto ſolicitos deſurgere, ut velut intermortuum langueret membrum genitale. Quoſdam in coitu ſordidum auditum verbum de venereo diverticulo deturbat, alios verecundia tenet, nonnullos metus ipſe.* Excuſſimus etiam ad minimum uſque pulviſculum reliquas circumſtantias, ſed nihil quicquam colligere ex omnibus illis potuimus, quod faceret ad validorum ac ſanorum virorum in ætate virili conſtitutorum ſegnitiem niſi mavis impotentiam in opere maritali illuſtrandam. Itaque admiratione profectò dignum eſt, & aliquibus vix veroſimile videbitur, reperiri tales viros, qui præſenti ſemine à quo totum corpus & partes genitales primos ad erectionem ſtimulos perſentiunt, qui præſenti fluido illo nerveo cujuscunque demum indolis ſit, qui liberè affluenti ad penem ſanguine arterioſo, illæſis membri muſculis & rectè conſtitutis omnibus inepti ſint ad formoſarum blandientium ac oculos irritantium uxorum deſideriis ſatisfaciendum! Si dixeris naturam in hujusmodi corporibus nimium eſſe intentam nutritionis œconomiæ, functionibus autem individui propagationi inſervientibus minorem impendere curam eaſque quaſi negligere; redargueris inde, quod genitali latice, teſte experientiâ, non hi viri deſtituantur, hinc verò neceſſariò fluit, quòd alimenta euchyma & ad multiplicandum ſemen aptiſſima, non omnia in nutrimentum convertantur, ſed omninò etiam ex ſubſtantiâ ſanguineâ purior & ſelecta ejus pars glutinoſa ac ſpirituoſa ſeparetur & à vaſorum ſeminalium poris excipiatur, ac exaltetur. Conſideravimus etiam ea, quæ de amplitudine & anguſtiâ arteriarum ſpermaticarum vulgò docentur, quorum ſumma hæc eſt, quod nimirum illi, quibus arteriæ ſpermaticæ ampliores, aut plures quàm ordinariò ſit, obtigerunt (nam notum eſt, quod triplo majores aliquando in mortuis repertæ ſint, & quatuor ejuſmodi arterias in virgine obſervârit Kerkring *ſpicileg. Anat. obſ.* 32.) ad venerea ſint aptiores, ineptiores verò, qui hæc vaſa anguſta habent, ex quibus inferri non nullis poſſe videtur, in anguſtiâ horum vaſorum, aut certè in arctiori textura pororum & meatuum teſticuli latere cauſam hujus impotentiæ. At verò jam ante diximus, noſtros, de quibus nobis ſermo eſt, non laborare ſeminis penuriâ, adeoque neceſſarium eſt, ut materia ſeminis per hæc vaſa inſufficienti copiâ adducatur, ac etiam in poris memoratis ſeparetur, quamvis cæteroquin non inficiemur, amplitudinem ac pluralitatem arteriarum ſpermaticarum ſalacitatem augere poſſe. Ferè coincidit cum dictis, quod nuper à non nemine nobis reſponſum fuit, in illis viris præ mole corporis & pinguedine vaſa omnia fieri anguſtiora, ac

ſemen

ſemen ſupprimi, prout in ſucculentis nutricibus lac, obſervante jam tum Hippocrate, ſupprimi ſolet; enimverò refragatur quotidiana experientia; nos abundè convincens, quód alii obeſi ſtrenuè apud uxores ſuas mereri poſſint, ac in ejaculatione ſeminis cum aliis paria faciant. Henricus VIII. Angliæ Rex *multi ſucci abdomine adeò gravis ac ſegnis evaſerat ſanguine in pinguedinem verſo, ut vix per oſtia ingredi, ac neque ſcalas poſſet conſcendere, ſed in cathedrâ poſitus machinis in ſuperiora ædium ſubveheretur*, ut ſcribit Thuanus *lib.* 3. *Hiſtoriar. ad ann.* 1547. *p. m.* 84. & 85. Verùm omnes hiſtorici contemporanei uno ore fatentur, quòd *in voluptates ſolutior fuerit*, ſexies nuptias celebrârit, prolem ſuſceperit &c. Liberè itaque profitemur, nos ignorare quidnam illud ſit, quod principium corporis movens in iſtiuſmodi viris avertat, quò minùs ſemen jam à ſanguine ſeparatum ad generationis opus debitè applicetur. Uxores ad faſcinationem recurrunt, in quo conſanguineas ſuas facilè habent conſentientes. Nos utut cum Borello pro imaginario malo ligaturas illas minimè habeamus, non tamen ad illas recurrimus, quando nullum veneficii ejuſmodi veſtigium cernitur, ut hîc fit, quoniam nec muſculi, nec quicquam, quod ad erectionem virgæ requiritur, ullô modo debilitatum, aut immutatum in noſtris deprehenditur. Viguit, vigetque adhuc hodiè tum alibi, tum apud nos opinio, quòd ſectio venarum poſt aures, applicatio hirudinum frequens in odontalgiis abhinc aliquot annis Vratislaviæ remedium, faciat ſteriles & ad venerem ignavos, traditione ab Hippocrate ad noſtra uſque tempora hâc de re fideliter propagata. Nicolaus Henelius, qui ſuperiori ſeculo inter eruditos Sileſiæ primum facilè obtinuit locum, in docto variarum obſervationum opere, quod *otium Vratislavienſe* inſcribit *c.* 17. *p.* 133. laudat ſpecialem illam rationem, quæ à non nemine reddita eſt, cur furibus ac aliis auricula altera vel utraque præſecetur, ratio verò iſta hæc eſt, *quod auribus vena quædam promineat, quæ γόνιμον contineat ſperma, cujus venæ abſciſſione procreationis vis ſeu ſemen prolificum ſubmoveatur, ne ejuſmodi peſſimorum hominum poſteritas ulla relinquatur, quod fieret, ſi liberos generarent.* Hanc rationem confirmare nititur, ita ſcribens: idque *non de nihilo eſſe, exinde apparet, quod Medicorum etiam filii Hippocrat. autoritate confirment, venis poſt aurem ſectis homines fieri infœcundos, ad venerem ignavos, & impotentes: ideò nimirum, quòd vel hujuſmodi venarum ſectio principem illam partem, ac ſeminis primum opificem promptiſſimè & inſigniter refrigeret, vel quòd plurima genituræ pars à capite juxta aures in ſpinalem medullam procedat, cicatrice autem per ſectionem inductâ meatus iſte ſive tranſitus dureſcat claudaturque:* quæ ex Zachiâ & Langio mutuatus eſt. Huic doctiſſimorum Virorum aſſerto multiplicem & ferè quotidianam noſtram experientiam opponere poſſumus, quæ & milites aure privatos, ac fures ſceleratoſque alios eô ſupplicii genere ac hâc deformitate corporis ſceleris atrocitatem denunciantes, nec non eos, quibus à balneatore quodam vena poſt aures aperta, aut

ab hirudinibus admorſa fuit, minimè propterea fuiſſe factos infœcundos, docet. Ut nihil jam dicamus de pervulgato illo in atrophiâ remedio, quod plebs noſtra vocat *den Rœthe-Kuchen ſchneiden*: Unde tamen nulli familiæ adhuc inviſa fuit inducta ſterilitas. Juveni Coptho apud Proſper. Alpin. *lib.* 2, *de Medicin. Ægyptior. c.* 10. maxima ſanguinis copia per eas venas fuit detracta, unde in ſomnum per tres dies delapſus eſt, ſed ab eô expergefactus ac convaleſcens, uxore ductâ, liberos procreavit.

Cardialgia. Inter magnates ac plebejos quidam ex abuſu lactucæ, cucumerum, melonum, fructuum horræorum &c. incautâ refrigeratione opprimebantur dolore orificiorum ventriculi. Sedes atrociſſimi cruciatûs erat vel in fine pectoris, ubi ſterno adhæret mucronata cartilago, vel in ſpina dorſi circa undecimam vel duodecimam thoracis vertebram. Jam notum eſt, quod dextrum orificium, ſeu pylorus medio hypochondriorum ſpatio aſſurgens ſub mucronatâ cartilagine ſitum ſuum adipiſcatur eâ ipsâ in parte, ubi vulgò dicimus eſſe ſcrobiculum cordis, ſiniſtrum verò in eâ quam deſignavimus thoracis regione, diaphragma penetret ac ſpinæ adſitum ſit! Deſcribebant verò hunc ſuum dolorem tanquam tenſivum & compreſſivum, nonnulli quaſi cingulô ſeſe conſtringi ajebant, quibus paraphraſibus ſine omni dubio ſpaſmodicum orificiorum motum exprimere ſatagunt. Nam ſpaſmorum in œſophago & ventriculo præſentiam ſatis arguebant & impedita inter dolorum faces, deglutitio, & tanta conſtrictio, ut poſt pauca quædam aſſumpta ventriculus nihil admitteret, quæque ingeſta fuerant, cum ineffabili anxietate, anguſtiâ ac preſſionis ſenſu ferret. Ructus dolorem leniebant. Idem malum à bile ortum, prout jam Hippocrates Cardiogmum ejuſmodi deſcripſit, ſæpius alio tempore tractavimus. Poſt injecta enemata & ſacculos, antiſpaſmodica cum ſtomachicis ſociata egregiè profuerunt. Propter inſignem efficaciam laudare poſſumus Tinct. rubram, quæ autorem habet notum Medicis nomen C. Bontekoe. Conſtat illa ex ⊖ tartari & ⦶ fl. 🜍 pulveriſ. & deton. in crucibulo; huic ⊖i affunduntur 🜄 menth. vel aliæ pro lubitu, poſt ſolutionem & filtrationem adduntur nonnulla aromata atque ſemina carminativa. Superatis aut mitigatis doloribus exhibuimus, quæ materiam morbificam lentore ſuo orificiis ventriculi adhærentem inciderent ac attenuarent, ut evacuatio cum euphoriâ tantò facilius ſuſcipi poſſet. His factis ventriculum roboravimus, inter roborantia autem præcipuô locô commendavimus Tinct. vitriol. ♂t. tartariſ. D. Ludovic. ritè paratam, eamque in aqua Cinamom. propinavimus. Nec utilitate caruerunt ſtomachica amara e. g. Eſſ. abſynth. c. D. Wed. Eſſ. anticacheст. Pont. &c. Vinum, cui chamomilla fuit infuſa, cum inſigni fructu quidam hauſerunt. Non paucos reperias, qui commiſsô quôdam errore in cibis ante commemoratis aut aliis viſcidis ac duræ digeſtionis, nec non cereviſiâ fœculentâ in immanes hoſce cruciatus relabuntur; quod ne fieret, auctores eis fuimus,

ut

ut ad avertendum malum ſubitò poſt ejuſmodi erratum gr. X. piperis deglutirent. Nec ſinapi laude ſuâ defraudandum eſt, rectè hoc etiam nomine à Paracelſo commendatum; ac negari nequit, quin & egregiè fermentationem promoveat viſcidumque reſolvat. In his ſimplicibus non pauci, qui noſtris conſiliis obtemperaverunt, majorem eſſe efficaciam deprehenderunt, quàm in Eſſentiis carminativis, vulgò cognitis, in Eſſ. caſtorei, aut miſturâ, quæ per aliquot annos ſtrepitum excitavit, ex Elix. Propr. P. ſ. acid. Eſſ. jamjam nominatâ caſtor. & ~ ⊖xci aniſ. quam ſævitiam Cardialgiæ experti quotidiè bis integro ferè luſtro uſurparunt.

Paulò infrequentior eſt affectus, Urinæ ſuppreſſio; non defuerunt tamen exempla, ac hôc ipſo anno alicui illuſtri matronæ eadem lethalis fuit. Quotieſcunque verò ad ægrum ſuppreſſione urinæ laborantem vocati fuimus, prima ſemper fuit cura, indagare, an urina verè à ſanguine & ſero ſeparata ſit, & ubi nobis eâ de re ex certis ſignis conſtitit, ſedulò inquiſivimus, an in renibus, an in ureteribus, aut tandem in veſicâ vel urethrâ cauſa ſuppreſſionis lateret? Aliquantò rarius contingit, ut partes heterogeneæ in ſanguine ac ſero ita implicitæ & permiſtæ ſint, quò minus urina inde per poros & canaliculos renum, pelvis cavitatem ſpectantes, ſecerni queat, quâ de re Williſius *in pharmac. ration.* conſulendus, aut ſerum ſolitò copioſius per alia corporis loca effluat. Illud autem crebrius uſu venit, ut pori, per quos urina tranſcolari debet in renibus, reddantur anguſtiores modò *ab obſtruentibus*, ſanguine ſcilicet coagulato, pure, pituitâ, calculis, modò *à comprimentibus*, inflammatione, tumoribus ſcirrhoſis ac aliis &c. modò autem *à conſtringentibus* in refrigeratione *regionis lumbaris* &c. In his caſibus propemodum unicè ægri conqueruntur de dolore fixo & gravatico circa renes, ſpinamque dorſi ſummâ cum difficultate flectunt, urget etiam interdum vomitus. Acutiſſimi verò & pungentes dolores premunt cum vomitu & ſtupore cruris, quando vitium ac præſertim calculus in ureteribus deprehenditur. Non minoribus moleſtiis miſeri exagitantur, quando ſuppreſſio urinæ naſcitur ex tumore circa ureterum in veſicam ingreſſum. Convulſis verò & ſpaſmodicè conſtrictis ureterum fibris muſculoſis propulſioni urinæ ſine dubio inſervientibus, urinæ ſuppreſſio ubique ſequitur, ſed non tot ſtipata ſymptomatibus. Veſicæ tunicâ exteriori ſeu muſculosâ paralyſi affectâ fibræ ſeſe contrahere, expulſionemque urinæ moliri nequeunt, & tùm veſica ſine dolore ullô tumet. Paralyſis videtur eſſe, cur in morituris quibuſdam, aliis longius, aliis autem brevius ante mortem urinæ fluxus inhibeatur. Tycho de Brahe, quem Rudolphus Imperator maximis præmiis ex Daniâ in Bohemiam invitârat, & copioſè lauteque habuerat, teſte Balbino *lib. 7. ſect. 6. c. 3. Miſcell. hiſtor. p. 255. Urinæ ſuppreſſione è retentione illius in convivio Roſenbergiano verecunda ac juſto diuturniori orta, febrique & delirio comitata die 24. Oct. A. 1601. ætatis 55. cum bonorum*

Urinæ ſuppreſſio.

omnium

omnium luctu obiit: ut ſcribit Clariſſ. Vir Johannes Mollerus *in hypomnemat. ad Alb. Bartholini librum de ſcriptis Danorum p.* 453. *ſeq.* Credibile eſt, per detentionem urinæ longiorem non ſaltem veſicam ita diſtendi, ut amplius ea contrahi nequeat, ſed & figuram ejus in rotundam mutari, ac majorem verſus orificium conſtrictionem oriri, quod genus ſuppreſſionis urinæ periculô non caret, ut rectè judicat Hildanus *de lithotom. veſic. c.* 3. & Panarolus Pentecoſt. *I. obſ.* 25. Manifeſtior eſt Iſchuriæ cauſa, quando veſicæ cervix aut urethra huic continua calculo in adultis, in recens verò natis concretâ pituitâ obſtruitur, quo pacto iterum urinæ fluxus intercipitur. Cicatrices urethræ à gonorrhœâ virulentâ eroſæ ac exulceratæ (quas vulgus Chirurgorum pro carunculis habet) urinæ fluxum remorantur. Malum hoc apud nos eſt, proh dolor! vulgatiſſimum. Per DEI gratiam verò Iſchuriæ à venenis nobis prorſus ſunt incognitæ. Nec viſi nobis, qui culpâ vermium in urinæ detentionem inciderint. Quantamcunque verò adhibuerimus diligentiam, nondum tamen nobis innotuit, utrum muſculi abdominis, quorum efficaciam in promovendis excrementis infimi ventris minimè in dubium vocamus, quomodocunque læſi ſuppreſſionis urinæ auctores eſſe poſſint, cæteroquin non ignari, quod ex tumoribus eorundem urinæ ſuppreſſionem conſequi poſſe ſuſpicatus ſit Hildanus. In curâ nos ita geſſimus. Poſtquam immiſſo cereô aut cathetere conſtitit, in urethrâ aut orificio veſicæ impedimentum eſſe, quò minus urina effluere poſſet, ejus remotioni ſtuduimus. In cicatricibus, aut vulgò ita dictis excreſcentiis prorsùs catheterum uſus eſt eximius. Novimus, qui in ſummis anguſtiis conſtituti, immiſſo cathetere, illicò à metu convulſionum & mortis liberati fuerunt, apertâ ſcilicet urinæ viâ inſtrumenti hujus beneficio. Remotio verò cicatricum iſtarum aliam ac operoſiorem requirit curam. In tenellulis, quibus pituitæ culpâ in veſicæ orificio aut urethrâ lotium detinetur, vel ſola optimè ſeſe gerunt cataplaſmata ex radice alth. fol. malv. fl. chamom. ſem. lini, fœnugr. bacc. laur. &c. compoſita, ut & ſacculi in adultioribus, quorum unus pectini, alter perinæo imponitur. Sæpè voto reſpondit parietaria oleo frixa, calideque appoſita, vel cum cepis in formam cataplaſmatis redacta. Sulphur lycopodii cum ocul. 69. percar. ac cinnab. nat. egregiè, quomodocunque tandem illud fiat, conducit. Proſunt etiam ſacculi in ſuppreſſione urinæ à diuturniori ejus retentione, ſed manûs calidæ miniſterium accedat neceſſe ad leniſſimè comprimendam veſicam. Summa Balneorum utilitas hoc in caſu eſt. In Iſchuriâ à calculo majori in veſicâ hærente, exiguus eſt, quem medicamenta reſolventia præſtant, effectus. Chirurgico auxilio opus; & reverà non pauci ante biennium calculo veſicæ per cyſtotomiam ab operatore peregrino celebratam liberati fuerunt. Modus operandi ejus per omnia, ut obiter hoc addamus, convenit cum illo, quem famoſus frater Jacobus ſub finem præterlapſi ſeculi in Gallia exercuit, nimirum, teſte Dionis *p.* 169. (verba ejus adſcribimus, quod modum circumcellionis iſtius deſcribere ſit

noſtri

noſtri operatoris rationem ac methodum adumbrare) *Il introduit dans la verge une ſonde graiſſée, qui n'eſt point canelée, dont le bout luy ſert à pouſſer de la main gauche en déhors l'endroit de la veſſie où il doit faire ſon ouverture; puis prenant de ſa main droite un biſtouri long fait en forme de poignard, il le plonge proche la pointe de la feſſe gauche deux doigts loin du perinée, & le pouſſant droit vers la region de la veſſie, il l'ouvre dans ſon corps le plus près de ſon col qu'il le peut: il ne retire point le biſtouri, qu'il ne l'ait ouverte autant que le demande la groſſeur de la pierre. Il ſe ſert d'un conducteur pour conduire la tenette, qui eſt à peu près ſemblable aux nôtres; & ſouvent, avant que d'introduire cet inſtrument, il examine avec ſon doigt fourré dans la playe, l'endroit ou peut être la pierre. Quand elle eſt chargée, il la tire promptement & rudement, ne reflechiſſant nullement ſur les mauvaiſes ſuites que peuvent avoir les violences qu'il fait pour l'extraire, &c.* Confer. celeberr. Mery *Obſervations ſur la maniere de tailler dans les deux ſexes pour l'extraction de la pierre, pratiquée par Frere Jacques.* Dolendum verò eſt, quod non ſemper idonei adſint lithotomi, imò apud nos tanta eorum raritas, quanta fuit ſub initium ſeculi 16. Lutetiæ Pariſ. ubi ne unus quidem inveniebatur, qui hanc operationem aggredi auſus eſſet, quæ res Facultati Medicæ anſam dedit, ut ad Senatum ſupremum (Parlamentum vocant) recurrerent, & ab illo hominem calculo veſicæ laborantem ac propter crimina morti adjudicatum in id expeterent, ut in eo cyſtotomia tentari poſſet. Indulgentem Facultas habuit ſenatum, miſerque ille fortunam propitiam, nam & à morte & calculo feliciter eſt liberatus ex relatione Mery *lib. citat. p.* 3. Si noſtri illi, qui pro more ante tot ſecula recepto, munus externas adminiſtrandi operationes ſibi ſolis vendicant, Hippocratem evolviſſent, crederemus religione juramenti illos prohiberi, quò minus manus ſuas huic noſtro operi admoveant, nam ſuos Hippocrates voluit dicere ſacramentum, quod lythotomiam manibus ſuis celebrare nollent. Non approbavit ſeſe nobis per omnia modus operandi hujus Empyrici; nihilominus fatendum eſt, quòd non pauci ab intolerabili cruciatu fuerint ita ſublevati, ut per biennium integrum negotiis ſuis vacare potuerint, ſicut quondam doctiſſimus Hippocratis interpres Johannes Martin, Medicus Pariſienſis ferri beneficio à tortore calculo liberatus, priſtinum ægros viſendi vitæ inſtitutum repetiit, quemadmodum in *elogio Martini* narrat Petrus Seguyn. Memori autem in pectore ſemper habuimus egregium monitum Celſi *lib.* 7. *de Medic. c.* 26. *p. m.* 475. de hac veſicæ inciſione agentis: *Ad hanc curationem feſtinare*, inquit, *cum præceps ſit, nullo modo convenit. Ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiendum eſt: ſed ſolo vere, in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſit, & ſi tantum mali ſubeſt, ut neque medicamentis vinci poſſit, neque etiam trahi poſſe videatur, quo minus interpoſito aliquo ſpatio interimat &c.* & rurſus: *Ubi ultima experiri ſtatutum eſt, ante aliquot diebus victu corpus præ-*

 paran-

parandum eſt, ut modicos, ut ſalubres cibos, ut minimè glutinoſos aſſumat. Ambulandi vero inter hæc exercitatione utatur, quo magis calculus ad veſicæ cervicem deſcendat, &c. Hæc omnia, ſi ea quæ de ætate habet, exceperis, ut & utiliſſima præcepta Hildani in egregio libro *de Lythotom.* obſervavimus. In paralyſi veſicæ, præſertim ſi illa comitata ſit reſolutione inferiorum corporis partium, quicquid etiam ſuſceperis, fruſtra te laboraſſe comperies. Cùm calculus in ureteribus hærens Iſchuriæ cauſa fuit, initio quidem membranaceas partes ſpaſmodicè conſtrictas, exhibito oleo amygd dul. aliisque relaxare ac emollire conati ſumus, ac ſopito dolore deinde ſubjunximus ea, quæ calculum modeſte pellunt, id quod etiam factum, ubi concretum ſabuloſum adhuc renibus impactum eſt. A calidis pellentibus ol. ſuccin. juniper. balſamo Sulphuris terebinthinato, ⌒ terebinth. abſtinuimus. Nec impetrare à nobis potuimus, ut Tinct. cantharidum, quæ ab empyricis quibusdam clanculum his, illis obtrudi, tanquam divinum aliquod remedium ab aliquo tempore cœpit, præſcriberemus. Non major apud nos honos eſt Tincturæ calcis vivæ aliisque cauſticis pellentibus. Cum circumſpecta ſolicitudine ⌒ minerales acidos ægris dedimus, uſu edocti, quod exulceratis renibus noxii ſint; quinimò etiam in periculo ejusmodi corruptionis renum ne quidem pulveres ſalinos ex arcan. dupl. ⦶ depur. terr. fol. tartari &c. quibus alias frequenter utimur, offerre auſi ſumus. Spiritus acidos, ſi quando adhibuimus, in refracta doſi id fecimus. Erat hocce tempore nobis in uſu ferè ejusmodi formula:

℞ ∇ heder. terreſt.
asparag.
fragor.
petroſel. aa. ℥jjj.
Dœring. c. calcul. ℥jß
ſyr. de alth. Fern. ʒx.
⌒ fragor. ʒjß
⊖ dul. ℈ß M. f. Pot.

ut & pulvis ſequens:

℞. ſem. alth.
violar.
lithoſper.
rad. glycyrrh.
lap. judaic.
ſpong. recent. quæ roſis adnaſcitur.
oſſ. dactylor.
meſpil. aa. q. v.

Quem

Quem in pellendo calculo & urina non inefficacem aliquoties experti ſumus. Verùm de his agere non eſt hujus loci. Illud in Ephemeridibus meis annotatum invenio, quod artifici cuidam pulvis ex fol. geniſtæ ʒj. nucleor. ceraſ. perſic. aa. No. vj. in vino auſtriaco exhibitus in Iſchuriâ à calculo ſæpe recurrente unicè profuerit. Egenos juſſimus tunicar. ex cœpis Mß in cereviſia tenui coquere & ſuccin. albi pulveriſati ʒj. addere ac calidè bibere, quod multoties cum præſentaneo ab eis factum eſt effectu. Meminimus laudibus in cœlum usque elatum fuiſſe hisce diebus pulverem Cardiluccii contra calculum & Iſchuriam. Iſte verò ſequens eſt, ut ille, qui multa ejus notitiam redemit pecunia, nobis communicavit:

℞. ſem. 4. frigid. maj. excort.
papav. alb.
milii ☉is aa. ʒj.
c. ▽ ſaxifrag. & petroſel. fiat Emulſio,
cui exſiccatæ adde:
ſpec. diatragac. frig.
ſem. meſpil.
cynosbat. tro-
chiſc. halicacab. ca-
rab. aa. ʒj.
millep. c. liqu. alcaheſt. Glaub. conſperſ. ℈jj.
rad. pimpinell. pp.
tartar. vegetab. ſive ſem. lycopod.
⊖ ononid. aa. ʒß.
ſacch. albiſſ. ℥jj. M. f. pulv. ſubtiliſſ.
cujus doſis eſt ʒj.

Ecce ſecretum hecatombe dignum. In Iſchuriâ ab inflammatione eximiam affert utilitatem V. S. mature celebrata & emulſiones, quibus ocul. ♋. ppt. lap. percarum adduntur. Cæterum in omni urinæ ſuppreſſione expedit, ut alvus ſit libera, atque hinc nemini non nota commendatio clyſterum, quæ non tantum fæces educunt, ſed & propter ſitum inteſtini recti vices fomenti ſubeunt. Quæritur verò, num etiam purgationes conveniant? Celeberrimus aliquis Medicus eas non ita ſimpliciter admittendas eſſe cenſet. *Quidam*, pergit, *Caſſiam hoc in affectu valde commendant, & animam quoque renum vocant, & pro ſingulari remedio extollunt, alii verò eam urinam ciere & acrem quoque reddere re ipſa ſe comperiſſe putant, ideoque haud commodè in Iſchuria imprimis legitima adhiberi arbitrantur*, qua de re videri poteſt Clariſſ. Petrus Pigræus *lib.* 7. *c.* 4. *it.* Fabr. Hildanus *Cent.* I. *Epiſt.* 34. & 35. & tandem doctiſſimus vir ita concludit: *Loco itaque purgationis tutius & commodius clyſteres, quoties opus erit, adhiberi poterunt.* Enim verò Collega

 noſter

noſter D. Pauli obſervavit, quòd in obſtructione urinæ diuturniori, & tantâ quidem, ut muſculoſus corporis habitus in tumorem œdematoſum jam elevaretur, nephritica cum laxantibus maritata, ac copiosè per aliquot dies ingeſta, opem unicè tulerint: Et certè experientiâ convicti ſumus, quòd laxantia tùm quidem proſint, quando vel maſſa humorum heterogeneis partibus ita abundat, ut ſecretio urinæ nulla fieri poſſit, vel ſerum ad alia corporis emunctoria copioſius affluit, ac ibidem ſtagnat. In aliis verò caſibus purgantia potius damno eſſe, quam emolumento, ſumus quam perſuaſiſſimi. Eorum tamen morem laudamus, qui ſublata urinæ ſuppreſſione laxans accipiunt, quod illuſtri cuidam Polono, crebrius urinæ detentione afflicto, in uſu erat. Ferè exciderat, quòd in egenis poſt lapſum urinæ ſuppreſſionem viderimus; hanc verò à thrombo ſeu grumo ſanguinis derivavimus. Multum ſolatii ſunt experti miſeri ex pulv. ad caſum D. Ludov. ocul. 69 ♄ diaph. & ſperm. ceti, ut & miſtura ex eſſent. pimpinell. hyper. agrimon. unguento carminativ. Auguſt. externè illito, quod in caſu ab alto planè egregium eſt. Cæterum, quando in renibus calculus grandior, quam ut per ureteres in veſicam deſcendere poſſit, urinam ſupprimit, antiquis etiam in uſu fuit alia manualis operatio ac inciſio, nobis hodie ignota, quâ lapidem hunc, ad quem urinæ fluxus allidebatur, removerunt. Meminit ejus Hippocrates, ſed quia locus ille nobis non incidit, ſiſtimus teſtem prælaudatum jam ante Anatomicum & Chirurgum J. Mery *in libro citato* ita ſcribentem: *On trouve auſſi dans le même Hippocrate, que l'on pratiquoit encore une autre operation de la taille, par laquelle on tiroit la pierre du rein. Mais ſoit qu'Hippocrate n'ait point décrit ces operations, ſoit que les ayant décrites, elles ne ſoient pas venues jusques à nous, non plus, que pluſieurs autres de ſes ouvrages, nous n'avons aucune connoiſſance de la méthode, dont on ſe ſervoit de ſon temps &c.*

Volvulus. Per trimeſtre hoc ſpatium volvuli exemplum in fœmina, quæ per totam vitam, quantum meminerat, alvo fuerat tardiori, conſpeximus. De vago, ſed exquiſitiſſimo dolore circa umbilicum conquerebatur, & ob cruciatus acerbitatem mortem crebrò expetebat, quod de aliis Iliacis jam olim notavit Aretæus *lib. 2. de curatione acut. c. 5.* Præterea fixum eumque acutiſſimum dolorem in inguine dextro ſenſit, de quo acerbiſſimè etiam olim querebatur juvenis, qui poſt lac & vinum copiosè hauſtum, ac lactucam exæſtuante corpore eodem die ingeſtam in paſſionem iliacam inciderat. Hæc verò doloris ſedes confirmare videtur eorum ſententiam, qui partem affectam ſtatuunt eſſe ileon, aut potius finem ilei. Et certè ileon ita conformatum eſt, ut in ejus anfractibus excrementa craſſa immorari queant, meatus quoque in fine anguſtior, quam in aliis locis, & ſi Hildanum audiamus *Cent. 1. obſerv. 61.* facilè in conſenſum trahit valvulam coli, eamque conſtringit, quo ipſo tranſitus excrementorum omnino prohibetur. Itaque in ea ſumus ſententia, quod, quotiescunque *à fœcibus indu-*

induratis ab aſſumptis aut deglutitis chordapſus oritur, ileon, aut potius ilei finis maximè omnium afficiatur, ac πρῶτον δεκτικὸν ſit hujus mali. Si verò aliundè volvulus oriatur v. g. *à compreſſione & ſtrangulatione inteſtinorum* in herniis, quamvis & tum potiſſimum ileon affici notum ſit, *à vicinarum partium tumoribus*, e. g. *à pancreate ſcirrhoſo* apud Kerkring. *obſ.* 42. *à tumore meſenterii* apud Hildanum *Cent.* 1. *obſ.* 51. & *ani* apud Tulpium *lib.* 3. *obſ.* 10. *à coaleſcentia inteſtinorum poſt eorundem exulcerationes & eroſiones* apud Barthol. *Cent.* 6. *H. A. obſ.* 38. non ibimus inficias, quòd primus mali fomes etiam in aliis inteſtinis deliteſcere ſæpè ſoleat. Hinc fortè motus Hippocrates inteſtinum expreſſe non determinavit, & ſi ad deſcriptionem ejus attendere voluerimus, ſufficienter liquebit, illum in ea fuiſſe ſententia verſatum, quod præcipuè colon in noſtro morbo afficiatur. In hiſtoria mulieris ilioſæ *lib.* 3. *epid. æg.* 9. *labores ſeu dolores*, inquit, *circa hypochondria aderant, qui in inferioribus ſecundum ventrem locis cum torminibus aſſiduis urgebant.* Notum verò ſatis eſt, quòd ſub nomine hypochondriorum regionem epigaſtrii pariter comprehendat Hippocrates, adeoque hac ſua deſcriptione indicet, maximè omnium pati colon, utpotè quod hypochondriorum & epigaſtrii regionem non exiguam occupat. Conf. Hippocrat. *lib.* 3. *de morb. ſect.* 5. Sed nos ad noſtram ægram revertamur. Admodum inquieta erat & crebrô ſeſe jactabat, quod etiam aliis iliacis familiare, adeò, ut Cœlius Aurelianus hoc malum arbitretur dici volvulum, quòd, quos iſtud exagitat, præ doloris vehementia convolvantur, nec quieſcere poſſint. Manifeſta quarto morbi die inflammatoriæ febris aderant indicia. Nos præmiſſis ſine effectu clyſteribus, fomentis, linimentis & cataplaſmatibus venæ ſectionem urgebamus, ſed ad illam planè ægra ſeſe perſuaderi non patiebatur. Ad inflammationem itaque tollendam, & dolores leniendos converſi ſumus; ſed fruſtra laboravimus; cum per biduum artis præſidia nullum ei levamen attuliſſent, ab iis abſtinere decrevit. Circa veſperam diei ſexti vomitus enormes ſuperveniebant, ac negato per tot dies per inferiora fœcibus exitu, per os ſtercora ejiciebantur, motu periſtaltico inteſtinorum inverſo. Inter mille tormenta ferè deficienti ac per tres dies variis vomitibus fatigatæ ſingultus accedens, cum incredibili æſtu ventriculi ſpem faciebat, brevi adfuturam mortem tot votis deſideratam, quam imperterrito animo exſpectavit, fortior Calano Philoſopho ex Gymnoſophiſtis Indis, qui vel ex faſtu, vel præ doloris colici vehementia in pyram ſeſe conjecit & combuſſit, ut narratur, non tamen ſine notabili circumſtantiarum differentia à Diodoro Siculo, Curtio *lib.* 10. Arriano *lib.* 7. Valerio Maximo *lib.* 1. & Strabone aliisque. Ante mortem alvus ſoluta quidem eſt, ſed ſudor gelidus, frigus extremorum ultimam inſtare horam nunciabant, quæ etiam brevi poſt ſecuta eſt. In alia notavimus fœminâ iliacâ biduò ante mortem ſedes nigras ſpontè erupiſſe, quod nobis ſigno fuit inteſtini ſphacelati, nam inflammationem inteſtinorum in gangræ-

nam & ſphacelum ſubindè in hoc morbo abire, non tantum Sylvius, ſed & alii teſtantur, & experientia convincit, niſi forte volueris ejusmodi dejectiones à ſuppuratione inteſtinorum deducere, quò quidem reſpexiſſe videtur Aretæus, ſcribens: *lib. 2. acut. c. 6. Multi quidem vi tormentorum repentè intereunt: aliis inteſtinum ſuppurat, deinde nigricans, tunc & putrefactum excidit, atque ita deficiunt.* Pauperibus quibusdam pulverem Joelis magnæ fidei ac experientiæ practici, ſæpè iterumque juſto tempore datum Iliacis profuiſſe ſcimus; iſte mirâ ſimplicitate ſeſe commendat, & componitur ex *flor. luteor. chamæmel. ſem. malvæ* aa. ℈j. exhibetur cum tepido *flor. anethi* decocto. Nec minus nobis notum, quod ex uſu juſculi carnis vitulinæ, in quo malva fuerat cum flor. chamom. decocta, aliquoties repetito, Vir iliacus priſtinam recuperarit ſanitatem.

Caloris & frigoris ſubitanea viciſſitudo.

Nunquam patuit nobis melius, quàm per trimeſtre hoc ſpatium, quantum improviſa ac ſubita mutatio aëris calidi aut tepidi in frigidiuſculum aut quodammodo horridiorem, aut ſiccioris in humidum valeat in concitandis catarrhis, flatibus, dolore ventriculi, diarrhœis, &c. Nam multi moleſtias haſce paſſim experiebantur, tametſi vix unus & alter ſtatim Medicorum ſubſidium imploraret. Inter illos, qui damna perpeſſi ſunt, numerandi opifices, quibus in more poſitum eſt cœlo paulò fervidiori abjecta tunica etiam ſub dio, ſi occaſio ferat, & opificii genius requirat, exantlare labores; hi enim, ſi paulò ſint teneriores, aut honeſtius educati, in moleſtias ante memoratas incidunt, quas tamen diuturna conſuetudo ſatis tolerabiles illis reddit. Hanc aëris vim alii paulò lautioris ſortis in vere evidentius experiuntur, quando juſto citius pelliceas veſtes abjiciunt, & cum aliis levioribus commutant. Profectò non ſemel hac occaſione in febres lapſi ſunt. Omnium maximè *improviſa frigiditate valetudinarii plectuntur, ob organa quædam perſpirationi dicata valdè imbecilla, tenuemque corporis habitum, ut ponderi ſupervacaneo ferendo non ſufficiant, quin aliqua ſenſibilis humorum eruptio vel ſtatim hominem opprimat, vel parti minus ſanæ impacti* (ſcilicet humores) *diu excrucient, &c.* ut obſervavit Liſterus *in Comment. in Sanct. ſtatic. ſect. 2. aphoriſ.* 10. Tanto magis mirandi ſunt Moſci, de quibus hæc notatu digna leguntur *dans la relation de trois ambaſſades de Carlisle p. m.* 47. *qu'ils ſont tellement accoutumés au froid & au chaud, qu'ils entrent de l'extremité de l'un dans l'extremité de l'autre, ſans que ce changement incommode leur ſanté. On y voit de petits enfans ſortir en chemiſe de leurs chambres chaudes l'hyver, & après s'être vautrés quelque temps ſur la neige dans l'extrémité du froid, retourner à un excès de chaleur, ſans que ce changement de qualités contraires leur cauſe de l'alteration, &c.* Plebs in Curlandia aliquâ ex parte ad indolem Moſcorum hac in re accedit, nam poſtquam & hæc in tuguriolis ſuis immodico calore, frictione, ac vapore ex aqua candentibus ſilicibus, ex quibus fornaces eorum parantur, affuſa, ſudores largiſſimos provocavit, illicò frigidiſſima aqua corpus ſuum perfundit

fundit, ac ad labores conſuetos redit. Lepidè deſcribit hunc eorum morem J. A. de Brand in *Itinerario* germanicè per Henninium ſub initium ſeculi hujus edito *p. 76. ſeq.* Plebs, inquimus, in Curlandia hæc citra damnum ſanitatis facit. Alia eſt ratio aliorum; nam quod ſubitaneam aëris calidioris cum frigidiori commutationem non omnes impunè ferant, docet exemplum Nobilis apud Clariſſ. Lentilium in *Miſcell. Med. pract. part.* I. *p.* 213. Is media hyeme, cum hypocauſtum vehementius incaluiſſet, *tunica ſoluta, pectoreque nudato ſubito frigidum aërem ſubiit, ab eoque tempore dolorem ſentire cœpit, adeo debilitato pectore, ut etiam æſtate ardentiſſima opus habuerit illud pulvinari fovere, quod ni feciſſet, ſtatim lancinans dolor omne ſpatium, quo ſternum exporrigitur, occupabat. Nunquam plane dolor ceſſavit, quodſi tamen pectore non probè munito in publicum prodiiſſet, exacerbatur*, referente eodem Lentilio.

Dyſenteria oppidò erat rara, niſi quod eam in aliquibus ex morbillis ægrotanti ſub morbi declinationem obſervaverimus, ſed non niſi fauſtam ac ſalutarem. Dyſenteria.

Primo Octobris die cœlum nubibus obductum erat, ſpirabant venti, ac pluebat. Uno alterove die gratior aër, ſed in ſeptimum usque tum ventis, tum pluviis turbidus erat, ab 8. usquè ad 23. ferè ſemper amœna autumnalis aura nos fovebat. Per reſiduos Menſis dies plerosque nebulæ, venti, pluviæ, aëris ſerenitatem modo magis, modò minus turbabant. In Novembris initio poſt ventum frigidum & pluviam terra pruina & frigore rigebat, at vis frigoris per pluvias & nives usquè ad 9. obtundebatur, quo aura cœpit eſſe verè brumalis. Nondum elapſo octiduo frigus remittebat. Horridior tempeſtas ac ingratior fuit propter continuas nebularum, ventorum, pluviarum, nivium frigoris &c. viciſſitudines, propemodum usque ad menſis finem. Nec lætiores nobis per Decembrem ferè totum illuxerunt dies, imò venti ſubindè magis tumultuabantur, ac frigus modò levius, ut die 10 & 20, modò verò intenſius, ut 17. corpora noſtra continuis aëris mutationibus obnoxia graviter afficiebat. Conſtitutio aëris in Octobr. Novembr. Decembr.

Hoc tempore rurſus catarrhales morbi omnis generis longè frequentiſſimi erant, capitis dolores & odontalgiæ non paucos fatigabant. Hypochondriaci ac ſplenetici à magno ſymptomatum circumagebantur turbine; nonnulli etiam in melancholiam incidebant. Præterea illa, quam deſcripſimus, aëris intemperies peperit cachexias, hydropes, ulcera maligni moris in pedibus, & non paucis, etiam phtiſicis fuit lethalis. Senes, qui alias autumno non malè agunt, vomitibus, diarrhœis, ſtranguriis ac dyſuriis infeſtabantur. Aſthma humorale his illis moleſtum erat. Iſchiades & alii morbi podagrici malè mulctabant alumnos ſuos. Dolores circa ſcapulas moleſtè ac diuturnè exagitabant illos, qui nondum in caſtris Arthriticorum militabant. Ejus generis ægritu- Morbi hujus temporis.

ægritudinem aliis remediis nihil proficientibus hac via ſuſtulit D. Preus: manè laxantia exhibuit, circa noctem verò anodyna propinavit, ac loco dolenti Emplaſt. de melilot. & ſpermat. ranar. mixtum tam felici eventu impoſuit, ut mox halcyonia ſequerentur. Scorbuticorum corpus variis notabatur maculis.

Maculæ Scorbuticæ. Viſa fuit valetudinaria ſex annorum puella in noſocomio ad S. Sepulchrum à D. Preus, cujus exhauſtum corpuſculum creberrimè punctis atris tanquam ſtigmatibus quibusdam diſtinctum fuit. Hæ maculæ evanuerunt multoties, ſecutâ oris hæmorrhagiâ. Narium hæmorrhagiam in lepida puella parentibus hypochondriacis nata febri cum ſcorbuticis maculis laboranti admodum ſalutarem obſervavit D. Pezoldus. Illa, poſtquam ſub vario cœlo, pluvia, nebulis aliquando fœtentibus &c. quotidiè in ſuburbio per lutum non raro ad crura usquè pertingens ſcholam quamvis mephitim olentem frequentaſſet, à meridiè inhorruit, ſubſequente ſummo æſtu citra ſitim, cum ſomnolentia ac ſudore copioſo vires admodum dejicienti. Cum morbus per aliquot dies hac ratione proceſſiſſet, grandes in facie maculæ viridi colore eruperunt; die autem morbi decimo quarto puſtula ex virore livida in medio manus digito cum tumore magno, rubro radiosque in brachium diffundenti effloruit. Comitabantur lancinans capitis & membrorum dolor, acutiſſimæ in hypochondriis puncturæ, agrypnia, deliria, pavores & reſpiratio anxia. Recurritur die ſequenti demum ad Medicum. Iſte exhibet pulv. bezoard. D. W. c. nitro & tantillo camphoræ, & potionem ex Decocto. citri, gelatin. C. C. ſyr. rub. id. & acetoſit. citri, ut & ol. amygd. dul. cum camphor. pro leni deglutitione, externè ex mandato ejus maculis adſperſus eſt pulvis ex farina fabar. flor. ſambuc. myrrh. ceruſſ. & camphora. Nocte, quæ diem hunc excepit, ſudor non adeò effuſus fuit, naturâ moliente narium hæmorrhagiam, quæ etiam ſecuta eſt cum ſummo levamine, nam mox dolores capitis, hypochondriorum punctiones, anxietates & dyſpnœa multum de ferocia remiſerunt, inflammatio pariter in gangrænam tendens fuit diſcuſſa. Effloruere aliæ puſtulæ virides, quæ ſponte ſua apertæ ſaniem ſpiſſam fuderunt, ſucceſſit etiam ophthalmia, fortè quod non ſatis ſanguinis ex naribus ſtillaſſet, quæ tamen & ipſa profligata fuit pulvere ex ♁ diaphor. C. C. ppt. Nitro &c. & collyrio ex ▽ chelidon. maj. roſar. ſacch. ſaturn. & nihil. alb. Tardè puella recuperavit vires, nam ſex ab exantlato morbo ſeptimanæ præterlapſæ ſunt, antequam illæ redirent. Hoc præterea notatu dignum eſt, quod virulentia materiæ in puſtulis frontis tanta fuerit, ut ſupercilia inde eroderentur. Penetrantiſſima camphoræ etiam virtus inde colligi poteſt, quòd ſudor poſt uſum camphoratorum exquiſitè camphoram redoluerit.

Exulceratio renum. Abſceſſus ſeu ulcera renum, unde ſcaturire ſolet mictus mucoſo-purulentus, graviſſimum eſt malum, in uno alterove his menſibus, præcipuè

verò

verò poſthac in adoleſcente illuſtriſſimis progenitoribus ſato, nobis multum peperit laboris ac tædii, ſed parum præmii. Is ab infantia valetudine uſus fuerat cauſariâ, & inter crebros morborum inſultus pueritiâ exceſſerat. Habitus corporis, cum ad eum vocaremur, talis erat, ut credere poſſes, eum eſſe phlegmaticæ conſtitutionis, quamvis ab ortu ſanguinei fuiſſe temperamenti, nobis admodum videretur veroſimile. Laboraverat iſte tum jam per biduum febri vehementiſſimâ, quam ex cenſu inflammatoriarum aut ſuppuratoriarum eſſe, ex pulſu & aliis circumſtantiis augurabamur; iſta, poſt exhibitam cum præcipitantibus emulſionem ſpe citius deſiit, & nos abundè convicit, quòd utiquè ſuppuratio, quam febris ſatis intenſa nonnunquam comitatur, facta fuerit. Itaque ad ſolicitum excretorum examen converſi ſumus. Meruit omnium maximè attentionem urina, quam induſtriè per aliquot dies, imò & ſeptimanas cum aliis phænomenis conſideravimus. Illa ſimulac reddita fuerat, craſſa ac turbida exiſtebat, lactis ſero non abſimilis, & deterrimo odore nares feriebat, tandemque quiete aliquot horarum deponebat ſedimentum viſcidum & cohærens, narium muco non diſpar. Hujus craſſamenti viſcidi ac glutinoſi, quod urinæ permiſtum cum eâ defluebat, magna erat quantitas, & minimè vani fuerimus, ſi aliquot uncias per diem unum fuiſſe excretas, dixerimus. Tametſi verò intra quinque aut ſex horarum ſpatium ad fundum matulæ materia iſta ſubſideret, reliquum tamen urinæ per iſtam ſeparationem non reddebatur clarum, ſed turbida jumentorum lotia imitabatur. Crebrò ad emittendam urinam ſtimulabatur, quô ipſo cum ſomnus ejus interrumperetur, admodum languere cœpit adoleſcens. Cum crebrô illô mictu conjunctus erat lumborum ardor, & dolor ad collum veſicæ. Ante effluxum urinæ de diſtenſione, inflatione ac tumore veſicæ conquerebatur, qui moleſtiæ ſenſus, redditâ urinâ multum minuebatur. Sed hoc permoleſtum ac grave ei accidebat, quòd ubi tantillum urinæ ei eſſet reddendum, ſimul quoque ſtimulum in inteſtino recto ſentiret, & odioſa ejiciendi cupiditate urgeretur. Senſum ardoris quoque in urethrâ & in collo veſicæ percipiebat, quando urina erat excernenda, quamvis non planè ipſam veſicam & ureteres excluderemus, eò quòd continuò mingere æger conaretur, quod nobis indicio erat, per defluxum aliquot ſaltem guttularum urinæ per ureteres, ſtimulum continuum ad excretionem induci. Nos quidem certi ſatis eramus de abſceſſu; nam materiam illam, quæ in urinâ poſt aliquot horas fundum matulæ petebat, eſſe pus, non tantum ex fœtore gravi, ſed & ex eo, quod vitro urinario aquæ tepidæ immiſſô, ſedimentum non ſolveretur, & urina clara non redderetur, quod fieri ſolet, ubi pituita ſola urinæ permiſta eſt. Suſpicio gonorrhœæ virulentæ in adoleſcente valetudine adverſâ per totam vitam preſſo, & ſolicita Ephororum inſpectione educato, locum nullum habebat. Si dixeris, juxta Horatium Augenium, purulentam materiam non ima

 petere,

petere, ſed per urinam fluctuare, reſpondebimus, eam vero conſonam non deprehendi, niſi illud Augenius velit, pus non ſtatim ſubſidere, ſed per urinæ corpus per aliquot horas eſſe diſperſum. Quantitas autem puris nos facilè convincebat, non veſicam, aut ureteres, ſed renes abſceſſu, aut ſi illud magis placet, ulcere obſideri. Sed verò illud nobis obſcurum erat, & adhuc eſt, an renum abſceſſus, quô purulenta materia coërcebatur, ex phlegmone oriretur, aut à calculo, qui renem vel ſuo pondere contunderet, vel attritu comminueret ac exederet? In priorem ſententiam, ut verum fateamur, magis propendebamus, tùm propter febrim, de quâ ante diximus, tùm quòd nunquam hactenus calculum excluſiſſet. Accedit, quod ipſa geneſis calculi renum cum Celeberr. Stahlio *in pathologiâ membr. 6. artic. 2. à ſtaſi inflammatoriâ ac apoſtematis hinc orientis ulceroſo eſcharotico muco probabiliſſimè deducatur.* Senſum ardoris pus fœtidum cum urinâ tranſiens per vias urinarias mordendo excitare tantò veriſimilius nobis erat, quòd urina ſalſior & tenuis eam moleſtiam nonnunquam inferat. Non dubitamus, quin procedente tempore excoriatio veſicæ ſecutura eſſet, quam tùm maximè metuebamus, ubi importuna ad deponendam alvum irritatio in inteſtino ſeſe magis ac magis exerebat. Hanc de morbo fovebamus ſententiam. Nam nullum indicium nos cogebat in hoc ſubjecto ex urinâ mucoſa cum doctiſſimo Liſtero in *exercitat. de calc. human.* quam *exercitat. anatom. tertiæ conchyliorum bivalvium* addidit, ſuſpicari, veſicæ corpus eſſe cancroſum. Securi etiam eramus, exploratione & per digitum Chirurgi in anum, & per catheterem in ipſam veſicam immiſſum, factâ, de abſentiâ calculi in veſicâ, ex cujus magnitudine, figurâ & motu, &c. dejiciendi cupiditatem idem Vir. Clariſſ. derivat. In curâ, cum egregiè ſeſe geſſiſſent emulſiones, placuit earum uſui porrò inſiſtere, imò ſuaſeramus uſum ipſius lactis, aut ſeri caprilli, cui infudiſſemus, niſi æger reluctatus fuiſſet, modò unam, modò alteram ex ſequentibus *radicibus*: Saſſaparill. chin. alth. cyperi, petroſel. & ſchœnanth.; *herbis*: Veron. heder. terreſt. muſc. ſaxat. flav. auricul. mur. equiſet.; *floribus*: malv. hyper.; ex *lignis*: Lentiſc. nephrit.; ex *fructibus*: jujub. & ſebeſt. ſed ad ejuſmodi infuſa ac decocta adhibenda nec perſuaſionibus nec precibus, aut comminationibus impelli poterat. Juſculum ex radicibus alth. & malv. cum ſummâ nauſeâ bis terve adhibuit. Proponebatur ergò mulſum, & cum illud pariter brevi faſtidiret, mellita & ſaccharata alia ob conſpicuam in iis vim abſtergendi commendabantur, quæ tamen & ipſa non diu ei erant ad palatum. Deinde ab Ephoro adigebatur ad adhibendum pulverem ex ocul. 69. bolo armen. gum. arabico & aliquot guttulas balſ. peruviani vel ſaccharo permiſtas, vel vitell. ovor. diſſolutas &c. Præter clyſteres etiam in veſicam injiciebantur à Chirurgo ea, quæ ad dolorem & ardorem leniendum ac abraſionem præcavendam accommodata judicabantur. His remediis cum contra pertinaciſſimum & moleſtiſſimum affectum per tres

circiter

circiter ſeptimanas eſſet pugnatum, ſymptomata quidem multùm remittebant, magna tamen purulentæ materiæ quantitas ſemper adhuc in urina conſpiciebatur. Fatigatus à nobis æger, viciſſim nos non parum fatigaverat, ac pertæſus moræ Medicum, qui cum Collegâ quodam noſtro ante noſtrum acceſſum curationi præfuerat, ex itinere reducem denuò advocat. Ego breviter expoſui, quidnam de morbo ſentirem, quænam in abſentiâ illius cum Collegâ altero communi conſenſu facta eſſent, quæque porrò molienda eſſe, crederem; ignarus, quænam ei de morbo ſederet ſententia? Multoties expertus ſum, in conſultationibus Medicorum idem fieri, quod in curiis & judiciis fieri ſcribit Vir Clariſſ. Hubertus Loyens in tract. *de Curia Brabantiæ c.* 16. *p. m.* 127.: *Reperiuntur nonnulli, qui in ſententiis dicendis, quùm id, quod dicturi erant, videant ab aliis, qui priores dixerunt, quaſi præoccupatum, eosque pudeat, vel idem repetere, vel palam in ſententiam priorum ire, correctiunculas quasdam addunt, quærentes in ſcirpô nodum, aut ſophiſticis ſubtilitatibus aliorum ſententias enervant, ne cuiquam ſuccubuiſſe, aut quicquam conceſſiſſe videantur. Alii præterea ſunt, qui nihil explicatè, clarè & apertè dicunt, ſed compoſitis verborum involucris judicium ita concipiunt, ut ad utramque partem accommodari poſſit, more carminum Sybillinorum, idque eo ſtudio faciunt, ne à majorum gentium diis diſſentire videantur. Alii prolixitate, & longis verborum ambagibus ita ſe intricant & involvunt, ut nodum cauſæ reperire non valeant, & filo Ariadnis opus habeant, quô ex iſtis Mœandris ſeſe explicent.* H. J. Quid multa? Poſt longam diſceptationem novum proponebatur remedium, cujus laudes mirificè celebrabantur, illud erat balſamus ſulphuris terebinthinatus, de quo bis ſingulis diebus 14. guttæ eſſent capiendæ. Modeſtè reſpondebam, notam mihi hujus medicamenti virtutem, nec ignorari à me, quantoperè illud à Sylvio ad ulceris mundationem ac conſolidationem, ſi ejus nimirum aliquid ulceri inſtilletur, *lib.* 1. *prax. medic. cap.* 40. efferatur, interim tamen cautelam Celeberr. Wedelii de balſamo hoc aliis terebinthinatis præſertim in tantâ doſi teneris ac delicatis ægris non exhibendis, videri tantò magis obſervandam, quòd Illuſtriſſimus adoleſcens etiam gratiſſima remedia nonniſi cum ſummâ nauſeâ caperet. Excanduit his auditis vehementiſſimè, ac diſceſſit. Quid fit? Perſuaſus ab Ephoro ſuo æger ſumit 7. guttas, ſed incredibile dictu eſt, in quantas inciderit anxietates, quantos dolores in renibus, quantum ardorem in reddendâ urinâ hinc perpeſſus fuerit. Itaque non niſi blandiora remedia, cum in nos curæ onus eſſet devolutum, habuere locum, ac inter ea conſervam roſarum cum pulveribus quibusdam remiſtam laudare poſſumus. Profecimus menſis ſpatio tantùm, ut & materia purulenta multum minueretur, & ſymptomata reliqua ceſſarent. Enim verò brevi tempore illa halcyonia durarunt. Nam poſtquam denuò triduanâ, ſed valdè æſtuoſâ febri correptus fuiſſet, rurſus purulentam ac mucoſam urinam cum ſymptomatibus ſolitis excernere cœpit. Irriti fuerunt

labores noſtri per tres menſes, quandoquidem præfractè uſum omnium remediorum adoleſcens reſpueret. Chirurgus poſt tot hebdomadas fluxum purulentæ materiæ imminui cernens, plenariam ſolius injectionis, quæ ex radice ariſtoloch. rotundæ parabatur, beneficio, reſtitutionem pollicetur; Pactus ſibi ducentorum Imperialium præmium, quod etiam conſecutus, cum purgato diuturnitate temporis abſceſſu, purulentia amplius in urina non cerneretur. Nec verò habuit, cur diu Chirurgus criſtas erigeret, nam adoleſcens præterlapſis aliquot menſibus in priſtinum relapſus eſt ſtatum, metuendumque eſt, ne eadem illum fata, quæ puellam quandam ſeptem annorum peſſundederunt, maneant. Hæc cum per ſeptem menſes lotium purulentum minxiſſet, febre contabuit, ac mortua eſt. Placuit D. Klaunig cultro anatomico in conſtitutionem renum hâc in puellâ inquirere. Quod ubi factum, renem ſiniſtrum juſto majorem deprehendit, tubuli iſtius interni partim ſcirrhoſi erant, partim pus plorabant. Ren dexter ita exeſus apparebat, ut externa ejus tantum tunica ſupereſſet, quâ tanquam burſâ collapſâ puris aliquæ reliquiæ includebantur. Corruptio jam ſerpſerat ad muſculum pſoas, qui viridi infectus colore inter digitos ejus præ nimiâ mollitie defluxit. Interior veſicæ urinariæ tunica pure erat obducta; prope cervicem veſicæ latitabat calculus inſtar ſpongiæ poroſus, albicans, magnitudine ovo gallinæ reſpondens, ſed quod mireris, pondere tantum dimidiam æquans unciam, qui urinæ fluxum ultimis vitæ diebus fuerat remoratus, ac fata miſeræ accelerarat. Pudenda ob materiam purulentam valdè acrem excoriata erant. Cætera viſcera immunia à labe inventa ſunt, niſi quod lien æquo minor, hepar autem tantò grandius foret. Folliculus fellis bile turgeſcebat. Aliàs notatu digna ſunt Fernelii *de part. morbis & ſymptom. lib. 6. c. 12. p. 316. ſæpè vidimus totâ renis carne ac ſubſtantiâ pereſâ, ambiente tanquam marſupio membranâ pus calculosque multos obvolvi.*

Febris Quartana. Quartanæ febres multos omnis ætatis homines excruciabant. Cura, nec in ſenibus quidem uſque adeò ardua erat, quam hoc ferè modo inſtituimus: per aliquot dies ſalia digeſtiva bis etiam in die pro indole ægrorum exhibuimus. Horum virtus magna eſt, ac meminimus ſolum tartar. vitriol. in juſculo quotidiè exhibitum Illuſtriſſimæ matronæ ſexagenariæ, quævis medicamenta nauſeanti, ante aliquot annos egregiè profuiſſe, vimque febris inſigniter enervaſſe. Certè hujus, ac miſturæ cujuſdam antifebrilis beneficio febrim pertinacem feliciter ſuperavit. Digeſtivis ſubjunximus evacuantia mitiora, & quidem, ubi ex noſtro arbitrio res geri poterat, in formâ infuſorum ex rad. gentian. helen. polypod. fibr. helleb. nig. fol. trifol. fibr. card. bened. ſummit. cent. min. comar. abſynth. cort. citr. tartar. tartariſat. fol. ſenn. ſ. ſtip. ubi verò precibus & palato ægrorum indulgendum fuit, in aliâ quâvis. Pilulas quando præſcripſimus, conſue-

conſuetas apud nos maſſas cum extract. ſcord. gentian. cent. min. helleb. nig. ferè ſemper miſcuimus, in potionibus ſpecies diatartari Minſ. aliis prætulimus. Sæpè intra ſedecim dies alvum quater blandè abſque omni violentiâ ſubduximus. Diebus à laxatione vacuis ter quaterve gutt. ex Elix. antifeb. D. M. ſtomachic. ejuſd. Eſſ. alexiph. &c. in vino exhibuimus. Rarò integer effluxit inter horum remediorum uſum menſis abſque memorabili febris remiſſione, quæ hâc ratione fracta vel chinatis, vel theriacâ, vel croco ♂tis debito tempore cum prudentia exhibitis facilè debellari potuit. Poſt febrim profligatam amara per 14. ac plures dies continuavimus, ac ita pleniſſimè citra ullum reſtans ſymptoma atque ſubſecutam recidivam Quartanarii à nobis curati convaluerunt. Aliam ſortem expertus eſt Juvenis 20. annorum aliô modô, id eſt imperitiſſime tractatus. Ille Octobri ineunte febri quartanâ inordinatè paroxyſmanti correptus, empyricum, narrante D. Pezold, conſulit. Hic Agyrta more ſuo intra triduum bis violentiſſimè ἄνω καὶ κάτω evacuat. Commota hinc fuit acriter camarina, vehementiſſimè agitati ſucci vitales, & calculus in renibus ſine dolore deliteſcens, ſede ſuâ expulſus eſt. Hinc Dyſuria ſecuta, cui obviam iturus egregius noſter ex equiſone Æſculapius ol. terebinth. propinat peſſimis ægri rebus, ſiquidem non tantùm hæmorrhagia narium planè enormis inde excitata, ſed & omnimoda urinæ ſuppreſſio. Ad ægrum pridie mortis ejus vocatus D. Pezold, tùm alia, tum emulſionem ex ſem. viol. cum millepedibus, facto prognoſtico, fruſtra exhibuit, nam viribus exhauſtus quaternarius in flore ætatis, culpa ac ſeverè plectendâ ignorantiâ ſtolidiſſimi medicaſtri miſere periit. Quartanis febribus, ſi quando aut ægrorum, aut Medici, aut viſcerum infimi ventris (nam & ab horum vitiis eaſdem foveri certum eſt) culpa juſto diutius durant, interdum ſuccedunt poſt annos etiam febres continuæ, mali moris ac periculoſiſſimæ, quæ nec abſceſſibus quibuslibet, etiam iis, qui verbo Hippocratis *infra morbum ſunt*, ſolvuntur, ut experti ſumus in fœmina quadragenaria. Hanc febris quartana ultra annum protracta malè mulctaverat, quâ cum liberata eſſet, non tam medicamentis, quæ cholerica ſuoque abundans ſenſu mulier ſemper adverſata fuerat, ſed temporis longinquitate, cœlique clementia utcunque cum ſanitate priſtina redierat in gratiam. Diximus, utcunque; nam plenariam non crediderimus illam reconciliationem, quia ſpiritûs fœtorem, labiorum livorem, ac defœdationem, fuſcum faciei colorem poſt ſe febris iſta reliquerat. Dubiâ hac valetudine ei frui contigit per notabile temporis ſpatium, quô elapſô, in continuam incidit febrim, eamque lethalem, ſecus ac alius quidam Vir Illuſtris, qui à quartana planè exhauſtus, cum præter ſpem omnem optimè intra menſis ſpatium convaluiſſet, intra paucas ſeptimanas, poſtquam vino & ira incaluiſſet, febri acuta cum peſſimis ſymptomatibus correptus eſt. Et certè ne ipſe quidem Hippocrates de ſubſecutura morte dubitaſſet, conſideratis, provectiori

ætate viri, viribus admodum præcedenti morbo debilitatis, perpenſis deliriis, ſingultu, typhomaniâ, involuntario urinæ & excrementorum effluxu, floccorum collectione, &c. evaſit tamen feliciter & ad hanc horam ſanus & ſalvus ſupereſt. In noſtrâ ægrotante æſtus vehementer erat intenſus, interdum, ſed noctu omnium maximè cum incredibili anxietate, inquietudine vigiliiſque perpetuis; quaſi præſcia mortis ſuæ eſſet, nullâ ſuarum rerum curâ tangi videbatur. Urina multo eoque copioſiſſimo ſedimento abundabat. Crediidiſſes naturam velle omnia excrementa in vias urinarias deponere. Mictio erat frequens, ſed pauca. Latens etiam aliqua phlogoſis in ductibus urinariis obſervabatur. Poſtquam ultra 5. ſeptimanas his malorum fluctibus jactata eſſet, de dolore inguinis in dextra regione conqueri cœpit, brevique poſt tumor, abſceſſus rationem utique ſubiens, ibidem exortus eſt. Vitium non eſſe cutaneum, ſed ſcaturiginem habere internam, facilè apparebat. Et niſi nos omnia fallunt, morbus prægreſſus, corporis conſtitutio & omnia pathemata ante memorata, non vanam movebant ſuſpicionem de affectione aut meſenterii, aut lienis, aut fortè utriuſque. Tametſi verò Oraculo Hippocratis illi *abſceſſus boni ſunt, qui infra morbum fiunt*; quò minus tamen in bonorum claſſem noſter referri poſſet, duplex obſtabat cauſa. Prior erat, quòd non ſatis diſtaret à morbo; ex infernis enim optimi illi ſunt, qui longiſſimè infra ventrem & remotiſſimi à morbo ſe ſiſtunt: Altera verò, quòd non eſſet κατ' ἴξιν, ſed in latere dextro, cum vitium lienis & meſenterii palpabile eſſet. Verè enim, quod Hippocrates de hæmorrhagiâ docet, abſceſſibus illis applicari poteſt, & niſi fallimur à Dureto applicatum fuit iſtud Senis Coi: *Quæ fit è diverſo hæmorrhagia, prava eſt, ut in liene magno è dextris, atque ſimiliter in hypochondriis.* Unde exigua apud nos quidem de ſanitate ſpes, quæ apud Chirurgum erat maxima. Nec ipſi quidem ſpem omnem exuiſſemus, niſi in ſiniſtro latere apparuiſſet tumor ille, memores Herophontis apud Hippocratem: *Huic lien intumuit, inde bubo ſiniſter, mox in crure κατ' ἴξιν facto abſceſſu præter ſpem convaluit.* Præcedenti hyeme cum febris peſſimi moris cum ſymptomatibus variis, aphoniâ, epilepſiâ in *puero ſexenni*, cum deliriis, ſummo capitis dolore & viſûs obtenebratione *in virgine adultâ*, cum cardialgiâ, tremore partium *in famulis duobus* in unâ eademque domo ſæviiſſet, omneſque ex ſingulari DEI gratiâ convaluiſſent, ultimò illuſtre familiæ caput morbus eſt aggreſſus. Tanta vehementia erat ſymptomatum, præſertim verò ſingultûs, ut omnes de vitâ ejus actum eſſe crederent. Nos optima alebat ſpes, eum ex gravi morbo eluctaturum, cùm dextro femore acerbiſſimus dolor oboriretur, eumque brevi poſt tumor exciperet, eò quod Vir & generis ſplendore & officii dignitate nobiliſſimus hepatis obſtructione, ac ex immoderatiori uſu meri ac irâ impetuoſâ ejuſdem inflammatione laborare nobis videretur. Et planè ita evenit. Adeò dextra dextris & ſiniſtra ſiniſtris ὁμόφυλα καὶ εὐτρόφυλα. Abſceſſus in ægrâ noſtrâ

noſtrâ apertus ingentem puris quantitatem effudit. Evidenter reſpiratio & tuſſis docebat, ex abdominis cavitate purulentam hanc ſcaturire materiam. Quarto ab aperto abſceſſu die extincta eſt, nec impetrare ullô modô à marito licuit, ut cultro anatomico indice in fontem ac principium mali inquireretur, quamvis nullo modô dubitemus, extiſpicium hoc confirmaturum fuiſſe, noſtram de origine morbi ſententiam. Hi tamen abſceſſus diſtingui debent à tumore in pube apparente, cujus origo in meatu urinario vel in collo veſicæ hærere poteſt. Ad illuſtrandam noſtram obſervationem nobis addere novam liceat. Nobiliſſ. Matrona gonorrhœâ olim & periodico calculi renum tormento fatigata per aliquot annos de ſummo urinæ ardore ac lancinatione conqueſta in autumno febri corripitur ſymptomatica. Priſtini cruciatus in immenſum augentur. Inter dolorum faces febriſque ignes contabeſcit. Sumptis gelatinoſis ac emulſionibus, continuatoque uſu pulveris nephritici Volckhamm. ſulphuris lycopodii aliorumque appropriatorum, miteſcunt dolores & febris minuitur. Moderatiſſimè Eſſ. balſ. peruv. & lig. ſanct. ut & leni Decocto lign. calidè uſa reſumit vires. Ex improviſo ſtimulum ſentit ad reddendam urinam, & magnam puris fœtidiſſimi quantitatem excernit magno cum levamine; quæ excretio ubi per unam alteramve ſeptimanam continuaſſet, clanculum Chirurgorum & Medicaſtrorum opem implorat. Res ſuas in deterius labi animadvertens, rurſus ad Medicos revertitur. Porrigitur Decoctum ex abſterſivis in aqua calc. viv. cui ſolutio myrrhæ, niſi fallimur, admixta erat, exhibentur etiam multa alia, ſed ſine fructu. Tandem in pube tumor oritur, ex quo aperto, non niſi olidiſſimus primùm eructat halitus, deinde etiam purulenta materia in memorabili copia effluit. Exhauſta viribus tandem vita excedit. Indagine cultri patuit ad oculum in meatu urinario & collo veſicæ vitium ac origo tumoris in pube.

Febris purpurata miliaris.

Hiſce diebus paſſim infantes ac pueri febri purpurata miliari infeſtabantur. Corpus conſperſum erat ſtigmatibus multis, parvis, rubris, magnam cum morſibus pulicum ſimilitudinem habentibus. Macularum floridarum centrô inſidebant puſtulæ ichoroſæ. His efflorеſcentiis cutis quidem tota, præcipuè tamen in dorſo, collo, pectore obſita erat, quaſi milio vel ovis piſcium conſperſa eſſet. Non erant immunes ab hoc malo quidam eorum, qui morbillis vere præcedenti laboraverant, ſed hæc exanthematica febris hâc vice non tot ſymptomatibus ſtipabatur, quàm illa, quæ comitabatur morbillos. Ægri non vomebant, quod pueris ἀδδηφάγοις efflorеſcentibus morbilis admodum fuerat familiare, nec debilitabantur copioſis ſedibus, quæ morbillos in pleriſque ſtipabant. Non vidimus in noſtrâ hâc febri excluſos lumbricos vel aſcarides, ſicuti in morbillis contigerat. Tuſſiebant quidem noſtri, ſed non tam impetuoſè, multò minus cum metu ſuffocationis, ſibilo arteriæ aſperæ, venarum colli inflatione, conſtrictione pectoris anxiâ, &c. indivulſis morbillorum in haud paucis inter noſtra-

tes

tes comitibus. Præcipitantibus, diapnoicis ac diluentibus adjuti morbum intra ſeptem dies ſuperabant.

Paralyſis. Tantum in uno puerulo reſtitabant indicia paralyſis manuum, quæ ſolo ſpecifico cephalico, & potione ex aquâ ceraſorum nig. fl. til. pœon. & ſyr. fl. tunic. ac ſtœch. tollebatur. Aliquantò difficilius ſucceſſit negotium in infante unius anni ablactato, qui abſque omni febri ac excretione poſt fluxum alvi ceſſantem paralyſin manuum & pedum cum inflatione tumidâ harum partium conjunctam incurrit. D. Preus pulveribus præcipitantibus & liqu. C. C. ſuccinato contra hoc malum certavit. Liquoris guttas 6. aliquoties in aqua fl. pœon. & cinam. bugloſſata exhibuit. Tandem tamen poſt uſum enematum ad externa ei deveniendum fuit, quæ inter deprædicat ſeq.

℞. Ungu. nervini ℥vj.
Ol. Nuciſt. expreſſ. ʒjj.
deſt. mac.
anth. aa. ℈ß.
ſuccin. gtt. V. Miſc.

Hoc ipſo nucham, ſpinam dorſi ac lumbos cum articulationibus inungi curavit, unde brevi priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus, quæ cura etiam in aliis puerulis felicem eſt ſortita eventum, ſicubi, quod non adeò raròapud nos evenit, tumores ejuſmodi paralytici ac flatulenti artus occuparent, niſi quòd interdum loco unguenti uſurparetur linimentum ſpirituoſum ex ~ lil. convall. lavendul. & ſalis ✱ci, id quod valdè profuit puellæ, quæ ſimul dolorem colli cum conatu ſæpius mingendi, & incontinentiâ urinæ patiebatur. Egregium certè eſt medicamentum liqu. C. C. ſuccinat. in epilepticis & paralyticis infantum morbis, modò non adeò foret nauſeabundum. Virtutem ſanè maximam exeruit in filiolâ tertium ætatis annum egreſſa, quæ, durantibus aliquamdiu poſt variolarum cohærentium copioſam eruptionem, epilepticis motibus non ſine magnâ difficultate liberata in graviſſimum malum, aphoniam ac paralyſin totius corporis incidit. Illa ſanè ex aſſiduo liquoris hujus per multas ſeptimanas uſu, tantum eſt conſequuta beneficii, ut cum ſanitate rediret in gratiam.

Fluor albus. Admodum inſolens erat his diebus fluor albus, non tantum venereus, quem virulentum vocamus, quique, ubi parum invaluit, ſemper cum exulceratione quâdam conjunctus eſſe videtur; ſed benignior etiam, in quo per vaſa uteri impuritates corporis abſque ulla venerei mali ſuſpicione quaſi criticè deponebantur. Eò minus autem remediis auſcultabat, quò diutius duraverat, id quod magno eſt argumento, aſſuetudinem motûs excretorii fluxum hunc admodum reddere rebellem. Maximè profuerunt noduli laxantes & alterantes ex radic. Zedoar. caryophyll. galang. fol. roriſmar. menth. meliſſ. millefol. fl. hormin. galeopſ. ac rhabarb. In abrotano nota-

notabilis uterum purgandi & roborandi virtus nobis deprehenſa fuit. Cæteris parum proficientibus ab inveterato malo liberata fuit matrona apozemate *Loſſii lib. 4. obſerv. medicinal. c. 8. p. 344.*

℞. raſ. ligni lentiſcin. ℥vj.
rorismar. ℥jj.
ſuccin. flav. craſſi contuſ. ℥vj.
raſur. ſtanni ℔j.
ebor. ℥j.
macer. in ℔vjjj ▽ font. per 24. horas,
deinde adde:
rad. eryng. ℥iij.
uvar. paſſar. ℥ij. coqu.

Finem curæ aut martialia, aut oſſa ſepiæ optatum ſæpiuſcule impoſuerunt.

Non minus operoſam diligentiam requirit mulierum gonorrhœa, quo nomine comprehendimus effluxum materiæ, quæ ex proſtatarum mulierium porulis non ſine moleſtia gravi exſtillat. Non more quorundam hæc genera fluxuum confudimus, quorum alter ex vaſis uteri, ut jam jam memoratum, alter verò ex ductibus prope meatus urinarii exitum ſcaturit, ſed illi quidem præſtantiſſimos auctores ſecuti fluxus albi appellationem; huic verò, tametſi propriè dicto ſemine fœminæ deſtituantur, gonorrhœæ nomen tribuimus. Et ſanè cum *in viris proſtatarum fluxus gonorrhœa vocetur, cur non etiam in mulieribus eodem nomine nuncuparetur, cum in utroque ſexu partium & ductuum eadem ferè ſit ſubſtantia*, ut loquitur Regn. de Graaf *de organis mulier. c. 6. p. m. 213.* Nec ullo modo dubitandum eſt, in gonorrhœa mulierum proſtatas affici, cum in *muliere gonorrhœa laborante poſt mortem proſtatas exulceratas* idem Graafius *invenerit.* Accedit, quod in gonorrhœa non totus vaginæ tractus; ut in fluore albo obſitus ſit mucoſa & acri materia, ſed reliquis omnibus illæſis pars illa circa meatus urinarii inſertionem ejusmodi liquamine imbuta, ac interdum etiam exulcerata inveniatur. Facilis autem labor fuerit, gonorrhœam à fluore albo diſtinguere, ſi quantitatem & doloris locum reſpexeris, nam longè major exundat materiæ copia in fluore albo, quam in gonorrhœa, & in hac dolores ſentiunt circa uteri collum ac orificium externum, cum in illo de intenſo moleſtiæ ſenſu circa lumbos conquerantur. Cura ferè eadem eſt, quæ gonorrhœæ virorum, præmiſſis enim ex caſſia, diagrydio & ☿ dulc. evacuantibus non admodum draſticis, hauſto dilutiori per aliquod tempus lignorum decocto, pilulis ex terebinthina inſpiſſata lotaque & ex extracto guajaci, multum profuerunt aliqua medicamenta Wedeliana, e. g.

Gonorrhœa mulierum.

℞. Eſſ. lignor. ℥ij.
ſuccin.
bezoard. aa. ʒj.
anodyn. ℈ß.
ol. ſaſſafr.
rutæ aa. gt. jj.
it. ℞. ſuccin. alb. ppt.
magiſt. ♄ diaph.
oſſ. ſepiæ.
ocul. ♋. ppt. aa. q. v.
ol. lign. ſaſſafr. gt. j. M.

Sumptis his remediis ferè plerumque dolor remiſit, in quo demulcendo etiam ſeſe egregiè gerit Decoctum ex rad. glycirrh. ſummit. roriſmar. herb. petroſel. agrimon. &c. his adhibitis depoſuit materia effluens pravum ſuum colorem, ac cœpit albeſcere, licet aquoſior, ut narrabant, eſſet, ardor quoque in mejendo abſceſſit. Hoc, ubi ab ægris reſciveramus, de ſiſtenda gonorrhœa cogitavimus. Jactabat quondam aliquis apud nos, ſe rerum uſu comperiſſe, Crocum ♂tis adſtringentem omnibus aliis longè præſtare. Utebatur verò ʒß cum conſerva roſarum, aut baccar. recent. heder. Illuſtris matrona deprædicabat ſequ. Electuarium Vienna, ut dicebat, ſibi transmiſſum, quod tamen à Chirurgo quodam concinnatum eſſe credebamus:

℞. Pulv. Cinam.
N. Moſch.
Cremor. tartar. aa. ʒj.
oſſ. ſepiæ. ʒjß.
ſangu. dracon. ʒij.
bol. armen. ʒijß.
mell. roſat. q. ſ. f. Elect. molle.

Multo efficacius eſt Decoctum aliquod ex ſaſſaparill. ♄ crud. in petiâ ligato, putaminibus nucis, cortic. granat. rad. polypod. Laudavimus in Hiſtoria noſtra alibi balſamicum quendam liquorem pro injectione, quem miſcendum eſſe cum Decocto appropriato quivis facilè intelligit; at iſtæ apud plurimas fœminas locum vix inveniunt, cum quibus etiam de affectu ipſo, non niſi ſuppreſſo vero ejus nomine differendum eſt. Fuerunt tamen aliquæ, quibus liquamen acrimonia ulceroſa imbutum inflammaverat ac eroſerat fibrillas vaginæ, etiam ad hanc neceſſitatem enormitate doloris adactæ. In vaginam uteri cum ſummo levamine ſequens injectio calidè fuit facta:

℞. lact.

℞. lact. recenter mulctæ ℥iij.
▽ roſar. ℥ij.
album ov. ʒj.
Croc. ʒß. M.

In meatum verò urinarium miſtura ex ▽ calc. vivæ, ſacchar. ſaturn. ac melle roſato.

Sine dolore vix meminiſſe licet, quam numeroſa nullo non tempore inveniatur multitudo eorum, qui bubonibus venereis in inguine defœdentur. Luerunt aliqui ſatis graves hiſce menſibus impuritatis ſuæ pœnas. Afficiuntur, ut cuivis notum eſt, circa inguina glandulæ, quæ vaſis ſpermaticis tùm præparantibus, tùm deferentibus ſunt viciniores, atque hinc ſine difficultate bubones ab hernia inguinali diſtinguuntur à peritis. Abſentia etiam febris malignæ in noſtris ægris eos à peſtilentibus ſeparat. Prima mali origo ab impuro cum proſtibulis infectis concubitu; nam hactenus à nullo, quantum ſcimus, eſt compertum, quòd alia via ſit ad bubones, quàm diverſio ad impudicas mulieres, adeoque optimè *dans le Dictionaire des arts & des ſciences de l'Academie Françoiſe*, in deſcriptione hujus tumoris maligni mentio fit commercii *avec une femme, qui avoit du mal.* Duplici verò ratione meſſem hanc metunt, qui venereis libidinibus ætatem corrumpunt; nam in aliis quidem præcedunt colis puſtulæ, tubercula & ulcera, ac viridis, ſubcitrini exurentisque, &c. ſeminis excretio; in aliis verò ſine præludiis hiſce miaſmata à pure ulcuſculorum in fœmineis pudendis latentium, à pene in æſtu coitus excipiuntur & ad maſſam ſanguinis illicò transferuntur. Dolæus in *Encyclopædia chirurg. p. m.* 1061. miaſma hoc vocat *acidum acre*, illudque juxta noſtrum Auctorem *vaſorum ſanguinis tunicas penetrans illius maſſæ immiſcetur, quædam ex illius alcalicis ſaturat, & quædam ſulphura coagulat, quæ in inguinum & axillarum glandulas cum ſanguine circulante advecta, in illarum anguſtioribus tubulis commorantur, ſanguinique affluenti & materiæ ætereæ advenienti ſunt impedimento.* Tametſi verò hæc ita placuerint Carolo Muſitano *Tom. 4. Trutin. Chir. p. m.* 75. ut retentis etiam verbis quibusdam illa Dolæi adoptarit, quemadmodum paſſim alibi Germanorum vitulo aravit; nobis tamen non eſt veriſimile, ab eo rem rectè fuiſſe trutinatam. Ambabus largimur manibus in corporibus gonorrhœa ac ulceribus affectis, acres obſervari humores, aut interdum quoque acidos, non tamen hinc cum multis Sylvii hac in parte aſſeclis illico inferendum eſt, ipſum fermentum, ſeu miaſma acido-acre eſſe; cum negari nequeat, quod intret, ac interdum latitet aliquandiu in corporibus eorum, qui inficiuntur absque minimo doloris ſenſu, quod eſt contra naturam acidi, quod ex ſententia ipſorum tam forte eſt, ut etiam vim ejus corroſivam ipſa oſſa non evadant. Ingenuè profitemur, nos ignorare naturam fermenti hujus venerei, ac non niſi illud novimus, quod in quibusdam ſubjectis membrum virile non afficiat, ſed

Bubones venerei.

ſed illicò in maſſam ſanguinis translatum à principio corporis agente in glandulas inguinales deponatur, & hoc facto ibidem bubones excitentur. In aliis verò, ut evidens eſt, in ipſum pudendum agit, illud lædit, proſtatas etiam exulcerat, ut deindè virus noctu æque ac interdiu ex pene elabatur. Hujus virulentæ materiæ effluxus, ſi repentè à barbitonſoribus & aliis Medicorum ſimiis cohibeatur, bubones exſpectandi ſunt. Nimirum admodum credibile eſt, ſuppreſſa repentè gonorrhœa, ſemen corruptum ex veſiculis ſeminalibus per vaſa deferentia regurgitare, ac enatum inde fermentum partibus vicinis & potiſſimùm glandulis ſeſe inſinuare eo ferè modo, quo impedita gonorrhœa materia venenata per eadem vaſa deferentia ad teſticulos refluit, ac dolorificum in iis dolorem excitat. In priori caſu, protruso ex maſſa humorum ad glandulas miaſmate, totum corpus glanduloſum in eximiam magnitudinem & duritiem excreſcit; in poſteriori vero tantum tunicæ glandulam inveſtientes inflammantur ac intumeſcunt. Utrobique motus ſanguinis remoram patitur. Clariſſ. Whartonius in *Adenographia c.* 27. *p. m.* 175. credit, tumorem oboriri *ob continuum & impetuoſum ſanguinis à corde per arterias affluxum, & ob recurſum ejus per venas diminutum.* Hoc aſſertum ſatis commodè explicari poteſt; nam profecto haud ambigendum, majorem fieri ſanguinis ad glanduloſas partes congeſtionem in hoc ſtatu, dilatatis nimirum arteriis ac conſtrictis tonicè venis, ſed illud, quod ibidem addit de ſuperfluis nervorum humiditatibus, quas vel quantitate, vel qualitate vitioſas nervi in glandulas exſpuant, dubium, imò prorſus falſum eſt, cum ſuccus nerveus tantoperè jactatus, ne in exigua quidem quantitate oſtendi ab inventoribus ejus potuerit in nervis, immediatè à ſpinali medulla erumpentibus, non obſcurè fatente ipſo Malpighio *in operibus poſthumis p. m.* 39. Unde ei etiam recurrendum fuit, pro probanda hujus ſucci veritate, ad extremos nervorum tubulos e. g. ad illum, qui in cauda bovis tribus, vel quatuor fiſtulis coagmentatus eſt, unde per foramen excitatum terebinthinæ inſtar exeat ſuccus ille decantatus. Hæc, ſi vera ſunt, tanta ejus ſucci copia ad glandulas inguinis confluere non poteſt, ut glandulæ inferciri, & in tumorem elevari queant. Curatio bubonum faſtidii plena nobis ſemper ferè fuit; nam hoc illi habent proprium præ reliquis præter naturam bubonibus, ut ſuppuratione eorum, corpori melius ſit conſultum, quam reſolutione. Enimverò maturationem ægerrimè admittunt ii potiſſimum, qui glandulas ſecundum omnes ſuas dimenſiones augent, & in earum ſinu excitantur. Anniſi tamen, quantum in nobis fuit, ut maturationem acceleraremus, & ita circa bubones verſati ſumus, ſi magno cum dolore, ut fit, conjuncti eſſent, dolorem mitigare conati ſumus fomentis, & cataplaſmatibus ex rad. alth. lil. alb. fol. malv. flor. violar. ſem. lini, fœnugr. Inungi etiam eos fecimus mucilaginibus ex ſem. pſyll. cydon. & ol. amygd. dul. lil. alb. lumbric. hyoſcyami & pinguedinibus. His factis non illico dolor remittit, imo

ſubindè

ſubindè auctus ac intenſus, & tum ad emollientia deveniendum fuit validiora, ſcilicet addidimus prioribus cataplaſmatis ſpeciebus parietar. verbaſc. caric. far. fabar. hordei, cœpas, crocum &c. Noctu ferè ſemper Emplaſtrum ex gum. ✳co, fermento acri &c. impoſuimus. Poſtmodum ad auxilia maturatoria nos contulimus, inter ea, ſi cum prudentia adhibeantur, unguent. baſilic. galban. gumm. ✳c. egregiè proſunt, quorum virtutem hermodactyli, ſi noſtræ licet fidere experientiæ, exaltant. Diachylon magnum, quod Sylvio ſcimus, fuiſſe in uſu, non eſt contemnendum, ac ſemper ferè à noſtris Chirurgis adhibetur, quamvis virtute prædictis par non ſit. Interdum tamen, quicquid egeris, fruſtra fueris, adeò *ineluctabilis duritiei* ſunt, loquimur cum Barbeyrac, & tum omninò opus eſt *hydrargyroſi*. Ubi non æquè rebelles fuerunt, ſignis maturationis præſentibus, quamvis omnimodam raro exſpectaverimus, ſine mora eos aperuimus, experti, ex pure diutius in tumore hærenti, ſinuoſa & cacoethica ulcera fuiſſe orta. Nunquam nobis excidere paſſi ſumus egregium monitum Monſ. le Clerc *dans la Chirurgie complette* loquentis de bubonibus *p. m.* 220. *On les fera long temps ſupurer*, quod, cum non obſervatur, ægri certiſſimè in luem veneream incidunt. Semper tamen habenda ratio ulceris eſt, cujus conſolidatio balſamica noſtra mixturâ & Oppodeltoch. Paracelſi egregiè promovetur. Quantum ad interna attinet, dum in emolliendo ac ſuppurando bubone deſudamus, ferè ſola lignorum decocta, eaque minimè ſaturata absque regimine ſudorifero ſuffecerunt. Purgantia juſſimus eſſe procul; abſtinuimus etiam à Venæſectione, quod his mediis ſuppuratio non promoveatur, ſed impediatur.

In vulgus usque nota ſunt varia tumorum puſtularumque, quibus ii, qui in turpi libidinum luto volutantur, conſpurcari ſolent, genera, iisque enarrandis minimè modò nos occupabimus. Hoc verò, cujus aliquod facere indicium animus eſt, ſive modum eruptionis, ſive figuram ſpectes, paulò rarius, ac quantum meminimus, non niſi ſemel à nobis viſum, aptumque adeò, quod etiam ſolertem Medicum in errorem inducat. Fœmina, quam lue gallicâ infectam eſſe, aliundè conſtabat, non multò quadragenaria minor, temperamenti ſanguinei ac cholerici, ingenii fervidioris, iracundiæ dedita, duarum prolium in conjugio mater, paſſionibus hyſtericis obnoxia, quòd menſes ſatis parcè fluerent, autumno jam adulto de graviori capitis dolore per aliquot dies conqueſta, in Novembri circa quartam pomeridianam, poſt inſignem rigorem ac horrorem in vehementem incidit æſtum, qui dorſi ac capitis dolorem longè graviorem eo, qui aliquot jam abhinc diebus afflixerat, comitem habebat. Circa matutinum tempus ingenti ſudore profuſo & calor, & capitis cruciatus minui videbatur. Fluxit etiam dies ita, ut non haberet, de quo adeò conquereretur; ſed circa veſperam, quæ pridiè afflixerant, mala, recurrebant omnia, id quod & quatuor ſequentibus diebus ita contigit. Puſtulæ venereæ.

Septimo die manè per faciem ac totum corpus copioſiſſimæ erumpebant puſtulæ, hæ referebant figuram variolarum latiorum, & ſanè non poteſt ovum ovo eſſe ſimilius, quam maculæ iſtæ protuberantes prædictis variolis, modum eruptionis & maturationis ſi excipias. Neque enim, quod in variolis fit, puſtulæ primò rubræ tenuiſſimarum acicularum puncturas æquantes prodibant, ac deinde in faſtigium elevabantur; ſed à primo eruptionis momento puſtulæ noſtræ eam, quam citra augmentum deinceps ſervarunt, magnitudinem nactæ ſunt, nec inſtar variolarum ad maturationem & ſuppurationem pervenientes pus fuderunt, ſed ultra tres ſeptimanas absque ulla formæ externæ permutatione ſibi ſemper ſimiles perſtiterunt. In circuitu ſuo rubebant, in medio verò albeſcebant. Poſtquam una alterave ex his eſſet aperta, non purulenta materia, ſed ſubſtantia quædam pinguedini porcinæ ſimillima deprehenſa in iis fuit, absque ullo ægræ dolore etiam aſperius contrectari poterant; quæ organa obſidebant, motui dicata ingreſſui brachiorumque extenſioni impedimentum objiciebant. Febris interea, ſicut à primo initio fieri ſuevit, circa veſpertinum tempus ingraveſcebat. Quicquid remediorum ordinariorum per tres & ultra hebdomadas tentaretur, quemadmodum tentata fuerunt multa, id fruſtra fuit, ac minimè ſufficiens vel ad febrim expugnandam, vel ad puſtulas abigendas, donec continuato ☿ii dulcis cum abſorbentibus & bezoardicis miſti uſu, ptyaliſmus excitaretur. Cum ſalivatio per 14 circiter dies debitè fuiſſet adminiſtrata, & febris remittebat, & puſtulæ ſenſim evaneſcebant, ut præterlapſo menſe nulla amplius in corpore reperiretur. At, quod ægra dolet, notabilia veſtigia ac deformes (dilutè ſcilicet rubentes) maculas poſt ſe reliquerunt. Sparſim hisce noſtris maculis puſtulæ quædam ſquammoſæ, quæ ſub cruſtâ ſuâ putrilaginem quandam continebant, interjectæ erant, quibus etiam externa fuerunt applicata remedia eo eventu, ut abſoluta ſalivatione & illæ diſparuerint.

Febris quintana & ſeptimana.

Niſi nos fallunt omnia, hoc autumno jam ad finem properanti vidimus in virò ferè quinquagenario exemplum febris quintanæ, in juvene autem paradigma ſeptimanæ. Uterque laboraverat ineunte autumno febri quartana, & uterque etiam corpore non debitè præparato præproperè per corticis peruviani uſum ab eadem fuerat liberatus, ſi licet vocare à quartanâ febri liberum, qui quarto non tantum die adhuc vehementer languet, ſed etiam reliquis inſignem ſentit debilitatem, & cibos faſtidit. Luculentè poſt 12 circiter dies in uno, in altero verò poſt 21 rediit paroxyſmus; uterque, cum non die 4 febris horis conſuetis rediret, ſe immunem forè arbitrabatur, at cum quinquagenario bis die quinto, juveni verò ſeptimo paroxyſmus rediiſſet, noſtrum etiam conſilium implorarunt. Et quantum quidem ad primum, diu luctatus mecum ſum, an non ſit conſultius cum Valleſio *in Comment. lib.* I. *Epidem. p. m.* 55. *quartanam tardantem* appellare; in altero autem nulla erat tergi-

tergiverſationis cauſa. Neuter à nobis fuit ſublevatus, ſed uterque tabidus obiit, citius verò juvenis, qui ſeptimo quoque die febricitabat, quam alter. Præmunieramus nos, quantum ad primum, Hippocratis Oraculo *lib.* I. *Epidem. ſect.* 3. *quinta omnium peſſima eſt; nam & ante tabem* (ut in noſtro contigit) *& tabidis ſuperveniens, occidit.* At, quod alterum concernit effatum Hippocratis, in illo non adimplebatur, quod loco citato ita ſonat: *Septimana longa eſt, verum non lethalis.* Multò minus iſtud Valeſii: *l. c.: Sextanæ verò aut Septimanæ, aut etiam rariores febres affligunt ut vitia potius naturalia, quam ut morbi, atque adeò, qui illis laborant, videntur eſſe homines alioquin ſani. H. J.* Sed tum Hippocratis, tum Valeſii verba intelligenda ſunt de febribus ſeptimanis, quæ à principio hominem ſanum invadunt; non de iis, quæ jam ægris & vel *tertiana*, vel ut hic accidit, *quartana* debilitatis ſuperveniunt, quo in caſu vera eſt ſententia Ballonii *lib.* 2. *Conſilior: annotat. ad Conſil.* 51. *p.* 317. quam his verbis effert: *Febres quintanæ & ſeptimanæ tabeſcentium ferè ſunt.* Ita intermiſſiones paroxyſmorum conſuetis diebus ſine ſolutione febris monſtri aliquid alunt; certè in quotidianis veterum, ac in catarrhalibus recentiorum, niſi febris quotidie recurrat, ſed hoc illove die remaneat, non ſine ratione contabeſcentia hectica metuitur.

Obſervatæ etiam ſunt febres octanæ, quarum focus ac nidus in hepate eſt, & ferè icterum parturiunt. Vir profeſſione, ſenio & dignitate Venerabilis Dominus Henricus Klos, Prior Canon. Regul. Lat. S. Auguſtini, amicus noſter, dum viveret, poſt tres Octanæ febris paroxyſmos in icterum incidit. Summam patiebatur compreſſionem ſub ſcrobiculo cordis, & in ipſo febris ingreſſu anxietates maximas, ex apparente deinde ictero facilè patebat, immanem dolorem, cui vix deſcribendo par erat, à conſtipatoria ac contractoria partis ſimæ hepatis ſtrictura fuiſſe profectum, à qua hepatis compreſſione etiam derivandus icterus, cum facilè intelligi queat, quomodo per ejusmodi coarctationem ſeparatio humoris fellei impediatur. Acceſſit ex eadem cauſa febris inflammatoria vehemens cum ſiti, dolore capitis, vigiliis, ſingultu, ſed non adeò frequenti, rubore faciei, ac duritie præcordiorum dextra parte, quæ omnia viro ſeptuagenario ſuprema imminere ſignificabant. Et profecto in morbo arquato, *durum fieri jecur, pernicioſiſſimum eſſe*, jure optimo ſcribit Celſus *lib.* 2. *c.* 8. *p. m.* 74. Biduo ante mortem vehementer efflabat, quaſi ſuffocationem metueret, dormituriens palpebras committere non poterat, quæ nobis in memoriam revocabant ex *Coacis* illud Hippocratis: *Qui vehementer efflant & reflexis ſunt palpebris, ac per ſomnum leviter ſuſpiciunt, aurigine admodum fœdati & largius colorati, moriuntur.* Febris octana.

Occaſione febrium paulò rariorum, memoranda etiam hæmorrhoidalis, quam ſibi obſervaſſe viſus eſt D. Graſſius; eam his verbis deſcribit: Quosdam infeſtabant febres hæmorrhoidales, quæ levi frigore, ſubſequo blando calore ægros, (ut plurimum fœminas) feroci abdominis, Febris hæmorrhoidalis.

circa

circa hepatis regionem, umbilicum, os ſacrum, & in cruribus, dolore, cum conſtrictione diaphragmatis circa orificium ſuperius ſtomachi, cum vel ſine obſtructione alvi, excruciabant. Pulſus erat durus & plenus; dolor capitis in plerisque vel planè nullus, vel admodum levis. Non cedebat his dolor alvo aperta, nec laxantibus (clyſteribus tamen aliquantiſper) obediebat, ſed obſtinata duratione ad aliquot dies ejulantes ægros torquebat, ſingulis diebus vagos paroxyſmos procreans. Victas tamen manus porrigebat, præmiſſis malignitati reſiſtentibus medicamentis, venæ ſectioni in pedibus, & tinct. ♂t. tartariſatæ Ludov. ritè præparatæ, intermixtis reſolventibus, abſorbentibus & ⊕ſis. Quibus autem hæmorrhoidales fluebant venæ, breviori via morbus abſolvebatur. H. J. Nos etiam cum hæmorrhoidibus tumentibus & dolentibus luctati ſumus. Flores ſulphuris internè adhibiti, ſed in doſi paulò majori, in iis reſolvendis egregiè ſeſe gerunt. Externè diſcuſſionem adjuvat, ac dolores ſopit Cataplaſma ex cœpis ſub cineribus aſſatis, ac oleo ovorum recenti. In doloribus atrocibus mitigandis ſpem noſtram non fefellit linimentum ex mucilagine ſem. pſyll. ſac cydon. c. ▽ verbaſc. extracta, ol. hyoſc. & vitell. ovi, quamvis folia verbaſci in lacte cocta & calidè applicata ſæpè ſola nobis ſuffecerint. Interdum ſumus etiam uſi ſequenti unguento:

℞. Unguent. ad hæmorrh.
rosat. an. ℥jjj.
alb. camphor. ℥jj.
Sacch. ſatur. in ol. lil. alb. ſolut. ℈ß.
ol. hyoſc. ℥ß.
Verbaſc.
momord. aa. ℈jj. M. D. ad fict.

Sterilitas mulierum.

Inviſum familiis malum ſterilitas eſt, ac fervens prolis deſiderium coëgit nonnunquam uxores, abjecto, qui ſexum fœmineum vehementer ornat, pudore, ad Medicos recurrere, ac ea permittere, quæ verecundia vetat, ut nimirum edoceantur à Medico, utrum in ſinu pudoris quippiam lateat, quod conceptionem impediat. Atque hinc natæ variæ Medicorum obſervationes, & una etiam D. Pauli, quam his concepit verbis: *In duabus infœcundis mulieribus, citra ullum delectationis ſenſum, juxta propriam ipſarum confeſſionem congreſſum patientibus, manus meæ examini commiſſis, internum uteri orificium coalitum, defectumque rugarum in collo deprehendi.* H. I. Et certè jam à multis annotatum auctoribus, conceptui obicem poni, ſi internum uteri orificium quacunque de cauſa fuerit arctius, quorſum referenda ſunt duo ſterilitatis exempla à ſcirrho circa uteri orificium enato, ab Hildano *Cent.* I. *obſerv.* 65. & 66. enarrata. Nihilominus graves patitur difficultates hæc ſententia, eò quod à præclariſſimis Medicis obſervatum, per ſolum penis ad muliebria clauſa affrictum, ac externam ſeminis adſperſionem mulieres nonnunquam concepiſſe, & hodie communi eruditorum

ſuffra-

ſuffragio comprobatum ſit, non opus eſſe, ut craſſior ſeminis pars ad ipſam uteri cavitatem pertingat, ſed ſufficere, ſi genitales ſpiritus, qui per exiguum etiam porum facilè poſſunt penetrare, ad illum diffundantur, prout nuperrimè quoque inculcatum à Celeberr. Joh. Wilh. Pauli Profeſſore Lipſienſi, inter præcipuos Germaniæ Anatomicos non immerito numerando, in doctiſſimâ Diſſertatione *de nutritione naturali, ac præternaturali, potiſſimum auctâ & abolitâ.* Abſentia plicarum, ſi quicquam ad fruſtrationem conceptus confert, non aliô modô concurrere poteſt, quam hôc, quòd vagina plicis his deſtituta, non tam arctè penem virilem complectatur, & ſemen effuſum non benè ſuſcipiat, ſed facilius elabi ſinat, cum ſtrictior vaginæ uteri ad membrum virile applicatio, judice Graafio *de Organ. mulier.* ſeminis ſuſceptionem ac retentionem multum adjuvet. Cæterum multò frequentiores apud nos ſterilitatis cauſæ ſunt plethora in otioſis lauteque viventibus fœminis, & morbi uterini varii, præcipuè vero fluxus albus, commune multarum flagellum, quandò recrementitii corporis humores per vaſa in uterum hiantia in cavitatem ejus, non in vaginam depluunt.

Vidimus hoc tempore, quemadmodum etiam alias ſubinde contigit, fœminam in ſecundo ſenis thoro viventem, pneumatoſi laborantem. Huic menſtrua ſubſtiterant, venter circa uteri regionem in tumorem fuerat elevatus, mammæ turgeſcebant, & alia aderant, quæ falſam veræ imprægnationis ſpeciem ei impreſſerant, ſed ſe deluſam cognovit, ubi loco fœtus flatus, ſubſidente mox ventris mole, ſine ullis adhibitis remediis excluſit. Sicubi medicamentis opus fuit, contra illud malum certavimus pilulis ex maſſa pilul. fœtid. Gumm. Galban. c. ✠ ſolut. & paucis gr. ſcammonii cum Elix. balſ. Lang. par. Tragæâ ex ſpecieb. diagalang. diaſpolit. Galen. & ſaccharo, ut & fotu ex herb. thym. calamenth. abrotan. rut. puleg. flor. chamom. ſem. lini, fœnugr. aneth. cumin. bacc. laur. &c. tartarea verò remedia prudenter adhibita omnium optima fuêre deprehenſa. Pneumatoſis.

Rarius uteri verus hydrops vanâ graviditatis ſpe decipit mulieres, niſi prorſus ſimplices, nam paulò ſagaciores, & quæ vel ſemel tantum geſtarunt uterum, ex ſonitu fluctuantis aquæ, cum de latere in latus volvuntur, inſolito verſus pubem pondere, dyſpnœâ, gravitate in ambulando &c. convincuntur, minimè ſeſe eſſe prægnantes. At judicium multò eſt difficilius, quandò hydrops uteri cum fœtu conjungitur; quamvis id ſolatio miſeris eſſe debet, quod per partum uterus & à fœtu & diluviô aquarum, ſive in uteri cavitate, ſive in vaſis illius contineantur, feliciter liberetur. Enim verò hic labor, hoc opus eſt, exactè definire, ubi vitium hæret, ſi poſt partum tumor abdominis remanſerit. Tractavimus ingentem ejuſmodi tumorem circularem, qui copioſiſſimis ſudoribus in laconico fuit ex voto diſcuſſus. Credebamus eſſe hydropem peritonæi, nam cum in ſenſus incurrat, tempore graviditatis & muſculos abdominis, & peritonæum, mirum in modum ab utero dilatato diſtendi, admodum Hydrops uteri.

probabile eſt, eô ipſô lymphatica peritonæi vaſa vehementer interdum comprimi, ac hâc coarctatione motui lymphæ remoram injici, quod, cum contingit, neceſſe eſſe videtur, ut hydatides formentur, ſed dum partium ambientium renitentia debitum illis ſpatium non indulget, quid mirum eſt, ſi illæ ruptæ intra peritonæi duplicaturam lymphaticum laticem exonerent, atque hanc hydropis ſpeciem excitent? Si quando verò poſt partum inæqualis abdominis tumor ſeſe conſpiciendum ac contrectandum præbeat, uti evenit nobiliſſimæ matronæ, poſtquam ultimum filium eſſet enixa, quæ in dextro latere grandi onerabatur diſtenſione, de origine ejus medentes in diverſas abeunt partes, quemadmodum hîc etiam factum. Alii molam in utero retentam accuſabant, alii hydropem ovarii, alii tubæ Fallopianæ ſubeſſe ſuſpicabantur; nos, quibus vix ſpiritum ducens mater ad lectum puerperæ filiæ ærumnoſum ſtatum expoſuerat, vitio viſcerum in abdomine, & præcipuè ab hepate non rectè conſtituto hydropem ortum eſſe credebamus. Falſitatem ſententiæ de præſentiâ molæ ſpontanea ex pedibus aquarum effuſio, ac hinc ſecuta detumeſcentia abdominis facilè probabat, ut & inſignis utilitas ex uſu Electuarii hydragogi, notum illud Sylvii ejuſdem nominis, efficaciâ multum ſuperantis, ad illam poſt copioſas dejectiones aquoſas rediens. Aliorum lites de parte affectâ diremit poſt mortem judex culter anatomicus; nam ut teſtatur D. Pauli, *prægrandis veſicula fellis aliquot lapillis gravida, hepatiſque lobum protrudens oculis ſubjecta*, uti ſonant ipſiſſima ejus verba.

Prima ſpecies morbi ab Hippocrate Craſſi appellat.

Vivit apud nos quinquagenario major, cholericæ conſtitutionis, qui & hoc autumno, & poſthâc aliquoties, ac nuper admodum ſequenti morbo oppreſſus eſt. Primò quidem queritur de obtuſo in abdomine dolore, poſtmodum dolores ſurſum deorſumque lati obmurmurant, crederes ſolos eſſe flatus. His moleſtiis, ubi per aliquot dies exagitatus eſt, corripit eum rigor & febris, quæ cum vehementi ac continenti dolore capitis conjuncta eſt. Illa quando parumper remittit, exſurgunt dolores circa hypochondria, ſuccedit vomitus, aut conatus vomendi, quaſi ventriculus cruditate laboraret. Os ſalſo aut amarô ſapore eſt infectum; deinceps affligit aliqua reſpirationis difficultas, tracto ab hypochondriis in ſympathiam diaphragmate. Brevi poſt exoritur dolor circa coſtas tam acerbus, ut tactum digiti ferre nequeat; deſcribit illum verò ut morſus ſenſum partibus inferentem, interdum etiam ut ulceroſum. Dolori jungitur rubedo eryſipelacea circa coſtas; ſed dubium non eſt, quin ſpinales nervi quodammodo compatiantur, eò quod doloris ſenſus uſque ad dorſi ſpinam diffundatur. Enim verò nec his circumſcribitur limitibus; nam ardor ac dolor ad anum, quaſi æger hæmorrhoidibus cæcis, & ad veſicam, quaſi calculo laboraret, pertingit. Interea frigent pedes & extima. Evaneſcente rubore & dolore circa coſtas cutis capitis durior erat inſtar corticis intenſeque in cervice rubeſcebat. Morbus à nobis deſcriptus modò remiſſior, modò verò

vehe-

vehementior erat, nec bezoardicis, diapnoicis, diluentibus ferè per menſem ſuperari potuit. A purgantibus lenioribus iterato exhibitis, gelatinoſis ac lacte miteſcere nobis viſus eſt, non penitus verò tolli. Niſi nos omnia fallunt, cum ſymptomata ex amuſſim reſpondeant, ægritudinem hanc jam olim accuratè deſcripſit Hippocrates *libro magno de morb. intern. text.* 48, ejuſque originem petiit à *bile & pituitâ miſtâ per corpus diffluenti in ventrem, ac à ſolis calore & aquæ potu*; quæ tamen cauſa an in noſtro locum habeat, dubii hæremus, quamvis corpus ægri noſtri ſenſu Hippocratico bilioſum vocari poſſe, minimè ambigamus, & cuivis in civitate notum, quòd ab æſtu ſolis ſæpè incaluerit. Refert Hippocrates hunc morbum inter παχέα νοσήματα, hoc eſt: *Craſſos morbos*, quorum quatuor enumerat, complexus verò hoc nomine, ut evidens eſt ex contextu, *incrementum totius corporis, vel partis in molem ex multa humorum pravitate impactorum parti, vel diffuſorum per univerſum corpus*, ac non meminimus, ab ullo recentiorum primam hanc ejus ſpeciem, cujus ſymptomata ab Hippocrate memorata in corpore ſuo ſpectanda æger noſter nobis exhibuit, fuiſſe deſcriptam. Faxint autem ſuperi, ne in illo eventum ſortiatur iſtud Hippocratis, quô deſcriptioni νοσήματος colophonem imponit: *Hic ſi curetur ſex annorum ſpatio, ſatis eſt, ſin minus, remanet uſque ad decem annos, multis etiam & commoritur.* H. J. Jam ſunt ſeptem præterlapſi anni, nec tamen ad hoc uſque momentum ab illa ex toto ſublevari potuit afflictione, ac in ultimâ morbi exacerbatione ſudor multus & fœtidus, quô dormiens diffluebat, quemque Hippocrates ſignis ſiniſtri ominis annumerare videtur, nos vehementer terrebat; nihilominus tamen, utcunque refocillatus muneribus ſuis denuò incumbit. Miraberis forſan, nos purgantia auſos eſſe propinare huic, dum eryſipelaceo rubore corpus eſſet tinctum, ac ipſimet novimus, ea cum exitio ægrorum in eryſipelate fuiſſe data. Scias tamen velim, nos filum doctrinæ Hippocraticæ præſenti inflammatione externâ, quantum ad purgantia, ſemper fuiſſe ſecutos tanquam cynoſuram & regulam, atque à purgantibus non abhorruiſſe, quando urinæ craſſæ ac nebuloſæ fuerunt, ut hîc contigit, ſi verò tenues & crudæ eſſent, iſta cane pejus & angue à nobis eſſe vitata. Didicimus hoc jam olim ex optimo Hippocratis Interprete Proſpero Martiano *in ſect. 4. de ratione victûs acutor. p. m.* 387. nec in eryſipelate capitis infeliciter ceſſit. Certè D. Preus viduæ eryſipelate capitis veſiculoſo cum æſtu febrili laboranti, præmiſſis præcipitantibus, nitratis potiunculam blandè laxantem, & noctu anodynum porrexit, unde non ſolum caput detumuit, ſed mulier etiam ex voto convaluit. Non aliter cum V. S. comparatum eſt, nos ferè ſemper in eryſipelate quovis, præcipuè verò capitis omittendam eſſe cenſuimus, nec animus eſt, ejus utilitatem in illo aliis commendare, & tamen diffiteri non audemus, etiam ſereniſſimo cuidam Principi, quem noſtris conſiliis pro virili in hoc

morbo adjuvimus, ſine ullo damno ſanguinem fuiſſe detractum. Pariter ſolutione lithargyrii argent ceruſſ. & camphor. in ∇ ſolan. nymph. lactuc. & acet. eryſipelas illinere multi trepidarent. Et tamen prælaudatus ante Collega noſter eryſipelati femoris dextri optimo cum ſucceſſu ſolutionem hanc, quam vulgò lac Virgin. dicimus, calidè aliquoties in juvenculâ applicavit. Sed hæc obiter.

Chloroſis & Cachexia mulierum.

Ingluvie fructuum fœminæ & puellæ quædam in Cachexiam & Chloroſin inciderant. Præmiſſis ſalibus digeſtivis, evacuantibus mitioribus, infuſis laxantibus, interpoſitis ſudoriferis, medelam inveniebant in iis, quibus lymphæ anteà in poris ſtagnanti, jam verò liberiorem motum adeptæ, balſamus reſtituebatur, hoc eſt, in *ſulphureis & aromaticis*, e. g. pulv. ſtomach. Birckmann. Tinct. corall. Elix. propriet. balſam. Elix. vit. &c. & *tonicis* v. g. pulv. cachect. Querc. cum ſtomachico ejuſd. additis oleoſis & aromaticis ac martialibus, ſcilicet Tinct. ♂tis variis cydoniatâ, pomatâ, tartariſatâ, ac limatura martis. Ab anticachecticorum uſu, ne præſenti quidem febri deſtitimus, edocti, cachexiæ magis, quæ febrim fovet, quam ipſi febri tali in caſu eſſe occurrendum. Præclara ſunt celeberrimi Brunneri medicamenta, quæ paucis quibuſdam eximiè profuiſſe novimus.

℞. Extract. cathol. vel
Maſſ. pilul. tartar. Schrœd.
de gumm. Hco aaq. ſ.
☿ dul. ritè parat. gr. vj.
Trochiſc. alhand. gr. j. c. ſ. q. Elix.
Propr. f. pil.

His præmiſſis tertio & ſeqq. diebus adhibetur pulvis viperarum in juſculo caponum. Poſtmodum pilulæ ſequ. ordinatæ ſunt:

℞. Extract. cardui bened.
abſ nth.
cent. min.
croc. or.
Gumm. Hci aa. ʒß
Croc. ♂i. aperit. uſque ad ℥ß

c. ſ. q. Elix. Prop. P. ſ. ac. vel. aperitiv. Glauber. f. l. a. pilul. ex ʒj. no. XXX. Ex his quinque primo, ſecundo 7. tertio autem die 9. duabus ante prandium & cœnam horis in vino accipiuntur, id quod per integros 40 dies adhuc faciendum. Beccheri pilulas multi credunt his efficaciores, hoc tamen certum eſt, quòd continuatio per tantum temporis intervallum non ſit neceſſaria. Poſt prandium cochlear unum eſſentiæ amaræ capiendum eſt:

℞.

℞. rad. galang.
Zedoar.
calam. arom.
croc. orient. an. ℥j.
cinam. acut. ℈jj.
myrrh rub. ℥j.
aloës ſuccotr. ℥vj.
Theriac. Andr. ℥jjj.

Inciſ. & contuſis affunde _Ω_ juniperi ad trium vel 4 digitorum eminentiam, diger. per octid. Colat. ſerv. Curæ coronis imponitur per alcohol. limat. ♂t. At dolendum, quod à pleriſque noſtrarum fruſtra tam longam ſibi quiſquam in adhibendis medicamentis patientiam poſſit polliceri. Pauciſſimæ ſunt, & vix totidem, quot divitis oſtia Nili, quæ non curam tanto temporis intervallo demum abſolvendam horreant.

Sub finem hujus anni peſſimè valebant ſenes. Quamvis verò omnia illa ſenectutis incommoda, quæ Celſus lib. 2. c. 1. facundè recenſet, *nocturnæ,* inquam, *vigiliæ, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueque ſoluta alvus, & quæ ſequuntur hanc, tormina, vel levitas inteſtinorum, cæteraque fuſi ventris mala hos illos premerent.*

Plures tamen ſpirandi difficultas, ſtranguriæ ac dyſuriæ doloreſque articulorum aut graviſſimis exercebant moleſtiis, aut iis lethales erant. Quantum attinet difficiliorem ſpiritum ſenum, haud inficiari poſſumus, quod in quibuſdam non ab affecto pulmone, atque ibidem hærentibus craſſis ſuccis proficiſcatur, ſed potius ab impotentiâ thoracis, diaphragmatis & muſculorum intercoſtalium pendeat, quod pro ſagacitate ingenii ſui jam Plato in Timæo agnovit. Notum enim eſt ex Phyſiologiâ, quòd pulmones motum thoracis ſequantur, ac cum eo dilatati aëri pondere ſuo irruenti ſpatium & aditum concedant, à lateribus vero prædicti thoracis compreſſi, aërem expellant. Notum & illud eſt, quòd motus thoracis à motu muſculorum & diaphragmatis pendeat, quâ de re legi meretur Progymnaſma quintum Celeberr. Bohnii in *Circulo Anatomico-Phyſiolog.* Hinc verò fluit, quòd, quando fibrarum muſcularium, ut in ſenibus fit robur elanguit, externi aëris pectori & abdomini incumbentis preſſioni vires ſuas muſculi jungere nequeant; hoc verò dum fit, reſpirationis negotium in iis ſufflaminari neceſſe eſt, quòd pulmones nec debitè explicentur, nec comprimantur, ut par eſt. Enim verò in pleriſque ſenibus hoc tempore reſpirationis difficultas ex infarctu pulmonum ac lento viſcoſoque phlegmate in bronchiis ſtagnante ortum trahebat, nam ad humidum inclinans per æſtatem & autumnum aëris conſtitutio multis ſupervacuis humoribus in partibus laxioribus onerarat ſeniô debilitatos, quos frigidior aura inſenſibilem per poros tranſpirationem, ac noxiorum humorum excluſionem turbans auxerat. Apud pleroſque iſtos ſenes etiam fre-

Senum aſthma.

 quen-

quentia, viceſque inſenſibilis per pulmones tranſpirationis diminutæ explentia ſputamina, ob quæ, judice Sanctorio in *Med. ſtatic.* vitam illi protrahunt, deſierant. Profuit egregiè Decoctum ex rad. helenii condita & aquis pectoralibus paratum, calideque in magna quantitate hauſtum. Tinctura aſthmaticâ, quæ in Pharmac. Bateanâ deſcribitur, cum emolumento utebatur non nemo, ſed cochleatim mane & veſperi. Inter ingredientia rad. helenii, iridis, fol. ſenn. el. non poſtrema ſunt Gummi ♓ cum ac ex eô parata e. g. ∽ aſthmat. ſeu viridis æris compoſit. D. M. ⊖ Al. oleoſ. ♓cale &c. ex parte miſeros ſublevârunt. Nec eſſentia Tabaci cum judicio adhibita ſpernendæ eſt utilitatis. Uſi verò ſumus ſequenti:

℞. fol. peti parum ſiccati q. v.
probe irrig. cum ∽. ⊖ ♓ci vinoſ.

ſtent in locô calidô per aliquot dies, poſteà fortiter expreſſis affunditur ſpiritûs pectoralis vel aromatici pro lubitu q. ſ. ſervaturque in digeſtione per octiduum &c. Sed tamen fatendum eſt, omnia hæc non ſufficere, niſi horis matutinis lenis expectetur ſudor. Itaque alte memoriæ impreſſum eſſe debet illud clariſſ. Liſteri: ſenex unicè *perſpirabili promovendo incumbat, ſi vitam diu prolongare ſanus velit.*

Senum ſtranguria &c.

In aliis ſenibus cùm perſpiratio eadem non expeditum haberet exitum, ſuperflui humores ad vias urinarias declinabant; hinc in quibuſdam urinæ exitus ob ductus viſcoſis humoribus obſtructos præcludebatur; in aliis ſerum urinarium acrius admiſtione ſepticorum humorum redditum, mictui non levem adferebat moleſtiam; in aliis calculi & arenæ gravando, ac vellicando ſphincterem muſculum excruciabant. His incommodis tantò gravius exagitabantur, quo ob majorem ſenilis ætatis imbecillitatem veſicæ corpus ad propulſionem contentorum minùs erat aptum. Multò minorem hi ex remediis conſequebantur utilitatem, quàm priores, niſi amplecterentur eum vivendi morem, qui tranſpirationi promovendæ magis favet. Opobalſami genuini virtus præ cæteris omnibus remediis laudem meretur.

Senum dolores arthritici.

Inexorabile fatum urgebat quoſdam arthriticos ſenes, quos inter fuêre, qui verba illa ſancti Gregorii, qui non tantum dignitate, ſed eruditione ac pietate Magni nomen adeptus eſt, ſibi antehac *ex lib.* 7. *Epiſt.* 129. *col.* 311. applicare potuerant: *Ecce, jam undecim menſes ſunt, quòd valdè rarum eſt, ſi de lecto ſurgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ, tantisque moleſtiarum doloribus premor, ut vita mea mihi graviſſima pœna ſit. Quotidiè enim dolore deficio, & mortis remedium exſpectando ſuſpiro*: tum iſta ex *lib.* 8. *Epiſt.* 35. *col.* 329. *jam biennium penè expletur, quo lectulò teneor, tantiſque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam, miſſarumque ſolennia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum poſſim*

inter-

interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus eſt, interdum nimius, ſed neque ita lentus, ut recedat, neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidiè in morte ſum, quotidiè repellar à morte. Hæc, inquam, verba per aliquot annos adhiberi ab iis potuiſſent, ſed hoc auctumno immanes dolores ita crevère, ut cruciatibus confecti placide exſpirarint. Dico placidè: nam pleroſque aliquo ante mortem tempore dolores deſerunt, languore ſolo, eoque ſummô ſuperſtite. Itaque hoc anno apud nos Hippocratis *Aphoriſmus* 18. *ex ſect.* 3. *Æſtate & autumno aliquantiſper ſenes optimè degunt*: locum non habuit, ſed potius 39. *ex ſect.* 2. *Senes magnâ ex parte minus, quam juvenes ægrotant, quicunque autem ipſis longi morbi acciderint, ſæpè ad mortem comitantur.* Ferè autem pollicem premimus Celeberr. Tozzio, perſuaſo, eoſdem humores, qui in ſenibus in viis urinariis ægritudines excitant, parere arthritides ſi in artus deferantur, neque in eo recedimus ab ipſo, quòd iiſdem penè medicamentorum generibus pathemata hæc arthritica curari debere arbitretur, quibus ſuccurrimus ſenibus in læſâ ac depravatâ urinæ excretione.

Conſtitutum nobis erat huic noſtræ Hiſtoriæ intexere ſpecialiſſimas de morbis ex cereviſiâ & vino ortis obſervationes. Communis enim querela eſt, apud nos cereviſiæ vegetabilia quædam addi & in dolium ſuſpendi, quæ non omnibus conveniant, ſed potius has illas ægritudines excitent. Origanum vulgare jam olim recenti cereviſiæ, ne aceſceret, fuiſſe infuſum, ex Clariſſ. Schwenckfeld *Catalog. ſtirpium & foſſilium Sileſiæ* intelligere licet. De rore marino ſylveſtri res eſt longè notiſſima. Alia accuſationum capita hâc jam vice non attingam; ne illud quidem, quod nimis exigua lupuli pars cereviſiæ noſtræ, ſi plebejos audias, incoquatur. Conringius noſtram cereviſiam laudandam potius fuiſſe crediſiſſet, nam eô autore lib. *de habit. corporum German.* cauſis, recentiore demum invento lupulus *acceſſit accelerandæ ebrietati, acuendo ſapori & in diuturnitatem quidem cum nutritionis tamen detrimento haud exiguo. Et verò cereviſiam, quæ à lupulo amaricat, minùs dulcioribus nutrire, docet uſus.* H. I. *p. m.* 79. Multi etiam vehementer declamant in Oenopolas, ac ſunt, qui in hos quadrare ajunt, quod legitur in aureo libello Adriani Turnebi *de vino*, ſub finem: *alius gypſo, alius calce, alius ſulphure, alius marmore, alius aquâ marinâ, alius jumentorum ſtercore, ut honos præfandus ſit, ſaporem vini non tam excitat, quam vitiat, alius reſinâ corrumpit ad capitis vertigines efficaci, ut ex eo nomen crapulæ ipſa meruerit*, alius aliis mangoniis, quæ recenſere longum foret. Quô ipſô ſine dubio graviſſimè peccant, & judice Eraſmo in *exornologeſi Tom.* 5. *oper. p.* 137. *non ſolum ſuffurantur rem hominis, verùm etiam vehementer lædunt valetudinem, nec multum abſunt à veneficio. Quot enim morbos, quot mortes experimur ex vitiatis vinis inter homines naſci?* In his recenſendis non occupabimur, nam, ut verum fateamur, illa, quæ viſi nobis ſumus obſervaſſe, nondum animo ſufficiunt noſtro, eaque uberioris experientiæ fide confirmanda eſſe credimus.

Quid

Quid de fœdo vini etiam non corrupti abuſu dicemus? Certè quaſi ex tripode profecta ſunt aurea illa Patini verba in quæſtione medicâ *de ſobrietate: Qui pauco vino utitur, eoque dilutiſſimo, ille vitam ſuam amat, & infinitis ſe ipſum beat commodis, ex ejus abuſu maximorum morborum ilias profluit. - - - Vinum dubius eſt amicus & anceps Proteus, bonum præſens exiguum, malum emergens graviſſimum; Vitam facit alacriorem ac vegetiorem, ſed breviorem, idemque præſtat corpori, quod calx ad arboris radicem conſperſa, fructum quidem accelerat, arborem autem perimit, ita vinum ſuſcitato calore ſpiritus facultateſque erigit, mortem verò maturat, dum infinitos affectus invenit, nullâ ferè Herculis clava debellandos: Apoplexiam &c.* Aliûs etiam ſeu otii, ſeu laboris res erit deſignare ſtatum Medicinæ, qualis apud nos eſt, & paſſim tritas ad Medicæ felicitatis apicem numeroſam, inquam, Praxin graſſandi vias. DEUS modò à celeberrimâ hâc Civitate jubeat in perpetuum abeſſe, qui cum Medicis Hibernis, teſte Richardo Stanihurſto Dublinenſi *de reb. in Hiberniâ geſtis lib.* 1. *p. m.* 44. *inanes eſſe confirmant hominum conatus in hoc exiguo vitæ curriculo Medicorum ſeſe libris involvere, quorum lectio eſt adeò infinita, ut prius moriendo naturæ, quam curatione ægrotis Medicinæ ſtudioſus ſatisfaciat.* Colophonem imponimus opuſculo toties interrupto, duplici Anatome, quarum unam in infante abſque membris ſexum diſtinguentibus nato celebravimus ipſimet, alteram verò Georgius Tompſonus, in adoleſcente ex peſte mortuo, & hanc tanto quidem magis, quòd periculum ex Peſte nondum ceſſaverit apud nos, & *experimenta admiranda*, in quibus *p.* 21. *ſeqq.* continetur, in pauciſſimorum Doctorum armariis contineantur. Priorem huc transferemus ex *Novis Literariis German. A.* 1704. *p.* 48. *& ſeqq.* quamvis integro anno poſteriorem.

In pago Gabiz vix paucis ſtadiis à Uratislaviâ diſtante, (qui plurimùm Reverend. Dnn. Canonicis Regular. Lateran.Ord.St.Auguſt. paret] A. 1703. d. 25. Novemb. natus eſt plebejis parentibus infans, de quô adhibere poſſes illa Haly alicujus verba apud Schenck. *l.* 4. *Obſ. p.* 573. *Vidi, qui natus eſt, & non habebat neque vulvam, neque priapum, neque teſticulos &c.* de cujus ſexu, utpote qui, ut diximus, membris genitalibus deſtitueretur, meritò dubitatum. Ut itaque ei nomen in baptiſmo conveniens imponi poſſet, ex voluntate Reverendiſſimi Domini Prælati Johannis mea hâc de re ſententia fuit perquiſita. Suaſit caſûs raritas, ut DDos Collegas meos, ad inſpectionem invitarem, qui etiam pro ſuâ in me benevolentiâ in ædibus meis comparuêre. Solicitè contemplati ſumus infantem, & deprehendimus, quòd, quantum ad magnitudinem, figuram, nitoremque membrorum ſupremæ regionis ac thoracis, nihil quicquam ei deeſſet, niſi quòd in hâc nullum papularum veſtigium inveniretur. In abdomine protuberabat umbilicus ad ovi ferè magnitudinem, ut etiam nobis de herniâ umbilicali ſuſpicio naſceretur. In prominentiâ illâ conſpicuus erat livor, qui gangrænam mini-

minitari videbatur. Supra os pubis cernebantur orificia duorum ductuum, ex quibus, ejulante aut etiam vehementius reſpirante infante, quando neceſſitas urgebat, feces excidebant, & urina effluebat. Ex dextro illo hiatu magis urinam, ex ſiniſtro verò feces alvinas prodiiſſe obſtetrix cum domeſticis narrabat. Siniſter ille ductus ſtilo exploratus eſt, eumque promptè ferè ad longitudinem indicis digiti admittebat, dexter autem brevior erat. Foramina hæc duo muſculoſo integumento veſtiebantur, & ab uno ad alterum è tranſverſo patebat ſtilo aditus. Si unquam, certè in hoc exemplo patuit, quantum reſpiratio momentum ad promovendas feces conferat. In infimo ventre, intra oſſis pubis & ani regionem, ex quâ aliàs in viris extra abdomen ſcrotum propendere ſolet, burſa quædam ad modum ſcroti conformata prominebat. Anus planè aberat, ſive, ut cum Horatio loquamur, *non hiabat turpis inter aridas nates podex.* Præterea torto erat pede altero, ſimilis, ſi vixiſſet, futurus Democidi, de quo Plutarchus in Laconicis. In dubiâ hâc de ſexus hujus infantis quæſtione, quæ inſpectione prorſus decidi non poterat, placuit, ut nomen Germanicum Gottlieb ei inderetur. Poſt octiduum, die dominicâ, iterum hic infans, qui nunquam ubera ſolicitavit, (ſolo pane aquâ macerato, & linteo involuto, vitam ei ſuſtentante) denatus eſt, & ſequente die Martis d. 4. Decembr. cadaver anatomicæ Collegii noſtri inſpectioni, præſentibus Plur. Reverendo *Dn. Joh. Cramer*, Canon. Regul., & illuſtri Viro Domino *à Conrad*, Canonicorum Regul. Cancellario & Conſiliario &c. aliiſque patuit. Sacculus ille extra abdomen propendens, humorem urinæ ſimilem ad 4. vel 5. circiter cochlearia, cœcis ductibus in illam cavitatem effuſum continebat; aliàs nullum planè ſignum teſticulorum præſtò erat. Nec minus cautè fuit ſecta illa protuberantia umbilicalis, in quâ portio inteſtini coli latebat. In hoc ipſo, præter eum, quem in nominatâ modò bursâ ſcroto analogâ humorem offendimus, etiam excrementa ejus generis, qualia deinceps in inteſtinis, ſpectabantur. Huic prominentiæ ſubtenſum erat peritonæum, nec ullo vaſe, aut ductu, aut proceſſu pertuſum. Aperto abdomine admirati ſumus raram inteſtini coli conſtitutionem. Notum eſt, quod inteſtinum hoc principium habeat à cœco, ac primo quidem reni dextro *membranea connexione* appendatur, deinde verò *anfractuoſo ductu ſub fimbria hepatis, & ſub veſiculâ felleâ ventriculi fundum perreptet, ac inferiorem lienis marginem contingat*, eidemque annectatur, iſtinc verò deſcendat ad os ilii, à quo per ſiniſtrum inguen pelvim petit. Nec ſecus hactenus res erat in hoc infante comparata: at quia veſica nulla prorſus aderat, hinc fundum ejus, quod ordinariò fit, utrinque amplecti non poterat. Tametſi verò ſurſum denuò per inguen dextrum aſcenderet, non ſiniſtrorſum tamen recurrebat, neque inter ileon & ſpinam dorſi ſeſe immergebat, multò minus ſupremam oſſis ſacri partem attingebat, ſed validè oſſi pubis alligabatur, ac ex eo propendebat, ac hinc verſus umbilicalem illam promi-

nentiam revolvebatur, quam ubi attigiſſet, rupturam fuerat paſſum. Hinc autem per ductum ſiniſtrum, ſub integumentis excurrentem uſque ad foramina ſuperius deſcripta, cujus cum prominentiâ illâ umbilicali connexionem autopſia demonſtravit, feces viâ ſatis anguſtâ amandabantur. Inteſtinum rectum prorſus aberat. Cum curâ etiam indagavimus, an vel uterus, vel aliquod ei proportione reſpondens alicubi lateret, ſed fruſtra eramus. Præterea in infima abdominis cavitate, ut diximus, veſica deſiderabatur. Et hæc veſicæ abſentia cauſa erat, cur oculos converteremus ad renes, in quibus tamen nihil præter naturam conſtitutum inveniebamus. Ureteres è concavâ renum parte protendebantur, & in appendices cartilaginoſas utrinque deſinebant. Atque ita ſatis manifeſtum eſt, quòd ordinariò urinam excipiendi ac ad pyriforme veſicæ vas deferendi miniſterio in hoc ſubjecto non fuerint defuncti. Hæc via, cum naturæ quaſi præcluſa eſſet, illa ſibi invigilans, ſerum excrementitium ad inteſtina derivavit, in quibus humor urinæ formis fecibus miſtus fuit deprehenſus. Cæteræ abdominis ac thoracis partes optimè erant conſtitutæ. Luſtratis infantis extis, matrem adire placuit: ſed nihil quicquam ex ejus ad interrogata reſponſis extundi potuit, unde cauſa vitioſæ conformationis cum aliqua veriſimilitudine colligeretur.

Tompſoni Anatomia Adoleſcentis ex peſte mortui Anno Domini 1665. Urbis Londini uſque adeò luctuoſiſſimo multa millia capitum ſingula quaque hebdomada demetente furibunda Epidemia, Auguſti circiter nonas, Dnum *Guilielmum Pick*, Cornufabrum vici *Pettecaot* Incolam, ad *Adami* & *Evæ* inſigne, habitu Athletico dotatum, ab infectionis ſagitta permiſerè ſauciatum inviſi. Iſte poſt faſtidioſæ Pharmacorum farraginis ſumptionem à Dogmatico pro deplorato depoſitus, artis chymicæ præpollenti virtute adſpirante divino Numine, reſtitutus fuit. Per idem tempus famulus ejus annos 15. natus malo epidemico cum maculis nigris (indubio mortis indicio) per univerſam cutim diffuſis aliiſque horridis phœnomenis ſtipato laborabat, quæ adoleſcentis vitam citò finiebant. Hæc data eucæria, patientem jam convaleſcentem rogabam, ut ſervi defuncti interiora detegendi licentiam in ſcientiæ Jatricæ provectum, generis humani charitatem, ſcepticorumque ſatisfactionem mihi concederet. Cum rationibus convictus annuit, non ſine benigna zelotypiâ, ne hac curioſitate inſolita vitæ meæ damnum incurrerem. Demum impetrato, quod ab aliis crebro negatum fuit; operi meipſum accingo, 🜍 in catino tuſco ſub cadavere in Areola ſub dio locato, accenſo, nonnulla diſſectioni accommodata, ſuppeditante patris familias conductitio, ſublato loculi operimento, ac linteo cadaverali amoto; Maculas atras inſtar lyncis ubique in ſuperficie diſperſas ſolito numeroſiores, ac graviores maximo cum ſuſpectu contemplabar. Quorum aliquot apertis materia congelata ſeſe oſtendebat. In Peritonæo perforato Ichoris, lutei, virulenti, viridiſque palleſcentis portiuncula fluctuabat. Inteſtinis

flatu

flatu venenoſo diſtentis ſcoriæ olidæ copia continebatur; aſt præter vulgarem ſententiam in convexo à notis nigris immunia, in concavo vero ſtigmata obſcura prægrandia à liquamine tabido inuſto comparebant. A Vena Porta, nec non Arteria Cœliaca, ſeparatis, ſeroſus ſolus liquor effluebat, nequicquam rubicundus, ſed intus reſidebat ſubſtantia opaca valde concreta. Jecoris Parenchyma ſciſſum palleſcebat, excrementum ſubflavum plorans. Lien diviſum ſerum liquidum inuſitatum emiſit. Renes aqua citrina ſcatebant exſangui, prout cætera viſcera. Deinceps in ſtomacho patefacto ſuccus veluti atramentum ſcriptorium, tenax, niger, uſque ad Oinopintæ modum comprehendebatur. Hujus membrana erat decolor ſed non pertuſa, ceu Helmontius in re tali tradit, ac ſi cauſticum potentiale applicatum fuiſſet. Poſtea à regione infima ad mediam aſcendimus, ubi ſterno à Mediaſtino divulſo, Pulmonis, in partes extimas, ſqualidè ſtigmata tumefacta conſpiciuntur, alicujus continuitate partium ſoluta, ſanies putida, luridusque Ichor βορβορώδης, ἄναιμος emanabant, vaſis magnis perſectis ſanguinis aliquantulum fluxum expectavi; ſed aliter res habuit, nil certe niſi liquoris tenuis depravati paucula cochlearia ab exiguo ſudario expeditè abſorbenda evadebant, ubi intus Thrombi ſecundum longitudinem extrahendi reperiebantur; Poſt Pericardii aqua fulva repleti disjunctionem dextrum cordis ſinum ſcalpello penetravi: unde digitis apprehendens materiam candidam coactam, leniter eduxi; pertractans, animoque ſtrictè revolvens cui aſſimularetur, in momento, ne quidvis Parilius eidem reſpondere videbatur, quam teſticulus agni bipartitus, ſervi ſpectatoris arbitrio aſſentiente. Cæterum hujus ſubſtantiæ albæ (obſcurè rubentis vice) in hoc loco rariſſime repertæ, rationem (ſub emunctioris judicii pace) à temeraria imprudentique nutrice Adoleſcenti haud pridem ante obitum illius meri lactis hauſtum obtrudente, deducenti licet; quod è Stomacho raptum in hac extrema exigentia; per vaſa lactea, vel alios ductus pro vitæ ſuſtentatione, aliquantilla in cordis cavitatem tranſmittitur, ubi nullam vel pauxillam alterationem τῆς αἵματος ποιητικοῦ in defectu, ſubjiciens, in hoc ens glanduloſum, fermenti materialis tranſſumatur. Succum fuliginoſum atrum, cerbero dignum, pro candido in ventriculo protopeptico, agninamque albam materiam pro cruore ſubnigro in cordis ſinu reponi vix auditum eſt. Hoc hyſteron proteron fermentum deleterium, quod in tubis Hæmaticis mirifice contextis, Nectar ſolare penè totum, vel coagulaverit, vel colliquaverit, ita ut ne ſanguinis cochleare, ſine labe in hac carne morticina reperiri poſſit. Finita eviſceratione, mox rigiditatem, quaſi toporem quandam in manu ſiniſtra, cadaveris Tabe 10 vel 12 horas vita orbati tepido, madefacta ſenſi; quam emundatam, ſupra 🜍ris igniti vas aliquantiſper detinui, ſed incaſſum: nam ſeriùs ejicitur, quam non admittitur hoſpes. Quippe corpuſcula illa ſubtilia vafra, in manum cutis poris ab ambiente tepore apertis, Archeo tergiverſante, deinde morbo

ſuccumbente, ac quidem ad animæ regiam conducente prompte erepſerant. Qui Spiritus Ideâ Morbi informatus, ut primùm ſe eodem veſtiviſſet, venenum peſtilentiale, in ſuam perniciem, Tragœdiam acturus erat. Jamjam Peſtem circumfero, aliquandiu ſilentem malignitatem, per omnia membra diſpandentem: dum interim viſito, ab aliiſque viſitor. Opem, quâ ipſe indigeo, aliis adminiſtrans, plus de aliorum quàm propriâ vitâ ſolicitus. Sic huc æquè illuc obambulo, dum hoc virus membra depaſcitur. Bene edi, bibi, ſermocinatus ſum, dormivi uſque ad horam ſecundam diei ſubſequentis Saturni matutinam. Quando expergefactus, recolligensque quid poſtridie feciſſem, parem in femoribus ac tibiis ſtuporem, quem antea in manu percepi, mihi invito ante oculos ſtigmatibus nigris aſſiduè obverſantibus: ſine mora ſervum inclamitavi, juſſique, ut Pharmaca præſtantiora, juxta Epigraphen confeſtim porrigeret, interminatus illi, ne à noſtra miſtura deviaret, nec anguſta quantitate eadem mihi propinquaret, quibus ſedulo obſervatis, quintuplam ſupra quoſvis ſub tutela noſtra poſitos menſuram abſorpſi: abunde nempe cognovi quod Hippocrates ſuggerit ἐς καὶ τὰ ἔσχατα νοήματα αἱ ἔρχα δὲ θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισαι. Analogia inter morbum & remedium ab Auxiliatore fido ſolicite, ac mature attendi debet. Quem ritum ſi per duas horulas neglexiſſem in dubium vocatur, utrum à quovis in rerum natura ſanabilis eſſem? tanta erat hujus luis magnitudo, atrocitas, actionique celeritas, nullas inducias admittentes.

Etenim ſomno ſolutus in ventriculi ore intolerabilem prægravationem, anguſtiam, conquaſſationem, in capite vertiginem, tamque repentinam defectionem ſuſtinui; ut robur mihi vix ſuppeteret, ad tyronem faciendis admonendum. Quin etiam ubi ante hæc à 3 vel 4 unciarum ſpirituoſi liquoris ſumptione, ſudor actutum eruperit, jam plus quam de eo ad calorem in inferioribus conciliandum ſufficeret. Adde quod maculæ per cutim diſpalatæ, plane denotabant ſanguinem ad πῆξιν feſtinare, inter quas una colore livido piſi grandioris dimidiati planitiem æquans, in cubiti flexura eminebat, circa quam obſtantibus amicis non parum intentus fui: Jam tandem poſt inquietudines, luctamina, multivariaſque agonias, mador univerſus emerſit, quo ſtatim refectus fui &c. Merentur etiam cætera lectionem, ſed quæ nimia Typographi feſtinatio addere non permittit.

DEO *ſit laus & gloria!*

APPEN-

APPENDICES DUO.

I.

TRACTATUS
PHILOSOPHICO-MEDICUS
DE EXPERIENTIA,

In quo natura Experientiæ deſcribitur, & quam cautè comparanda ea ſit, explicatur.

II.

OBSERVATIONES PRACTICÆ
DE HYDROPE PECTORIS,

In quibus de ſignis & cauſis occultioris hujus morbi, ac curandi ratione diſſeritur.

A

LEOPOLDIN. ACADEM. NATUR. CURIOS.
COLLEGIS VRATISLAVIENSIBUS

editi, atque

HISTORIÆ MORBORUM VRATISLAVIENSIUM
ſubjuncti.

TRACTATUS DE EXPERIENTIA.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

E*Xperientiam uno ore extollunt omnes.* PLATONI *magnum quid & ubique optimum,* GALENO *omnium judicatrix,* PROCOPIO *rerum omnium magiſtra eſt experientia. Experientiæ Artes ortum, incrementa & perfectionem debent. Præcipuè Medicina abſque experientia cadaver eſt, & maximè profeſſos nobiliſſimam iſtam Artem nobilitat. In experientiæ fide theſauro colligendo hinc totus literatus Orbis deſudat. Et ſpes eſt, ſi cultiſſimæ nationes,* Germanica, Italica, Gallica, Anglica *&c. ita pergant in communicandis experimentis, fore, ut poſteritatem, ſi quæ ſperanda eſt, bonis invidendis cumulent. Quæ tamen rerum humanarum eſt infelicitas, videmus & dolemus, quod non omnibus in hoc occupatis labore res ex voto ſuccedant. Cujus rei cauſas ſcrutati comperimus ab eruditis etiam hanc aſſignari, quod*

præcepta condendi experientiam non ſufficienter à quoquam ſint enarrata, & nexu ſcientifico inter ſe conjuncta. Et illa quidem vix uni homini, etiamſi is à nullâ eruditionis parte imparatus ad hanc ſpartam exornandam veniat, facilè incident. Dum verò cogitamus ſubinde de defectu hoc ſupplendo, nulla via nobis occurrit alia, quàm ut ab eruditis in hoc ſtadio cum laude & gloriâ nominis ſui ſumma currentibus cautelæ in unoquoque genere rerum naturalium experimenta facturo neceſſariæ liberaliter communicentur, ut integer de experientiâ tractatus ſuo tempore conſtrui poſſit. Interea lineas aliquas duximus, quæ ſuo tempore emendari ac refingi poſſunt. Quod vero deinde de conſtruendis univerſalibus propoſitionibus ex iis, quæ experientia ſunt cognita, adjecimus, eò afferuntur, ut Viri eruditi anſam hinc ſumant cogitandi de ſyſtemate quodam conſtruendo, in quo propoſitiones tantùm invenirentur tales, quæ ex experimentis ritè inſtitutis accuratè eſſent deductæ. Hâc vice vero tantùm propterea hunc tractatum Hiſtoriæ Morborum ſuccenturiavimus, ut benevolis Lectoribus innoteſceret, quibus ſubnixi fundamentis has illasve cautelas & judicia intermiſcuerimus, dum hiſtoriam morborum texeremus. Quodſi, benevole Lector, conatus noſtri Tibi non diſplicuerint, de aliis materiis Clinicam illuſtrantibus cogitare non intermittemus. Vale!

CAPUT PRIMUM.

De Experientiâ in genere, & eâ, quæ alienâ nititur fide.

§. 1.

CUM propoſitum noſtrum ferat, paulo accuratius inquirere in naturam Experientiæ, methodi leges obſervare non fortaſſis abs re fuerit. Hoc ut fiat, neceſſarium ante omnia eſt, breviter annotare, quòd experientia duobus modis accipiatur. *Primò* enim experientia nihil aliud eſt, quàm *notitia ſive cognitio ſingularium unius ejuſdem ſpeciei;* ſive ut Alexander Aphrodiſienſis extulit in 1. *Metaphyſ. unius ſingularis ſæpè repetiti;* ita, cum novimus, quòd ſal centaur. min., abſinthii, card. bened. &c. febri tertiana liberarit Petrum, Paulum, Johannem &c. dicimus, nos id experientiâ habere cognitum, quòd ſalinis hiſce febris tertiana expugnetur. Conf. *l.* 1. *Metaph.* Ariſtot. *c.* 1. Deinde *ſecundò* experientia, præter illam cognitionem ſingularium ſignificat etiam collectionem, ita ut cognita ſingularia habeant in iſto diſcurſu rationem antecedentis, ex quibus deinde elicitur conſequens, v. g. cùm eſſentiæ violarum ⁓us ⊖l. remixtus ſtiterit hæmorrhagiam narium in Platone, Ariſtotele, Georgio, &c. ergò etiam ſiſtet effluxum ſanguinis in Andreâ; quæ collectio itidem experientia appellatur.

§. 2. Quòd experientia notet cognitionem quandam & notitiam ſingularium in uno convenientium, nemo dubitat: Inde Acorambonus Nobilis Philoſophus Italus *in annotat. ad Ariſtot. p.* 755. ait, *eſſe recollectionem & rememorationem plurimorum particularium in uno convenientium, quorum habemus memoriam.* Et hoc modo accepta differt experientia ab *actu ſentiendi*, qui conſiſtit in hoc, quòd *ſenſus recipiat ſpeciem quandam ſenſilem, quæ ei à re objectâ imprimitur, per quam imaginem percipitur & cognoſcitur res objecta:* Nam actus ſentiendi nec eſt recollectio quædam, nec convenientiam plurium in unâ quâdam re agnoſcit pro objecto; ut taceamus, quod experientia eſſe poſſit, more cæterorum habituum, in dormientibus: in quibus actus ſentiendi nullus animadvertitur. Non negatur tamen, quòd actus ſentiendi ſit cauſa ipſius experientiæ, vel occaſio; quâ de re poſtea. 2. Differt ab habitu, quem Philoſophi vocant *intelligentiam, nec non à ſcientia & opinione;* intelligentia enim *principiorum*, ſeu *primarum propoſitionum I. Top. c.* 1. ſcientia verò & opinio ſunt notitiæ *concluſionum*, & ſcire quidem tùm dicimur concluſiones, cùm *rerum in concluſione ſignificatarum cauſas novimus, & cauſarum cùm rebus illis tam arctum nexum, ut certiſſimi ſimus, has cauſas eſſe ipſarum rerum cauſas*, 1. *Poſt. c.* 2. opinionem verò de concluſione con-

 cepimus,

cepimus, cùm notitiâ, *cum formidine oppoſiti conjuncta*, *animus noſter de iis imbutus eſt*; *lib.* 1. *Poſt. c.* 33. Quia verò experientia differt à ſcientia & intelligentia, utique differet etiam *à ſapientiâ*, quæ eſt habitus compoſitus ex intelligentiâ & ſcientiâ, 7. *Eth. ad Nicomach. c.* 7. Porrò differt etiam *ab arte*, nam & ars quodammodò eſt univerſalium, experientia ſingularium, 1. *Metaph. c.* 1. ut non dicamus, quod per experientiam etiam ars generetur, docente Ariſtot. *l. c.* Idem dicendum de prudentiâ, de cujus differentiâ ab experientiâ præclarè diſſeruit Conring. *lib. de Civil. Prudent.*

§. 3. Verùm his miſſis, digrediamur ad paulò penitiùs ſcrutandam experientiæ naturam. Innuimus ejus fundamentum eſſe poſitum in ſingularium cognitione; quod cùm ita ſit, in propatulo eſt, ſingularia certò nobis debere eſſe cognita: Innoteſcunt verò nobis tùm *aliorum relatione*, tùm *propriis ſenſibus*. Sæpiſſimè verò contingit, ut fabuloſa Auctorum decipiamur relatione. Id quod innumera comprobant documenta. Pauca in rei fidem annotemus, exorſi ab elementis. Plinius *in Hiſt. Nat.* refert, nullum eſſe ſuavius *odoramentum*, *quam terræ alicujus ſimplicis*; & Franciſcus Verulamius, de *vitâ & morte*, teſtis eſt, glebam terræ, horis matutinis, tempore æſtivali, optimè olere. Non dubitamus, quin uterque ſibi, tanquam propriis ſenſibus rem experto, credi velit: At verò falſa narrant, niſi forte fuerint decepti, & exiſtimarint eſſe terram ſimplicem, quæ vel exhalatione quâdam vel rore fuit imbuta; conf. Ariſtot. *in problem. ſect.* 12. *problem.* 3. Circa aquam, etſi fortè alicui id videri poſſet incredibile, quod Anshelmus Boëth. de Bood *lib.* 2. *de Gemm. c.* 300. memorat, in *avernis propè Hergobiam*, *non procul etiam Vienna Allobrogum*, *nec non mœnia oppidi Veronii in Galliâ*, *fontes eſſe limpidiſſimos*, *qui ſtatim in lapides concreſcant*, quod & ex Thomâ Moreſino de ſimili in Moraviâ Scotiæ provincia ſatagit reddere credibile; hoc, inquam, ut non notemus, ſolus Plinius plurima ſuppeditat exempla *l.* 31. *hiſtor. Nat. c.* 2. Ita in Indiæ terris narrat eſſe fontem, *cujus aquæ lucernæ inſtar ardeant*; *Cranone eſſe fontem calidum citra ſummum fervorem*, *qui in vinum additus*, *triduò calorem potionis cuſtodit in vaſis*; *in Africæ lacu*, *Apuſcidamo*, *omnia fluitare*; *fontem linguæ tranſire ſolere in loca vicina*, *cum portendit aliquid*, *& incolas à piſcibus reſponſa petere cibo*, *quem rapiant annuentes*, *caudis abigant*, *ſi eventum negent*, & alia hujus generis plura. Mirum verò eſt, quod in eodem capite addat: *Quòd ſi quis fide carere ex his aliqua arbitratur*, *diſcat in nulla parte naturæ majora eſſe miracula.* Putavimus Plinium ſcribere Hiſtorias naturales, cum audiamus eum miracula pangere. Conf. Solin. *p.* 339. nec non Bootium *p.* 534. Verùm adeò frigidæ ſunt narrationes, ut ab aqua ad ignem lubentes properemus. Mirabilem verò etiam illum per multa ſecula ſine alimento viventem memorat Hermolaus Barbarus in agro Patavino juxta oppidulum Ateſtæ, ſua ætate inventum. Petrus quoque Appianus *in inſcript. antiq. p.* 337. urnæ utriuſque, cui incluſa fuerat flamma, figuram exhibuit. Id verò doctiſſimo alicui viro, ſi ipſum audias, fabuloſum videtur:

videtur: Duo enim naturaliter tantùm excogitari poſſunt modi, quibus ſine novi pabuli acceſſione ignis maneat inextinctus, 1. ut *omne contrarium amoveatur*, 2. ut *flamma in halitum abeat*, *qui denuò in oleum concreſcat*, quod deinde in lucernam redeat; verùm poſterius arte fieri nequit, etiamſi enim vel maximè oleum ex halitu educas, oleum tamen illud accenſum abibit in fuliginem; nec primum fieri poteſt, quia ignis purus non exiſtit, & id, quod cum igne conjunctum eſt, partes ignis una abripit, aut ſi exitus fuerit obſtructus, quaſi repercuſſus partes ignis dirimit, eundemque extinguit. P. Magnanus in aëre quorundam mineralium & plantarum ut & animalium ſemina, aut ſpiritus halituum ſpecie incluſos deliteſcere profitetur, jactatque experientiam, ſed, ut multorum opinio, fruſtra eſt.

§. 4. In meteoris eodem modo res ſe habet. Plinius *l.* 2. *H. N. c.* 37. agens de Caſtore, Polluce, Helenâ, *Vidi*, inquit, *nocturnis militum vigiliis, inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie eâ: & antennis navigantium, aliiſque navium partibus ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, ut volucres ſedem ex ſede mutantes: graves cum ſolitariè venêre, mergenteſque navigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes; geminæ autem ſalutares & proſperi curſus prænunciæ, quarum adventu fugari diram illam & minacem appellatamque Helenam ferunt.* Cardanus, quod de Helenæ ſidere ſcripſit Plinius, *l.* 2. *de ſubtilit.* vehementer auget, dicens, *illud apparere circa malum navis, & cadens etiam ænea vaſa colliquare*; ſed ſi quis Plinii verba attentè, ut par eſt, legit, facilè videt, quòd ſorex ſuo pereat indicio. Verùm id nos jam non agimus. Vix à nobis impetramus, ut credamus, quod Rob. Fluth Anglus de ſeipſo narrat, quòd ignem fatuum noctu ſecutus & aſſecutus, materiam invenerit viſcoſam & lubricam compactam in modum ſpermatis ranarum diſtinguentibus nigris & exiguis maculis ſubalbidam. Primò enim, quâ ratione aſſequi potuerit, non capimus; conſentiunt enim omnes Phyſici, quòd, quò magis perſequaris ignem hunc, magis fugiat, eò quòd aër à currente motus, moveat ignem, eundemque propellat. Secundò, qui materiam deflagrationi aptiſſimam jam accenſam extinxerit, non videmus. Ignis quoque lambens præbuit occaſionem multis fabulis. De Doctore Creone Anglo optimè de re literaria meriti Actorum Collectores referunt, quòd, cum corpus induſio albo & calido fricet, relucere faciat corpus & induſium ſcintillis compluribus; item de Nobili quodam narratur, quòd deambulando pedes ſimiliter relucentes reddere noverit; cujus generis Hiſtoriæ in Borelli *obſervationibus* obviæ ſunt, quas omnes in dubium vocare quidem non audemus, nihilominus vera falſis eſſe mixta juſta ſuſpicio eſt. In antiquitate paſſim reperire eſt, qui lucem quandam finxerint tacentibus reliquis; conf. Heliodor. *l.* 2. *Æthiop.* & Symmach. *lib.* 2. *epiſt.* 13. Poëtæ quoque demulcentes Magnates, illis paſſim tribuunt lucem; exemplo ſit Martialis *lib.* 10. *epiſt.* 6. de adventu Cæſaris Trajani *p.* 292. *Felices, quibus urna dedit ſpectare coruſcum Solibus arctois ſideribuſque Ducem: Quando erit ille dies, quo campus & arbor & omnis lucebit Latia*

culta

culta feneſtra nuru. Et ſanè malè feciſſent Poëtæ, niſi tribuiſſent lucem corpori illorum, qui obſcuros poëtarum focos ardenter lucere fecerunt. Non operæ eſt pretium, ut in his nos detineamus; annon multæ ſatis fabulæ repeᷓriantur in Thomæ Bartholini Viri Doctiſſimi tribus *de luce animalium* libris, penes alios judicium eſto.

§. 5. Multis fabulis etiam contaminata eſt doctrina de pluviis. Sanguineas pluvias memorat Livius *Dec.* 3. *lib.* 4. *Decad.* 5. *lib.* 2. aliiſque locis pluribus, & quidem in tanta ſæpè copiâ, ut *lacus ſanguine manarint Dec.* 3. *lib.* 7. è *foco* Valerii Civis Romani *ſanguis per triduum & duas noctes manarit Dec.* 5. *lib.* 5. *flumina cruenta viſa ſint Dec.* 3. *lib.* 4. & *lib.* 6. *in agro Sudertano ſanguinis rivi per totum diem fluxerint.* Polydorus Vergilius *lib.* 2. *oceanum* ſanguineum fuiſſe teſtis eſt. Conf. etiam Paul. Oroſius *lib.* 4. *cap.* 5. *faſcic. tempor. f.* 28. Cornelius Gemma *lib.* 2. *Coſmogr. c.* 2. *f.* 105. Qui his aliiſque credit, experientia dicet eſſe cognitum, ſanguine pluere: præprimis cum alii audaces adeò ſint, doceantque hanc ſanguineam pluviam ex terrâ ſanguine cæſorum cruenta per radios ſolares poſſe extrahi. Enim verò poſterius illud falſum eſt, quia per calorem ſolis ex lacte & ſanguine non niſi vapor vel halitus aſcendit *lib.* 2. *Meteorol. c.* 3. hic vero nec ſanguis nec lac eſt, imò neque in ſanguinem vec lac abit, ſed in aquam mutatur. Et ſi tanta ſolis efficacia eſt, ut radiis ſuis ſanguinem ex terra attrahat, cur vires ſuas non exercet in attrahendis ſuccis aliis, etiam vinoſis, ubi ex uvis ad ſolem uvæ fiunt paſſæ, & ſi exerit, cur non vino ſæpiſſimè pluit? Niſi fallimur, boni illi paſſi ſunt ſe decipi fallacia conſequentis, ita argumentantes: Sanguis eſt rubicundus, pluvia hæc eſt rubicunda, ergò ſanguis eſt. Ii quoque fallentur, qui ejuſmodi dictis temere fidem adhibebunt. Nec dubium eſt in errorem abreptos, qui prodiderunt, pluiſſe lapidibus, ut Plutarch. in *vitâ Lyſandri.* Laërt. *l.* 2. *de vit. Philoſoph.* & Plinius *l.* 2. *H. N. c.* 5. narrant, in *Thraciâ anno ſecundo Olympiadis* 78. lapſum eſſe *ex nubibus lapidem vaſtum magnitudine vehiculi, colore aduſto;* & Livius *vel viginti locis* de pluviâ lapidum teſtis eſt. Tantundem dicendum de eo, quod alii aiunt, cœlitus delapſam eſſe lanam, ut Oroſius *lib.* 7. *c.* 19. & Abbas Urſbergenſis *part.* 2. *f.* 172. ne jam teſtes advocemus alios. Nec hìc fingendi licentia ſtetit. Dionyſ. Halicarnaſſeus, Auctor alias gravis *lib.* 10. *Antiq. Rom.* & Livius *Dec.* 1. *lib.* 3. *vult* carne pluiſſe, quam devorarint aves; imò ſunt, qui vitulos cum pluviâ decidiſſe ex Avicennâ & Alberto M. nobis perſuadere ſatagunt, ex ratione, quam planè ridiculam adducit Titelmannus, quod *hujuſmodi terreſtribus vaporibus ſurſum levatis, virtute adſint quatuor elementa, ad cujuslibet miſti generationem requiſita, & corpora cæleſtia agentia, cum primæ cauſæ concurſu ad hæc ſufficientia.* Imò verò hæc non ſufficiunt; omne ſiquidem animal in putaminibus ſeu involucro quodam generatur, ne generatio, quæ per calorem fit, vel frigore, vel calore externo impediatur, ſed continuò peragatur. Fit enim generatio vel in utero, vel in ovo, vel in aliquo, quod ſecundùm figuram ſimile eſt ovo, quod dicitur σκώληξ, qualia

qualia ſunt inſectorum ſeminia multorum, *&c.* & ſemper illud, ex quo fit animalis corpus, pellicula ad minimum eſt obductum; jam verò in nubibus nullus eſt locus talis. In Scythiâ rubras eſſe nives, Auctores tradunt, ut Alex. ab Alexandr. *Tom. I. genial. dier. lib.* 4. *p.* 962. itidem fabuloſe.

§. 6. In regno minerali etiam Auctores ſubleſtâ ſæpè fide agunt & lectorum credulitati imponunt. Specimina multa de ſolô aurô dari poſſent. Nonnullis, quantum auri ortum concernit, fabulam ſapit, quod legimus apud Alex. ab Alex. *Gen. dier. l.*4. *c.*9. *p.*961. edit. Lugd. in *citeriori Germaniâ, intra Danubium loca eſſe, in quibus, niſi contra frigora & gelu ac feram ſævamque hyemem vites maximâ parte anni ſub nivibus humo contectæ jaceant --- eas demum liquatis nivibus, æſtate anni ingruente, & calore cœli mirificè germinare & frondes geniculatas emittere, ſed vini parùm effundere, interque eas nonnullas, incertum, quâ cœli temperie, ſeu occulta & cœca origine vites exiſtere peculiari miraculo & admirationis præcipuæ, quæ claviculis & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent & ſimul coaleſcant, --- idque apud incolas pro oſtento minimè haberi, ſed quia in locis pluribus id accidere ſoleat, quaſi inter quotidiana & frequentia reputari.* Hæc Alexander ex amici ſummi, ut addit, *narratione, quam ipſe dubitaſſet* (*ita videtur eſſe rara dictu & ſuper omnem impudentiam, prorſuſque ridiculæ vanitatis*) *commentationibus ſuis adjicere, niſi hoc pro comperto & explorato multorum teſtimonio comprobaſſet, qui ſe non audiſſe, vel legiſſe, ſed oculis vidiſſe, & manibus attrectaſſe aſſerebant.* Male, inquam, in numerum fabularum refertur, quod graviſſimi Auctores, Balbinus, Sachſius noſter, Tenzelius de aureis argenteiſque virgis, culmis, ſpicis, filis *&c.* narrant. In Auguſtiſſimi noſtri Imperatoris gazophylacio virga aurea Tokajo miſſa viti circumplicita aſſervatur. In Muſeo Speneriano *pag.* 123. *& ſeq.* mentio fit *fruſtuli ligni vitis cum auro adnato ex vinetis Hungariæ.* Hinc etiam Tackio data occaſio ſcribendi librum, de conſanguinitate vini, auri & ſacchari. Sed cum vitibus illis auriferis malè contenditur ſutura cranii humani ſepulti, in quo aurum concreviſſe ferunt, benè verò eſt, quòd addant, ſepulti, nam alias maſſam furfurum inveniſſent loco aureorum granorum. De dente aureo pudet vel mentionem facere. Fruſtra etiam ſimus, ſi multis narremus fictitias auri virtutes à Plinio contra maleficia, à Lemnio contra tabem ex venereo fœdoque contactu, contra elephantiaſin *&c.* deprædicatas. Piget fermè addere ejus furfuris hiſtorias plures: ita non abeſt à fabulâ, quod refert Porta, plumbum per frequentem lotionem in ſtannum mutari. Ulterius quicquid Græcia mendax audet in hiſtoriâ, ut habet Juvenalis *l.* 4. *ſat.* 1. id ſibi permiſere ſcriptores in tractatione de lapidibus. Non expilabimus jam ſcrinia Anſelmi Boëtii de *gemmar. & lapid. hiſtoriâ*, quam commentariis auxit Adrianus Toll. Non poſſumus, quin adſcribamus notatu dignam de lapidibus nonnullis à tribus Franciſcanis ex India orientali allatis, ibidemque ut ajebant, in *capite certorum ſerpentum* à Garziâ ab Horto deſcriptorum, & à Luſitanis Cobras de

Cabelo dictorum, inventis, quos referebant ſecuriſſimi antidoti loco inſervire, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum, ceraſtum & quorumcunque aliorum animalium, nec non ſi imponantur quibuſcunque vulneribus à ſagittis, vel alio aliquo armorum veneno infectorum genere recens inflictis, ut patet ex Franciſc. Redi *Experiment. natur. p.* 4. 5. ſed quàm parum fidei hæc aſſerta mereantur, ſolerter oſtendit prælaudatus Redi.

§. 7. Non aliter res habet in doctrina de vegetabilibus: Ecquis ſibi perſuaderi patietur, quòd ceraſi ſpecies impreſſa in embryonem per imaginationem maternam virideſcat, flaveſcat & rubeſcat cum ceraſis in arboribus? Allata tamen narrat Sylveſter Rattray Med. D. qui primus comparet *in theatro Sympath.* curâ Joh. Andr. Endteri *Norib.* 1662. *edito.* Abuteremur Lectoris patientia, ſi vel unum adderemus exemplum, obvia enim ſunt in Plinio, Dioſcoride, ipſo Galeno, Avicennâ, Petr. Andr. Matthiolo, Hieronymo Trago, Jacob. Theod. Tabernæmontano, Bauhino, ut Nicolaum Monardem, qui de Americanis, & Garziam ab Horto, & Chriſtophor. à Coſtâ, qui de orientalis Indiæ plantis ſcripſerunt, non memoremus, certè hi libri fidem dictis abundè conciliabunt. Imò nec ab hâc labe omni ex parte immunis eſt Clariſſimus Vir Simon Pauli, in *quadripartito de ſimplicium medicamentorum facultatibus.* Unum addimus exemplum ex claſſe tertia: Notiſſima eſt Angelica, de hâc ita candidus ille Vir ſcribit: *Alias promiſcuè omni ſexui, quâcunque formâ uſurpata, aſthmate & veteri tuſſi laboranti, oppido prodeſt.* Spem noſtram in praxi feſellit egregium hoc aſſertum. Certè ſæpiſſimè nobiſcum cogitavimus, prudentiſſimè Cæſalpinum in *incomparabili de plantis ſedecim librorum opere* egiſſe, quòd facultates vegetabilium, utpote quas deprehendebat experientiæ contrarias, aut prorſus emiſerit, aut aliorum Auctorum de iis ſententias recitarit: In dedicatione operis ſub finem: *Facultates,* ait, *addere ſuperfluum duxi, cum enim hæ apud multos Auctores præcipuè Dioſcoridem & Galenum admodum copioſè legantur, ſatis ſuperque viſum eſt, ſi plantas, quarum vires illi prædicarunt, oſtenderemus. Obiter tamen quarundam meminimus,* vel quia *ad fidem faciendam aliquid præſtent, vel quia apud antiquos non reperiantur*: quibus ulcus hoc extremis tantum digitis tangit.

§. 8. Non majori fide agunt multi ſcriptores hiſtoriæ animalium. Inter Conditores Hiſtoriæ animalium optimo ſuo merito primas ducit Ariſtoteles, cui aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæque tractu ab Alexandro inflammato cupidine animalium naturas noſcendi parere juſſa; omnes inquam, qui venatus, aucupia piſcatuſque alebant, omnes quibus vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant, ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo, quos percontando 50 fermè volumina illa præclara de animalibus condidit teſte Plinio *lib.* 8. *c.* 16. In hoc verò tam præclaro opere quædam, quæ fabulam ſapiunt, non deſunt. *Grues ex Scythicis campis ad paludes Ægypto ſuperiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum pigmæis dicuntur.*

dicuntur. Non enim id fabula eſt; οὐ γὰρ ἐστὶ τοῦτο μῦθος, ἀλλ' ἔστι κατὰ τὴν ἀλήθειαν genus tùm hominum, tùm etiam equorum puſillum, deguntque in cavernis, unde nomen Troglodytæ à ſubeundis cavernis accepêre. At verò compertum eſt nullas vel grues vel pigmæos in totâ Africa inveniri. Attamen fabulæ plerumque ſolent aliquid veri continere, ſicuti & hic factum eſt. Certum quippè eſt, ultra Nili fontes multos reperiri nanos, qui tamen non cum gruibus, ſed cum elephantis perpetuum gerant bellum. Præcipuè quippe eboris commercium in Regno Magni Maroci per iſtos tranſigitur homunciones. Habitant in ſylvis, & mira dexteritate elephantes ſagittis conficiunt. Carnibus veſcuntur, dentes verò Lagis divendunt, illi autem Congenſibus & Luſitanis. Proprio vocabulo appellant mimos, aut etiam Barckebacke, teſte Iſaaco Voſſio *de Nili & alior. flumin. origin. c.* 19. *p.* 66. De fœtu urſæ idem Philoſophus *lib.* 6. *Hiſtor. c.* 30. *p. m.* 358. *fœtum minimum pro ſui corporis magnitudine edit, quippe qui minorem catto, majorem mure parere ſoleat; nudum item & cæcum & cruribus propemodum membriſque aliis plurimis indiſcretum & rudem.* Quod Ariſtoteles de fœtu rudi & indiſcreto retulit, præter eum habent & alii. Horus *in hieroglyph. l.* 2. *c.* 79. Virgil. *ap. Gell. l.* 17. *c.* 10. Ovid. *metamorph. l.*15. *fab.* 33. Plinius *l.*8. *c.*36. & *l.*16.*c.*53. Pollux. *lib.* 5. *onom. c.* 12. Ælian. *hiſt. l.*2. *c.*19. Solinus *c.*29. Oppian. *l.*3.*cyneg.* Galenus ad Piſonem aliique referunt. Eo enim redeunt eorum dicta, quòd urſæ pariant maſſam informem, quæ lambendo paulatim formetur & figuretur; & tamen non niſi fabula eſt, cujus occaſionem Camerarius, Dalechampius, Voſſius aliique referunt. Errores ejus in hiſtoria leonis, aquilæ, crocodili acrius, quam par erat, perſtringit Vir Clariſſ. Olaus Borrichius in *Hermetis Ægyptiorum & Chemicorum ſapientia à Conringii animadverſionibus vindicata à pag.* 245. *uſque ad pag.* 277. Multò plura figmenta Plinius, Ælianus, Solinus aliique habent, nec ab hâc claſſe excipi poſſunt in ſatis multis Ulyſſes Aldrovandus, ejuſque epitomator, Jonſtonus, P. Caſp. Schottus in Phyſic. curioſ., Johann. Gœdartius de *inſectis, in methodum operâ Clariſſ. Liſteri è Regiâ Londinenſi ſocietate* redactus, qui etiam in *præfatione ad lectorem* non diſſimulat, profectum Gœdartii quoad peritiam *circa inſectorum indolem plus ſatis eſſe tenuem, ejusque* errores ſubinde detegit. Nihil facilius, quàm grande quoddam conſcribere volumen, ſi ex Paulo Veneto, Jovio, Olao Magno, Hieronymo Cardano, Joh. Bapt. Portâ, Lemnio *de occultis Natur. Miraculis*, Bodino, Cornel. Agrippâ, Paracelſo, Paulo Scalichio, Thomâ Campanellâ, Rob. Flutdio & qui cæteroquin de *magnetiſmis, ſympathiis & antipathiis* ſcripſerunt, quorum aliquos recitat Celeberr. Morhof *in Polyhiſt. l.* 1. *c. XI. p.*100. omnia congerere placeret. Non ineruditè Thomas Browner in *Pſeudodoxiâ epidemicâ* errores tales enumerat, & ex eo notatu digniores de re literaria immortaliter meriti Actorum Collectores Lipſienſes *in ſupplem. I. ſect. VI. p.* 279. libro, inquiunt, III. exploduntur veterum errores circa animalia bruta, e. g. equum & columbam felle carere, dari amphisbænam, Gryphum aut

Phœnicem, viperas, dùm eduntur partu, perrumpere matris inteſtina, Struthiocamelum ferro veſci. Inſtar omnium eſt exemplum Caſtoris, qui ſe, Juvenali dicente, *Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damnum teſticulorum, adeò medicatum intelligit inguen,* ex *lib. II.* etiam notabilia ſunt exempla de pulvere pyrio albo, qui abſque ſonitu diſplodatur, & plagam lethalem inferre queat; non tamen facimus cum Browne in eo, quod ſcribit de Corallio, nam ſatis hodiè conſtat, ex obſervatione Boconi, quòd ſub aquis molle, & in liberum aërem protractum obdureſcat. Quòd ſi ex chymicis, therapeuticis *&c.* addere exempla vellemus, nunquam perveniremus ad finem.

§. 9. Ne igitur aliorum narrationibus fidentes loco theſauri experientiæ colligamus carbones, perquam neceſſarium eſt ac utile, cum primis ſcire, quibus tutò credere poſſis. Nec enim temere erit aſſerendum, quod Vopiſcus in Aureliano, Junio Tiberiano ſe dixiſſe memorat; *neminem hiſtoricorum quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum.* Iis verò fidere poteris, qui potuerunt ac voluerunt vera narrare. Pulchrè Ariſtotel. *l.* 2. *Rhetor. c.* 19. *text.* 24. *juxta diſtinctionem Schraderi*: ſi *potuit ac voluit, fecit: omnes enim, qui & poſſunt & volunt, agunt, nihil enim obſtat.* Is verò poſſe cenſendus eſt, 1°. qui à ſufficienti & ad unamquamque rem dijudicandam neceſſaria eruditione inſtructus eſt: fac enim unam eandemque rem naturalem e. g. corallia arbitrari oculis & rudem quendam hominem & Virum eruditum, aliter certè ille, aliter hic coralliorum hiſtoriam deſcribet. Qui legerit pleraque itineraria à rerum naturalium imperitis ut plurimum edita, facilè deprehendet, nos vera ſcripſiſſe. Olearium tamen huic claſſi non annumeramus. De ſenſuum munere infra agitur. Modò Benevolum Lectorem cupimus rogatum, ut legat Robert. Knox. *l.* 1. *c.* 4. *& ſeqq.* 2°. Qui inſtructus eſt reliquis adminiculis omnibus: Quis enim credat Anatomico neceſſariis inſtrumentis deſtituto? Et hinc credimus Anatomicos Veteres lapſos eſſe, tametſi nos non fugiat, quòd Galenus variorum inſtrumentorum mentionem faciat, e. g. ſtilorum *lib.* 9. *Adm. Anat.* laminarum variarum *l.* 6. hamulorum *l.* 1. *Adm. Anat.* nec non *lib.* 8. tubulorum & follium *lib.* 9. Præ reliquis Malpighius microſcopiis adjutus multa antiquitati incognita cum erudito Orbe communicavit, quanquam non ignoremus, Celeb. Franciſc. Redi ex chronico & aliis documentis MS. ſategiſſe probare, quòd ſub finem ſeculi XIII. & initium XIV. fuerint inventa. Crediderimus tamen jam innotuiſſe Seculo XI. ita perſuaſi verbis Alhazan Arabis *ex lib.* 7. *Opt. c.* 7. *prop.* 43. *&* 47. Sed hæc obiter. Nobis duo illa nondum ſufficiunt, niſi fuerit in illo ipſo loco, in quo res eſt deſcribenda. Ponamus enim exercitatiſſimum in doctrinâ de animalibus virum deſcripſiſſe nobis beluas marinas, qui nunquam ex his viderit unam, nec oceano ſe per totam vitam commiſerit, aut qui Indiam nunquam viderit, an ejuſmodi hominem plantarum phænomena enarrare potuiſſe dicemus? Et ſi tentaret quiſquam, meritò eodem modo omnes riderent hominem, quo Lucianus, lib. *quomodo ſcribenda ſit hiſtoria, p. m.* 622. *edit. Amſtelod. tom. I.*

ridet

ridet hominem deſcribentem inſulsè bellum in Syriâ & Armeniâ geſtum, nec tamen Syriam & Armeniam viderat. *Atque hæc*, ait Lucianus p. ſeq. *Corinthiis audientibus recitabat, qui probè ſciebant, ipſum ne in pariete quidem vidiſſe depictum bellum, ac neque arma moviſſe, neque quales ſunt machinæ, neque qualia aut acierum, aut ordinum nomina.* Præclarè Excellentiſſ. Dn. D. Hartmann rectiſſimi Vir Judicii in *diſq. de Phocâ cap. IV.* §. 1. agnoſcit, non eſſe, unde hunc defectum ſarciant ſtudioſi, *licet domi nonnulla animantiá educent, cum ſuſpicio ſit, tranſiiſſe conſuetudinem in alteram naturam.* Prudentiſſimè *hinc Illuſtris Societas Regia in Angliâ, non* à quibuſvis, ſed eruditis, *neque qualiumcunque, ſed quorum major eſt ipſis intuendi opportunitas eorum, quæ patria offert, fidelem expetit hiſtoriam*, ut iterum Hartmann *l. c.* Is itaque poſſe 3°. cenſendus eſt, qui præter dicta in eodem loco cum re deſcribendâ, aut eſt, aut fuit. Porrò, qui cùm M. Antonino, cujus aureis *de eis, quæ ad ſe pertinere putabat*, frequenter utimur, cogitat, *quantâ cum celeritate abripiantur & ſubtrahantur, quæ ſunt fiuntque univerſa, & quòd rerum natura inſtar fluvii cujuſdam ſit, qui in jugi ſit fluxu, effectiones verò mutationibus continuis & cauſæ ipſæ converſionibus innumeris ſubjaceant*, ut idem Anton. habet *l.* 5. §. 23. *p.* 42. *edit. Gattak.* nullo negotio videt, ad omnia enarranda ſingularia & temporis opportunitatem eſſe neceſſariam. Quodſi enim præſtantiſſimus Botanicus ſævienti brumâ in Galliam appellat, nec expectet vernum tempus, quid in deſcribendis plantis Gallicis ſit præſtiturus, cuivis eſt judicare. 4. Ergò, ut poſſit debite enumerare ſingularium hiſtoriam, temporis opportunitatem requirimus.

§ 10. Eum autem, qui poteſt, etiam velle colliges, ſi Vir fuerit bonus & honeſtus; cùm enim *Veritas divina res ſit*, ut ex Platone & Plutarcho *de adulator. & amicor. diſcrim. p.* 49. conſtat; conf. etiam Plato *in Cratylo p.* 289. Vir bonus non poteſt non ejus amore capi, ſciens, quòd *impietatis ſit reus, falſa quiſquis loquitur, ut* iterùm Imperator *lib.* 9. §. 1. *p.* 82. Quia verò larvâ honeſtatis indutus nemo non in proſcenium prodit, hiſce regulis hactenus uſi ſumus ad explorandas hominum hâc in re voluntates. Primò, ſi vel ex ſcripto vel aliunde nobis conſtiterit, Auctorem famæ & gloriæ immodicum aucupem fuiſſe, & recenſeat hiſtorias, quæ alibi non occurrunt, de ejus voluntate vera referendi dubitavimus, ſuſpicio enim nobis eſt, quòd ex deſiderio inclareſcendi admirabilia finxerit. Pertinet huc ille Senecæ *ex lib.* 7. *Nat. quæſt. c.* 15. locus: *Quidam incredibilium relatu commendationem parant*, gnari, Lectores admirabilibus hiſce delectari, unde licentiam ſumunt; non vanè Lucret. *l.* 4. *Cætera de genere hoc monſtra ac portenta loquuntur, ne loca deſerta ab Divis quoque fortè putentur ſola tenere; ideo jactant miracula dictis, aut aliquâ ratione aliâ ducuntur, ut omne humanum genus eſt avidum nimis auricularum.* Arguit verò latentem illam cupiditatem horum hominum faſtus interdum intolerabilis, quibus ſecreti ſymboli loco eſt iſtud Horat. *Satyr. l.* 1. *Serm. Satyr.* 9. inquientis: *Noris, nos docti ſumus, nos legiones*

diſſlamus ſpiritu, quaſi ventus folia. Intolerabilis certe fuit thraſoniſmus Paracelſi, qui teſte Hormbeck de Weigelian. *p. 6.* dicere non erubuit, *ſtultiſſimum capillitii ſui pilum plus ſcire quàm omnes Galeni ſectatores. Imò barbam ſuam plus habere experimentorum, quàm omnes Academias.* Conf. *Introd.* Conring. *p. 66.* Ejuſdem furfuris fuit etiam Joh. Baptiſt. Helmontius ille, qui ſeſe, inſolenti titulo, Philoſophum per ignem vocat, cujus jactantiam incomparabilis Vir Herm. Conring. deſcribit in *Introd. in art. Med. c. 2. §. XXIII.* & veterum ac recentiorum doctrinâ ſubactus Philoſophus & Medicus, Schelhammerus *in annotat.* De Bilſii faſtu loquitur Celeberr. Franc. de le Boë Sylvius *in Præfat. Diſp. Med. Decadi præmiſſa* §. 22. *&* 23. Ex hoc aliqua excerpimus: *Intolerabilis*, ait Sylvius, *meritò videtur bonis viris & gravibus Bilſii faſtus, quoniam cum injurioſo & contumelioſo egregiorum, & ipſi, quoad induſtriam & dexteritatem planè ignotorum Anatomicorum contemptu paſſim conjunctus. --- Quibus pondus addidit quorundam aut ipſi impenſius addictorum, aut cæterorum Anatomicorum uni, vel pluribus infenſorum Medicorum, laudatio immodica, ut metus ſit, ne brevi crepet. Et cui non intolerabilis,* (adeò in omnes Anatomicos debacchatur,) *ut, cùm ad renes perveniſſet, illos à multis Profeſſoribus in Academiis ne inveniri quidem poſſe diceret?*

§. II. Nec plenam apud nos meriti ſunt unquam fidem, ut iterum Sylvius *in* §. 22. *innovatores aliqui*, qui *ſemper refingunt, retractant etiam à ſe non intellecta,* & in nullâ re, niſi in novis hypotheſibus fingendis ſibi placent, credidimus enim etiam eos vaniſſimos famæ aucupes. Nam gnari ſatis ſunt, eſſe veriſſimum illud Homeri *Odyſſ. I. Cantio hæc hominum longè eſt celeberrima vulgo, ac gratiſſima, quæ nuperrima venit in aures.* Novitatis ſtudium in Carteſio culpat Huetius in *Cenſ. c.* 8. §. 7. *Laudem,* inquit, *præcipuè captat ex doctrinæ ſuæ novitate, etſi fere nihil novi attulit. Hinc Philoſophorum aliorum ſcriptiones ſibi parum verſatas eſſe ſimulat; quamvis in diſſert. de methodo oblitus ſui fateatur, diligenter tritum fuiſſe ab adoleſcentiâ, & verſatum veterum in libris, aliisque, in quibus reconditum aliquid ineſſet & à vulgi notitiâ ſemotum.* Ne nominem Schockium Philoſophiæ Profeſſorem, cujus libellus extat *de admirandâ novæ Philoſophiæ methodo*, in quo opuſculò Carteſii opiniones ſtrictè & ipſum Auctorem multo defricat ſale. Nolumus tamen hæc ita à quoquam accipi, quaſi nos omnia nova aſpernaremur, utpote qui optamus, ne ſint, qui ineptis ſuis ſcriptis, quibus pecunia Lectores emungunt, cum irreparabilique temporis jactura propugnent, *ſi,* ut cum Prudentio loquamur, *obſervatio crevit, ex atavis, quondam malè cœpta, deinde ſecutis tradita temporibus ſeriſque nepotibus aucta;* & ſeriò exoſculamur nova, non nomine, ſed re talia, artifici manu abſque contemptu aliorum in uſum humanum detecta. Nobis dictum ſemper putavimus illud Nazianzeni *Orat.* 26. *Ne ſpernas uſitata, nova ne ſecteris, ut nominis ſplendorem apud vulgus Tibi concilies.* Cæteroquin novitatis amor inſanus apud multos, nova ſemper experimenta jactantes facit, ut boni viri ſubinde repetant illud Iſaac.

Voſſii

Voſſii *in append. de nat. lucis c.* 3. *p.* 102. *Eo vivimus ſeculo, quo etiam ſtultorum ſenſus latius pateant, quàm patuere olim ſenſus omnium Græciæ ſapientum. Virtus illa, quâ videmus, adeo adaucta eſt, ut non nimium dixero, ſi dixero, nos plus quam centies millies acutius videre, quam viderint illi, qui ante nos fuère.*

3. Decoxere etiam fidem, qui calamum modo adverſus hunc, modò illum ſtringunt. Suſpicionem enim meritò præbent, quòd ſint inter eos, qui deſtinatis ſententiis quaſi addicti, & conſecrati, atque adeo neceſſitate quâdam conſtricti veluti, *ut etiam, quæ non probare ſoleant, cogantur conſtantiæ cauſa defendere,* ut loquitur Cicero, vel inter eos, qui iraſcuntur immortali odio contra omnes, quos viderint, vel audierint, non dicamus adverſari ſibi, ſed non plenis viribus & totis ſuis aſſentiri ſententiis. Talium virorum exempla præbent ii, qui circulationem ſanguinis Ariſtoteli & Hippocrati obſcurè cognitam, deinde longâ multorum ſeculorum ignorantia ſepultam, iterum poſt Cæſalpinum ab Harveo clariſſimè aſſertam, oppugnarunt. Et hinc cum Celeberrimo Wedelio meritò ſtatuimus; *ſecundum philoſophandi gradum eſſe, non occupari in commentando vel refutando*; in præfat. præmiſſa *Amœnit. Mat. Med.*

4. Illi æris coruſcatores ſemper nobis viſi ſunt ſubleſtæ fidei teſtes, quando jactant encheireſes, novos proceſſus, arcana toties totiesque feliciſſimo ſucceſſu comprobata: Ea enim auri fames facit, ut ſplendidè mentiantur, quod mirum non eſt, quia *nullum in humanâ vitâ ſcelus reperitur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur*, ut Iſidorus Peluſiota habet *lib.* 2. *ep.* 146. Similes hi veteribus Sophiſtis, quorum jactantiam & nummorum amorem exagitant Plato, Ariſtoteles, Xenophon aliique. Inde etiam Ariſtoteles Sophiſtam ajebat eſſe eum, qui *ex apparente ſapientia quæſtum facit, lib. Sophiſt. Elenchor.* Sæpè ipſa res diligentiſſime conſiderata, quam aliqui narrant, ac ordo & ſeries narrationis argumenta præbent falſitatis.

Optandum verò eſſet, ut viri aliqui in commodum ſtudioſæ juventutis, tam in phyſicis, quam anatomicis, chymicis & medicis candidè procul ſtudio partium, proximè præterlapſi ſeculi Auctores nobis indicarent, in quibus voluntas cum facultate narrandi vera experimenta fuit conjuncta. Et de multis quidem ſincere mentem ſuam aperuit Vir noſtrâ laude major D. Schelhammerus in eruditiſſimis ſuis annotatis ad Conringii Introductionem. Verum neque illi omnes obvenere Auctores; certè ex omnibus Europæ nationibus nobis viſi & lecti, quos ei ad manus non fuiſſe opinamur. Utinam id laboris Viri Clariſſimi ſibi ſumerent. Non dubitamus, quin poſt examen, locum inter hos ſint inventuri inter Germanos Guernerus Rolfincius, Dan. Ludovici, Michaël, Bohnius, Wedelius, Rivinus, Hoffmannus uterque, Ettmüllerus, Major, Sachſius, Pechlinus, etiam Illuſtris ac Magnificus Noſter Academ. Leopold. Nat. Curioſ. Præſes, L. Schrœckius. Certè laudibus Auctorum plurium non multum tribuimus, quamvis bene multæ in eum effundantur,

dantur, *etſi ſolemne ſit, ex teſtium approbantiumque numero ſententias æſtimare*, ut annotavit etiam Auctor Libri *artis cogitandi p. m.* 287. Sed potiùs hic confidenter dicimus cum P. Petito *in diſſertat. de princip. nov. philoſoph. Renat. Carteſ. p.* 2. *Quid igitur? Quia Carteſius famam, quia multos ſibi deditos habet, continuò hunc extra omnem ingenii aleam credemus? Ejus opiniones pro certis dogmatibus atque oraculis amplectemur? Libros velut ſacra monumenta non niſi cum ſumma religione adibimus? tanquam delapſa cœlo ancilia aut palladium quoddam venerabimur ac cuſtodiemus?*

CAPUT II.

De Experientiâ ex propriis obſervationibus.

§. I.

SAtis de experientia, quam haurimus ex cognitione ſingularium ab aliis relatorum. Nunc de ea, quæ paratur ex ſingularibus à nobis officio & munere ſenſuum noſtrorum cognitis, agamus. Singularia ea, quæ ſenſibus percipi poſſunt, alia ita comparata ſunt, ut *uno* tantum *ſenſu* percipi queant, e. g. color tantùm viſu, ſonus tantum auditu cognoſcitur, odor tantum odoratu percipitur, & vocantur propria objecta ſenſuum: alia *pluribus ſenſibus* patent, ut motus, quies, numerus, magnitudo, figura, & hæc vocantur *objecta communia*, ut docet Ariſtot. *lib.* 2. *de an. c.* 6. De iis enim, quæ *per accidens ſenſibilia ſunt*, ut ſubſtantiæ materiales, in quibus ſenſibilia per ſe exiſtunt, modò non loquimur. Jam ſæpè fit, ut exiſtimemus, nobis aliqua eſſe ſenſu cognita, quæ tamen cognita non ſunt. Non deſunt, qui hic fallaciam ſenſuum accuſant, prout olim Pyrrho cum diſcipulis teſte Diogen. Laërtio *l.* 9. *de vit. Philoſoph.* de eo enim & ſequacibus ejus Aulus Gellius *l. XI. Noct. Attic. c. V. nec videre planè quicquam neque audire ſe putant.* Quod & de Academicis teſtatur Cicero *l.* 1. *quæſt. Academic. num.* 8. Prout etiam noſtro hoc ſeculo eadem doctrina propalari cœpit à Carteſio, aliiſque. Etſi verò non cum Epicuræo dixerimus, omnes *ſenſus veri nuncios eſſe* apud Ciceron *l.* 1. *de Nat. Deor.* quibus gemina habet etiam de eo Plutarch. *l.* 4. *de placit. Philoſophor. c.* 8. & Laërt. *l.* 10. *in vitâ Epicuri;* perſuaſi tamen ſumus, vera eſſe, quæ habet Ariſtoteles *l.* 4. *Metaph. c.* 4. *in fine*: *Senſus propriorum ſemper verus eſt*, quod & repetitur *l.* 3. *de anim. c.* 3. alibique paſſim, modò adſint omnia requiſita; ſc. 1. *organum recte affectum.* 2. *Objectum idoneum.* 3. *Medium naturaliter ſe habens.* 4. *Intervallum debitum.* Si unum ex his defuerit, neceſſum eſt, judicium ſenſuum eſſe fallax, quorum explicationem uberiorem legere licet apud Zeidlerum *in Analyſi poſteriori p.* 24. *& ſeqq.*

Quicunque

Quicunque ergò rectâ via tendunt ad experientiam, conſiderent, an cum hoc vel illud ſingulare ſenſibus uſurparunt, quæ enumeravimus, requiſita omnia adfuerint. Quodſi vel unum horum defuerit, nunquam recte cognitum fuerit ſingulare, & experientia, quæ tali innititur cognitioni, nulla eſt. Id verò perſæpè contingit, ut exemplis aliquibus patebit. Organum certe Anaxagoræ minùs rectè fuerit conſtitutum, cum dixit, *nivem nigram* eſſe, teſte Cicerone *l.* 4. *Quæſtion. Academic. num.* 23. Fruſtra etiam fuit Epicurus, qui atomos dixit eſſe *ſphæricas*, *cylindricas*, *conicas & conoidicas*, *item cubicas*, *priſmaticas*, *parallelepipedas & polyhedras*, item *hamatas*, *ſtriatas*, *uncinatas &c.* Nam teſte Diog. Laërt. *l. X. in vit. Epicur. p.* 33. *inf. & init. ſeqq.* dixit ἀπερίληπτα ἐςὶ ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων, h. e. *incomprehenſibilia, differentiis ſeu varietate figurarum.* Lucret. *l.* 2. *Nunc age: jam deinceps cunctarum exordia rerum qualia ſint, & quàm longè diſtantia formis percipe multigenis, quam ſint variata figuris.* Cujus mentem uberius explicat Gaſſendus *p.* 203. ut & Joh. Bapt. du Hamel. *lib.* 1. *de conſenſ. vet. & nov. Philoſ. c.* 8. *p.* 179. *& ſeqq.* Fruſtra fuit etiam Democritus atomorum variarum defenſor, de cujus conſenſu & diſſenſu cum Epicureis indicium præbet locus apud Ariſtotel. *l. de gener. c.* 1. *&* 8. & Alexander apud Philoponum, colligiturque etiam quadantenus ex Diog. Laërtio *l.* 9. *in vit. Democr. p.* 248. *edit. Lond. in fol.* ſi conferatur cum Sexto Empirico *adverſus Mathemat. p.* 163. *& lib.* 1. *hypotypoſ. c.* 30. & Plutarch. *contra Colotem*, imò etiam Anaxagoras, qui multas fecit atomorum diſtinctas ſpecies, qua de ejus opinione legi poteſt Claudius Berigardius *in Circulo Piſano p.* 419. Nam unde hoc iis conſtat? Viſu enim figuras illas diſcerni non poſſe largitur Gaſſendus *l. c.* addimus, nec tactu. Quomodo ergò? ratione & mente; hinc Democritus apud Plutarchum, ἴδεα ἔχειν σχήματα λόγῳ θεώρητα. At nobis non ſine cauſa, hoc abſurdum eſſe, evincemus alibi. Unaquæque enim facultas cognoſcens ſuis circumſcribitur limitibus & de quo judicare debet ſenſus, e. g. viſus & tactus, ut de figurâ (eſt enim objectum commune) de eo non eſt audiendum judicium rationis, præprimis ſi ſenſus munere ſuo circa ejuſmodi res fungi non poſſit. Quod diximus de ſententiis horum, multi etiam, ut opinamur, dicturi ſunt de placitis Carteſii, cujus ſcita non multum diſtare à decretis horum dubitaverit nemo, qui paulo peritior eſt veterum hujuſque novæ Philoſophiæ, aut qui legerit eruditiſſimam Petiti diſputationem *de Principiis Carteſii.* Nolumus tamen quenquam hæc eò trahere, quaſi negemus atomos, non enim ſine jucunditatis ſenſu eæ oculis cerni poſſunt, *ſi in vaſe vitreo puriſſimus aër incluſus, nec à vento aut alio quodam impulſus ad ſolem ita ſit expoſitus, ut radii non tantum colluſtrent, ſed per foramen clauſæ feneſtræ medium pertranſeat, oberrare videntur, & ultrò citroque concurſare multa corpuſcula*; nec eſt, ut ſuſpiceris pulverem, is enim jam pridem petiiſſet fundum, ſi quis adfuiſſet. Et propter nimiam diſtantiam ſolis lapſus eſt Epicurus in determinandâ ejus magnitudine, de quo Diog. Laërtius *l. X.* refert, ei familiare fuiſſe dicere:

Solis cæterorumque ſiderum magnitudo, quantum ipſi judicamus, ea eſt, quæ videtur. Et licet multum, fruſtra tamen, judice etiam Ægidio Menagio *p.*271.*in eruditiſſimo comment. in Diogen. Laërt.* ſudat Gaſſendus, ut Epicurum ſuum inſcitiæ culpa in Aſtronomicis abſolvat. Nam etiam Cicero *l.* 4. *quæſt. Acad.* teſtatur, quod putarit, *etiam ſolem poſſe eſſe minorem, quam videatur, ſed non multo.* Non dubium eſt, quin Epicureos reſpexerit Seneca *lib.* 1. *Quæſt. natur. c.* 3. *tom. I. p.* 640. *Edit. Amſtel. noviſſ.* cum ait, *ſapientes viros contendiſſe ſolem pedalem eſſe.*

§. 2. Verùm ad Medica digrediemur exempla, præprimis verò Anatomica. Deprehendemus verò maximos quoque Viros humani hîc aliquid paſſos eſſe, putantes, ſe hoc vel illud ſenſu habere cognitum, quod tamen nunquam ſenſibus eorum fuit ſubjectum, quamvis non facile ſit, deſignare cauſam, unde lapſi fuerint. En exempla quantum ad ſenſum viſùs. Immortale nomen ſcriptis ſuis obtinuit Williſius & multis deprædicantur ejus opera laude quavis digniſſima *in Ephem. Gallic. Erudit. an.* 1676. *Menſ. Julio*; commendat etiam de cerebri anatome librum Celeberrimus Carol. Fracaſſat. *diſſert. epiſtol. de Cerebr. ad Marcell. Malpighium*; at verò qui expenderit ea, quæ affert Nicol. Steno *de Anatom. Cerebri* & ipſe interfuerit ſectioni, animadvertet, non finxiſſe ſed inveniſſe cauſam optimum illum Stenonem de veritate totius ingenioſi iſtius Syſtematis Williſiani meritò dubitandi & errores non paucos in figuris indicandi. Ex quo apparet, in ſingularibus obſervationibus Williſium fuiſſe deceptum. Multò magis verò id dicendum videtur de ſtructura ea, quam commentus eſt Carteſius, quamque explicare ſatagit *parte* 5. *tract. de Homine p.* 100. *& ſeqq.* Nam cùm totus Carteſii homo alius ſit ab aliis hominibus, alius eum cerebri etiam eſſe conveniebat. Bene verò eſt, quòd Ludovic. de la Forge *in notis p.* 103. fateatur, *quòd viſus maximam eorum, quæ profert, partem non detegat, & prorſus* inficete addit: *Veruntamen dummodò ſe quis parumper præbuerit attentum, volueritque oculis figuras meas utcunque contemplari, ſpero eam* (ſtructuram cerebri) *cuilibet intellectum iri.* Res mira eſt figuras partium corporis humani, quas viſus maximam partem non detegit, tàm audaciter appingere, audacius verò facinus eſt, polliceri notitiam ſtructuræ partium ex figuris non viſarum partium. Prudentiſſime judicat doctiſſimus Veslingius *in præfatione prima Syntagmat. Anatom. ad Lectorem* de figuris: *Etenim licet optimorum Artificum ingenium ac manus ſpirent, fruſtra tamen eſt, quiſquis ex illis naturalem partium poſitum, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, atque, ut cum Celſo loquar, lævorem, contactum, proceſſus deinde ſingularum & receſſus, tùm ſi quid alteri inſeritur, aut portionem alterius recipit, accuratius cognoſcere volet.* Quid ſentiret de figuris rerum viſu non detectarum, crediderimne, ſi quis tales figuras oculis utcunque contemplatus eſſet, ſtructuram ſenſibus non patentem ab eo intellectum iri? Præprimis verò præconcepta de glandula pineali opinio fefellit oculos Carteſii, ut alio ſitam modo videret glandulam hanc *tract. de paſſion.*

anim.

anim. part. I. *art.* 31. quam alii peritiſſimi Proſectores, quos inter eſt Steno jam laudatus. Sed his immorari neceſſe non eſt, cum Clariſſ. Nuckius ingenioſa inſcriptione non tam ſitum quidem, quàm uſum ejus proſcripſerit & exequias ei cecinerit *in epiſtol. Anatomica Adenographiæ ejus adjuncta.* Quanquam non malè Clariſſ. Diemerbrock exiſtimarit *l.* 3. *Anatom.* demonſtrationem etiam nerveorum funiculorum, quos Sylvius ei tribuit, fore difficilem, certè nec nos, nec præceptorum, nec amicorum quiſquam obſervavit eos unquam.

§. 3. Ludovicus Bilſius, de cujus arrogantia & tumido faſtu ſupra querentem audiebamus Sylvium, propalavit, ſæpè ſuis ſenſibus cognitum, quòd vaſa lymphatica *duas habeant tunicas, & inter eas inveniantur innumerabilia exigua & ſubtilia roris ſive lymphæ vaſcula ad inſtar fibrillarum, (quarum conſtitutio valde ſimilis ſit muſco arborum) continentia liquorem aliquem nutritium pro omnibus corporis partibus, qui nullis valvulis in ſuo curſu impediatur, moveaturque à centro corporis ad illius circumferentiam, & revertens liquor per canalem interiorem horum vaſorum roriferorum, in quo ferè ubique valvulæ reperiuntur* (antea verò negaverat iſtud Bilſius, donec eum convinceret Fridr. Ruyſch Anatomicus dexterrimus, cujus libellus, hâc de re, editus proſtat) *nullo modo ros vel lympha vocari debeat, ſed potius fermentum.* At vero incertum, quâ de causâ hæc protruſerit in orbem, neque enim, ſi vir bonus fuit, veteratoriè finxit, lapſus ergò eſt Bilſius, neque oculatiſſimi Anatomici Bilſianos tubulos, quantumvis enixe id cuperent, deprehendere potuerunt. Conf. Nuckium *in Adenograph. p.* 43.

Immortalis memoriæ Anatomicus Andr. Veſalius *l.* 6. præclariſſimi operis *de human. corpor. fabric. p.* 732. *c.* 10. ſplendidæ edit. per Oporinum: *Porrò*, inquit, *cordis dilatationem, quæ mucronis ipſius ad baſis centrum eſt attractio, & omnium laterum cordis diſtentio, rectæ efficiunt fibræ mucronem, verſus baſin contrahentes: quod ſanè ita perficitur, ac ſi vimineo circulo orbiculatim eademque ſerie complurimas juncorum ſcirporumque radices connecteres & mucronibus illorum ſimul collectis, velut pyramidem quandam efformares, ac demum funiculum ex illius verticis medio per circuli centrum dimitteres, quo deorſum tracto pyramis brevior intusque multo capacior, juncis nimirum in exteriora ac in latera ab invicem diremptis ac ſecedentibus, redderetur.* Sed verò ne jam de dilatatione cordis agamus, fallitur in declarandâ ejus texturâ, quam toties oculis ſuis uſurpavit Vir ſine exemplo, niſi Haroejum excipias, in ſectione corporum occupatus: multo enim mirabiliori modo fibræ illæ ſunt diſpoſitæ; immediate enim ſub externâ cordis membranâ à baſi cordis & ab orificiis *circularibus tendinoſis, in* quibus *deſinunt venæ cavæ & pulmonaris auriculæ,* nec *non à principiis arteriarum aortæ & pulmonaris propagatur ſtratum fibrarum carnoſarum, quæ ferè æquidiſtantes ſunt inter ſe & directè à baſi verſus cordis mucronem tendentes, ubi variè inflexæ & contextæ reflectuntur* verſus *internas cavitates ventriculorum,* ut

 egregiè

egregiè declarat Joh. Alphonſ. Borell. *part.* 2. *oper.* de *motu animal. c.* 5. *propoſ.* 37. *p. m.* 65. cum quo omninò conferri poteſt Lowerus *in tract. de cord. c.* 1. *p.* 16. 17. *ſeq.* Plura hanc in rem exempla adduci poſſent, ſed unum in præſens ſufficiat. Ut aliorum labores in ſectione hepatis non memoremus, diligentia & dexteritate antevertit omnes Gliſſonius, qui de ſeipſo, in præfatione ad Lectorem, *profecto*, inquit, *id vere teſtari poſſum, me haud leves quasque veriſimilitudinum umbras hic temere ſectatum eſſe; verum omnia, quantum licuit, ad rei ipſius trutinam fideliter exegiſſe.* Is autem recenſet hepar inter parenchymata, ita, ut *parenchyma hepatis videatur ei pars principalis,* quoniam reliquæ omnes illius partes eidem inſerviunt: Ligamenta nempe ſitum ejus ſtabiliunt, tunica circumveſtit, porta illi ſanguinem apportat, huic capſula communis miniſtrat; arteria & nervus hepatici operas dant partim portæ, partim capſulæ communi, partimque poro biliario; ramuli venæ cavæ & pori biliarii ſoli inde auferunt, ut manifeſtum ſit, alias omnes hepatis partes parenchymati ejus aliquatenus ancillari. Verùm Marcellus Malpighius in ſeculi gloriam natus, & ex crebris ſectionibus magnâ prudentiâ inſtitutis, & ope microſcopiorum adjutus, deprehendit hepar *conglomeratum eſſe glandulam, cum in diverſa fruſtula & acinos dividatur, unico excretorio polleat vaſe, & determinatum ſeparet ſuccum, in cavitatem inteſtinorum eructandum.* Malpigh. *de hepat. c.* 3. *in fine p. m.* 257. *in op. edit. Amſtelod. tom.* 2. Idem de pulmone, renibus &c. dici poſſet, in quibus lynceus ille Anatomicus alios cœcutiiſſe fecit manifeſtum. Nihilominus nec ipſe licet oculatiſſimus omnia vidiſſe cenſendus eſt. Clariſſ. Nuckius *in Adenograph. c.* 1. *p.* 3. *Clariſſimus,* inquit, *Malpighius ſtructuram glandularum conglobatarum curiosè quidem propoſuit, ſed, ut pace tanti Viri hoc dicam, longè aliter earum fabrica nobis fuit oblata; ſive enim vaſorum lymphaticorum introitum exitumve examinemus, ſive glandulæ interiora perſcrutemur, paſſim quædam occurrunt, quæ Anatomicorum filii nondum viderunt &c.* Ita ex defectu alicujus requiſiti viſus nos faſcinat; quæ omnia experturis quicquam ſuis oculis documento ſint, ut attendant ad omnia requiſita ſenſus, nec vanè credant omnia bene vidiſſe, ne quod de tantis viris multi modò, de illis poſteri & fortè deterius longè (jure optimo) ſentiant & loquantur.

§. 4. Talis deceptio in reliquis ſenſibus etiam locum habet ob aliquem requiſiti alicujus defectum. In ſenſu Guſtûs illuſtre exemplum præbet ſuccus pancreaticus non ſine labore inventus; orta enim de ſapore ejus quæſtio eſt. Regnerus de Graaf, Sylvii diſcipulus *de ſucco pancr. c.* 4. *p.* 551. *in Oper. edit. Lugd. Bat.* naturaliter acido-temperatum eſſe contendit, *unde,* inquit, *contingit, quòd ſuccus pancreaticus naturaliter acido-temperatus exiſtat.* Quod & ante diſcipulum docuerat Præceptor ejus *in diſq. Med. X. p. m.* 50. *in Oper. Amſt Edit. num.* 39. *acidus vel potius ſubacidus cenſendus erit ex ſui natura idem ſuccus pancreaticus, ſed temperatus*: fallimur aut præconcepta opinio de ſucci hujus cum bile effervescentia talem impreſſit ei guſtum, præprimis

mis cùm ipſe agnoſcat Graaf *ſub init. cap. citat. p.* 540. *ipſum offendiſſe acidum gratiſſimum, aliquando penè inſipidum, nonnunquam auſterum, ſæpius ſalſum, ſæpiſſimè verò acido-ſalſum*; aut lapſus eſt, exiſtimans, eum eſſe *ſaporem naturalem in ſubjecto morboſo*, qui naturalis non fuit, aut organum guſtus acidâ qualitate fuit inbutum, cum guſtaret hunc naturaliter ſe habentem. Poſtremum certè accidiſſe cuidam Bontekôe diſcipulo adſtanti Anatomiæ cuidam recenter mortui, recordamur, cum bonâ enim fortunâ & ſecandi dexteritate liquorem deprehenſum circumſtantibus guſtandum porrigeret proſector, qui jejuno ore guſtaverat & nullum acidum deprehenderat ſaporem, eundem delibandum præbet Bontekoëano, præprimis cum nulla adeſſet ſuſpicio ſuccum præternaturaliter in eo ſubjecto ſe habere. Is continuo *acidus*, inquit, *eſt*, & vides Bontekoë recte ſenſiſſe. Medicus gnarus eum hauſiſſe vinum aliquantò largius, jubet eum eluere limpidâ os; quo facto denuò guſtandum præbet ſuccum, præbet & aliis, ubi coactus eſt fateri homo, Medicum recte negaſſe acorem ſucci. Ex quo aliiſque huic ſimilibus exemplis colligere licet, eum, qui ſenſu guſtus dijudicaturus eſt ſaporem quendam, teneri dare operam, ne organon guſtus adventitiô ſapore ſit infectum.

§. 5 Interdum id, quod objectum viſus eſt, tàm exiguæ eſt quantitatis, quod jam ex antecedentibus conſtat, ut oculos ſubterfugiat. Ponamus jam vera eſſe, quæ de erudito quodam Viro referuntur in Bataviâ, qui *in guttulâ aquæ, cui piper triduo fuit infuſum, ſponte in tubulum vitreum aſcendendi* 30. *animalcula fertur conſpexiſſe*; ponamus, inquam, rem ita ſe habere, quomodo viſus in unoquoque animali illam organorum infinitam varietatem deprehendet? Quid de ductibus nervorum dicturi ſumus? Num cavi? oculi noſtri prorſus cœcutiunt, *& compages illorum ſtilo cuivis impervia eſt*, fatente Williſio in *Anatom. Cerebr. c.* 19. *p. m.* 64. *in Op. Edit. Amſtelod.* Sed vitreis oculis nihil non ſe videre, multi nobis perſuadent (ita jam ad conſiderandum medium deſcendimus, prætermiſſo aëre illuminato, tanquam ſatis noto) Enimvèrò, nec hoc accommodatum eſt medium ad omnia videnda; nam, ut Williſius *l. c. etiam perſpicilli ſive microſcopii applicatio cavitatem nullam his adeſſe confirmat.* Et hactenus nemo, opinamur, inventus eſt, qui vias, quibus vena portæ liquoris ſui alias partes in poros ac veſiculam bilis, alias in cavam dimittit, commonſtrarit, ut non ſine ratione Peyerus *Exerc.* 2. *de gland. inteſtin. p.* 28. dicat, *hoc magis optandum, quam ſperandum.* Nullus etiam prodit in lucem, qui, quâ mechanica meatus ex arteriis emulgentibus in ductus uretericos ſerum tranſcolent, etiam exquiſitiſſimo edocuerit microſcopio. Excell. D. Bohnius, Lipſiæ decus, expreſſe *ſeſe*, ſcribit, *ignorare, quâ mechanicâ Lien ſuo munere defungatur?* An ſperamus etiam id conſecuturos ope microſcopiorum, ut poſteritati conſtet, quibus canalibus in cerebri ventriculos, aut in pericardii cavitatem ſeſe effundat lympha? Non verò hæc pertinent ad damnandum uſum microſcopiorum, quibus Malpighius, Hoockius & Löwenhœck, tot egregia, ſcituque digniſſima protraxere in lucem; ut illu-

ſtres Italos, Gallos, Anglos, Batavos, noſtros quoque Germanos, nullis ex his ingenio, eruditione & experientiâ minores, taceamus, multum nos affecerunt ea, quæ Celeberrimus Mathematicus & Phyſicus Sturmius *in Collegio Curioſo part.* 1. *tentam.* 15. *p.*138. *& ſeqq.* affert, quæ non tantum de effectu cauſiſque, ſed & modo prudenter adhibendo microſcopia Lectores commonefacient. Cumque notum ſit, microſcopia conſtare, vel *unâ lente, eaque acutiſſima* & minimæ ſphæræ; alia *duabus lentibus, alterâ ſcilicet, quæ ad objectum ſpectat, acutiſſimâ, & aliâ, cui oculus admovetur, molliore & majoris ſphæræ; alia tandem tribus lentibus*, ut alias jam differentias non perſequamur, poſterioribus objectum averſo ſitu cernitur, quod an ſemper obſervarint, qui vitreos hos ſibi applicarunt oculos, experimenta loquantur. De cætero in Anatomicis utile cumprimis eſt, noſſe canalium principium & finem, hinc enim de origine liquoris & uſu ejus conjectare licet. Enim verò etiam hîc lapſus facilis eſt. Bartholom. Euſtachius, Anatomicus ſuperiori ſeculo famigeratiſſimus *in tract. de venâ ſine pari antegramm.* 13. de eo nos non ſinit fluctuare, nam finem ductus thoracici conſtituit receptaculum, quod ejus principium eſt. Verba Viri hæc ſunt: *Ab hoc inſigni trunco ſiniſtro juguli, qua poſterior ſedes radicis venæ internæ jugularis ſpectat, magna quædam propago germinat, quæ, præterquam quod in ejus origine oſtiolum ſemicirculare habet; eſt enim alba & aquei humoris plena, nec longè ab ortu in duas partes ſcinditur; paulò poſt rurſus coëuntes in unam; quæ nullos ramos diffundens juxta ſiniſtrum, vertebrarum latus penetrato ſepto transverſo deorſum ad medium uſque lumborum fertur, quo loco latior affecta, magnamque arteriam complexa obſcuriſſimum finem, mihique adhuc non benè perceptum, obtinet.*

§. 6. Utinam verò omnes, qui de facultatibus medicamentorum ſcripta ad nos tranſmiſerunt, iniiſſent eam viam, & ſenſibus, guſtu, inquam, & odoratu circa ſingula rectè uſi fuiſſent, non laboraremus eâ, quæ præ manibus eſt, confuſione, ex diſcrepantia Auctorum orta. Nam quemadmodum viſus in Anatomicis dominatur, ita guſtus & odor in explorandis medicamentorum facultatibus primatum tenent. Enimverò non uno modo contingit, ut hic erremus, ex *parte organi quidem guſtus* non niſi depravatus erit ſenſus ac judicium erroneum, 1. ſi *lingua prorſus exſucca & fibræ ejus contractæ* ſint, unde videmus eos, qui defectu ſalivæ laborant, nullo propemodum guſtu pollere, cujus exemplum nobis præbuit Medicinæ Profeſſor quidam, qui per longum tempus ſapores diſtinguere ignorabat, & Bibliopola, qui decrepitus ſenex ad mortem uſque de impotentiâ guſtandi conqueſtus eſt. 2. Si *lingua nimis ſit humida*, nam humor ille linguæ cavitates occupans, alteri, qui ſaporem devehit, non cedit. 3. Si *ſalivæ admixta ſint corpuſcula, quæ à bile procedunt*, ingratus ſapor alios cibos depravat non aliter, quam ſi ipſis vel fuliginem, vel tantillum fellis aſpergeres. 4. Poſt *ſomnum etiam de ſapore non ita rectè judicamus*, aut etiam *poſt alium quendam cibum.* Ad immutationem ſaporis conferunt etiam alia, quæ ſcire oportet, ne decipiamur. Nam & 5.

calor

calor laxans fibras ſaporem mutat, hinc quæ cocta, e. g. poma, pyra, diverſum ſaporem præ ſe ferunt, ac cruda, & quæ calida guſtui placent, eadem frigida prorſus ei ingrata ſunt, ut vel in juſculis quotidianis illud obſervare licet. 6. *Frigus* quoque *contrahendo fibras linguæ*, facit eas *rigeſcere*, ut non facilè affici poſſint. Quantum additiones & variæ adulterationes faciant ad mutationem guſtus, ex culinariâ elucefcit. Hinc judicaturi ex guſtu etiam de exoticis, quorum luxum meritò perſtringunt cordati Germani, ne temerè quid dicant, ſed potiùs ſemper habeant ſuſpecta ob factam additionem, quod ea, quibus quotidiè utimur, abundè edocent. Ita ſcammonium genuinum rarum eſt, quod non ſucco lithymalino adulteratum ſit. Par judicium de ſanguine Draconis, utpote qui infectus eſt ſanguine hircino; *Meconium loco opii nobis protruditur*, ut optimè notavit Ettmüll. *in Colleg. pharmac. in Ludov. p.* 1049. *& ſeqq.* Non tantum verò *mangoniis* diverſimodè ſed & *non raro ſitu* corrupta etiam peregrina ſunt, ut iterum ob ſingularem candorem & experientiam nunquam ſatis laudatus Ludovici expertus nos commonefecit. Porrò ex *parte objecti de toto* judicaturi, e. g. vegetabili aliquo neceſſum eſt, ut totum guſtu exploremus, ſæpè enim contingit, ut diverſarum partium unius compoſiti diverſus ſapor ſit; nam cucumeres partem radici proximam habere amariorem, notum eſt, & notatum jam ab Ariſtotel. *Sect. I problem. quæſt.* 25. quod in glandibus ſecus accidit. Id etiam paſſim eſt ab Auctoribus traditum, quòd plantarum *ſemina*, *radices & folia*, *diverſum ſenſum imprimant*, ita, e. g. plantarum acrium ſemina ſunt acriora, quam radices vel folia *&c.* hæc & alia plura guſtu facturus experimenta obſervet neceſſe eſt in ſingularibus guſtu perceptibilibus. Præterea ad clima ſolemque ſemina producentia, culturam & ejus defectum, anni tempeſtatem, ſalubritatem aëris, tempus modumque colligendi & conſervandi reſpiciendum, nam juxtà hæc omnia plantæ differunt.

§. 7. Quòd verò odores etiam cognitionem intimiorum facultatum medicamentorum largiantur, tradit Celeberrimus Wedelius *in Amænitat. Mat. Med. l.* I. *ſect.* I. *c.* 5. Memorabile eſt, quod refert Digbæus *de corpor. nat. tract.*I. *c.*27. de quodam per plures annos in ſylvis commoranti & odoratu diſcernenti, ubinam radices fructuſque ſalubriores creſcant. Et Celeb. Meibom. *diſſert. de febb. malign.* §. 6. teſtatur, ſe aliquoties in *ægris malignâ febre laborantibus talem percepiſſe odorem*, *unde mortem tertio aut quarto die prædixerit.* Quanquam talis collectio inſtituenda non ſit, hoc inodorum eſt, ergò nullam habet facultatem, nam pyrethrum, lepidium ſunt inodora, ac tamen ob acrimoniam inſigniter calida. Jam ad ea, quæ ubivis obvia ſunt, de organo odoratus, vix eſt quod addamus, præter hæc, quæ habet Hamel *de corpor. affection. l.* I. *c.* 9. *p.* 203. *& ſeqq.* *Quodſi homines tam lautè non viverent, neque iis olfactûs organum ciborum fumis inquinatum eſſet, puriores fortè halitus, quibus odores conſtant, faciliùs exciperent, atque odore ipſo, ut bruta cibos* (quidni & medicamenta) *diſcernerent*, quod probat exemplo

canum

canum venaticorum, qui ſagaciores ſunt, quo parcior eis victus præbetur, & exemplo alicujus metu militum in ſylvis diu radicibus & glandibus viventis, qui, teſte Digbæo, narravit ſe odoratu cibos tùm exploraſſe, homines autem venatores vel odore ſolo percepiſſe, eorumque inſidias eluſiſſe, donec laqueis irretitus caperetur. Aliquas obſervationes tamen adjiciendas eſſe arbitramur. Wedelius *l. c.* opportunè monet, aliqua *per ſe odoratui eſſe patentia*, modo admoveantur naribus, alia verò *accendenda*, *terenda*, *ſolvenda eſſe*, *ut odorem expandant*, exemplo ♃is & ♁ii. Niſi ergo poſterius hoc executus fueris, non rectè de hujus vel illius rei odore ſenties. Deinde certum eſt, etiam ipſum tempus conſiderandum eſſe, ut integrum feras judicium. Nam *tempore pluvio vel humido corpora odorifera* minus *odoris exhalant*, nam humor poros eorum obſtruit, ne halitus per eos erumpant, forte etiam filamina halitus iſtius ſubigit ac diſſolvit. *Frigido* quoque *tempore* odores ſunt obtuſiores, quia *frigus poros per condenſationem ſtringit & halitus difficiliùs avolant*; ſicuti contra calor reſolvens poros facit excitari halitus, ut patet in flore autumnali, quem Jaſminum vocant; quotieſcunque ergò vel cœlo frigido, vel aëre humido hoc aut illud naribus admoviſti, meritò dubitare teneris, annon experimentum tùm ſit fallax. Diſpiciendum etiam eſt, annon *odore jam corpus odoriferum ſit privatum*, quod variis modis fieri poteſt, ut patet exemplo violarum, quæ ſi vel pluvia diuturniori ſunt madidæ, vel ſoli diu ſint expoſitæ, odore ſuavi privantur; ſolis enim ardor halitus odoriferos educit, ut ferè nihil remaneat, pluvia verò macerat particulas illas, quæ in halitum odoriferum abiiſſent. Adhuc hoc addendum, pleraque cum propiùs admoventur, fœtere, quæ, cum remotiora ſunt, ſuaviſſime olent, tenues enim ſpiritus olfactum juvant, craſſiores offendunt. Cùm ex vitellis ovorum oleum in ſartagine extrahitur, vel ex ſanguine craſſum itidem oleum deſtillatur, odor peſſimus exhalat, quòd exhauſtis ſpiritibus nihil ſuperſit præter ſulphur ſale volatili & fixo aculeatum.

§. 7. Calidi & frigidi, humidi, ſicci, aſperi, levis, duri, mollis &c. arbiter eſt *tactus*. Cùm verò, quod uni calidum videtur, alteri frigidum videatur, cœpit adhiberi thermometrum ita dictum, quod gradus caloris, uti & frigoris dimetiatur. Et Sanctorii ille tubus inflexus, cujus pars ſumma occluſa eſt, & in globi formam tornata, inferior verò aperta, per quam aqua uſque ad aliquam altitudinem infunditur, jam abiit in deſuetudinem, & potiſſimum thermometra ſigillata nunc adhibentur, quæ deinde tabulæ in partes æquales diviſæ applicantur. In his ſpiritus vini condenſatur, & eò magis deſcendit, quò acrius eſt aëris ambientis frigus, æſtate verò rareſcit ſpiritus vini; optimum thermometri modum exiſtimat Honorat. Fabri, quem *p. 632. tom. I. tract.* 2. deſcribit &c. Enimverò præclarè ibidem Fabri l. c. *indices graduum caloris nolim putes tàm accuratam caloris eſſe menſuram. Cùm plerique ex recentiorum ſcholâ, cauſas caloris & frigoris in corporibus frigidis & ſiccis non aliter eſſe ſtatuant, quàm cauſa doloris in gladio aut fuſte exiſtit,*

ipſam

ipſam verò caloris formam perinde ut doloris ſenſum ajant in certa nervorum & ſpirituum commotione ſitam eſſe, & propterea fortè dicere par erit, potius ſenſu tactus exploranda eſſe calida & frigida. In Medicinâ noſtrâ maximam affert utilitatem, noſſe, quæ calorem, quæ rigorem in corpore noſtro excitent, quænam humectent, & quænam exſiccent. Quantum ad vegetabilia fortaſſis omnium optimum foret, ut jejuni, ventriculo rectè conſtituto, in notabili quantitate uterentur Viri ſuæ conſtitutionis gnari, nam tùm in percolatione ea, quæ fit in corpore animantis, ſi calida & ſicca forent, ignis particulæ ſeparatæ à parte majori terræ, quæ in fæces abit, non poſſent non ſenſum caloris, modo majoris modò minoris excitare: Si vero frigida & humida eſſent calidi partes, ſubtilis puriorque humor (nam frigiditatis principium humor eſt, & cum Experientiſſimo Viro Domino Schelhammero omninò facimus, qui humorem, ſive ut ipſe loquitur, aquam ſtatuit primum frigidum eſſe) divelleret, & modo magis, modò autem minus frigiditate ſua corpus alterarent. Hac via non tantùm plantæ vi purgante, ſudorifera, diuretica *&c.* præditæ certiùs innoteſcerent, ſed & modus operandi ſeſe manifeſtaret clariùs, nec neceſſe foret, ad metaphyſicas quasdam ſpeculationes, ſicuti communiter fit in hac doctrina, delabi.

§. 8. De experimentis Chemicis omnes modernorum libri ſunt pleni, & ab ingenuis Viris ſatis multæ additæ ſunt de iis recte inſtituendis cautelæ, & laudabili candore communicata ſunt, quæ irrito conatu ſuſcepta fuerunt; ex illis verò inter ſe collatis facilè eſt cudere cuivis, de iis inſtituendis, præcepta. Prælaudatus Schelhammerus rectè ait, Hippocratem ea *non revocaſſe in uſum*, additque id factum, *partim quòd inter ipſa initia ſatis occupationis erat naturæ ipſius affectus inveſtigare*, *partim quòd methodus ex iis argumentandi nondum ipſi eſſet cognita.* Ultima non ſatis capimus, imò in aliam prorſus abimus ſententiam, rati, mortalium neminem, præter Ariſtotelem & Galenum, rectius fuiſſe argumentaturum, quam Hippocratem ex ſingularibus experimentis chemicis, modò ei operationes fuiſſent cognitæ. Ita jubet nos credere admirandum aphoriſmorum Opus, abundè teſtaturum, eum fuiſſe legum colligendi ex ſingularibus peritiſſimum; Nec quicquam peculiare habent chymica, niſi quatenus traducuntur ad illuſtrandam humorum in corpore noſtro naturam, quò etiam D. Schelhammerum reſpexiſſe ex ſeqq. colligimus.

§. 9. Ut morborum phænomena & ſymptomata rectè obſerventur, ante omnia neceſſaria eſt exacta morbi ex arte Medica cognitio, quam novatores ſtudioſis admodum fecere difficilem, inductis tot ineptis contra omnes, quas ſtolidè aſpernantur, quia nunquam didicerunt, definiendi leges, deſcriptionibus, incredibile verò dictu eſt, quot monſtra ſymptomatum in omnibus affectibus hinc nata ſint. Non tangemus ulcus, alias in proclivi foret demonſtrare, à magni nominis Viris heic erratum eſſe. In praxi Medica lapſus hinc videmus quotidiè enormes. Referimus exempla duo: Viduus duxit juven-

culam, apud quam ſtrenuè per aliquod temporis ſpatium meretur, læteque etiam inter convivarum plauſus vivit. Cubitum verò ſe aliquando conferens, ſomno breviori fruitur. Altero die totus torpet. Pandiculatio, oſcitatio etiam aderant. Incidit deinde in profundum ſomnum. Vix evigilat manè, mentisque non ſatis compos abſurda effutit, & iterum obdormit. Ægrè excitatus ſemiclauſis oculis denuò labitur in ſomnum, ac hiante dormit ore, iterum autem ex gravi ſopore excitatus, modò hoc, modo iſtud poſcit, acceptis verò non utitur. Æſtus continuus ſub noctem incrementa capiebat. Reſpiratio parva & rara, pulſus magni & undoſi aderant. Urina jumentorum perſimilis reddebatur, & ſudor circa extrema multus, frigidus & aquoſus effluebat. Circumſtantes morbum à faſcino originem trahere, ſentientes, unum ex Medicis in ſuam ſententiam pertrahebant; alter ex medentibus conclamatum eſſe de ægro ex ſudore frigido concludebat, exiſtimans de cætero eſſe morbum aliquem convulſivum, id quod hians os, oculi ſemiclauſi docerent. Si uterque phænomena illa conjeciſſet in chartas, quid nonne ob nova à ſe hic in convulſionibus, alter in morbis à Dæmone obſervata ſymptomata ſeſe operæ pretium præſtitiſſe videretur? At verò aberravit turpiter uterque tangente acu rem tertio, qui ſoporoſum affectum, quem lethargum vocamus, debitis medicamentis debellavit. Medicus quidam gravidam ad partum usque pro hydropica, non ſine opprobrio artis, curavit. Et certè melius honori ſuo, & noſtræ arti conſulerent multi, ſi nullo præfixo titulo rariora ſymptomata enarrarentur, & doctioribus dijudicandum ex phænomenis relinquerent, cujusnam generis morbi, de quibus dubii hæſere, extiterint. Nam alias ejusmodi obſervationes unicè ſolùm valent ad confuſionem majorem in artem medicam, ſine neceſſitate, inducendam. Cùm verò Viris doctiſſimis hic error frequenter obrepat, nam & ſui ſeculi gloria Caſp. Hoffmannus, ex colica mictum cruentum, poſt uſum opii ſecutum, narrans, deceptus eſt, & qui hunc effectum conſequi volunt ex opii uſu in colica falluntur; prout prius annotavit Clariſſ. Simon Pauli, cùm citra dubium calculo renum laborarit æger; nihil quidem in mentem venit, quod in præſens conſulere liceat, adeoque, quid faciendum ſit, ab aliis diſcere malumus, qui unum ſeriò precamur, ut diſceptationes de genere morbi apud ægros omittantur, quæ utplurimum hinc oriuntur, quod unus ad hoc, alter ad illud ſymptoma attendat, & quisquis præconceptis ſuis opinionibus inhæreat. Qualis enim opinio in animis Auditorum ex concertationibus ejuſmodi generetur, patet vel ex ſola memoria acerrimæ velitationis medicorum de ægro Mazarino & ex judicio de hac apud Priolum *l.* 11. *de reb. Gall. c.II. p.m.* 389. Ultimo virtutes medicamentorum per experimenta manifeſtaturum, niſi & ſe & alios decipere velit, noſſe par eſt 1. medicamentum ejusque præparationem, 2. morbum ac morbi ſtatum, 3. ægri conſtitutionem naturalem, 4. ab hoc medicamento ſuperatum hunc morbum. Deus bonè! ne duobus prioribus inhæreamus, quantæ fallaciæ etiam

in

in tertio committuntur, in morbis præprimis chronicis? Ultimo ſumptum medicamentum, etſi iners, etſi ineptè præparatum, priora nobiliſſima vulgò ſuperare creditur, quia ejus uſus & reconvaleſcentia tempore conjuncta ſunt. Quem errorem, cum vulgo medici & arcanorum venditores creberrimè errant. Certè quotiescunque arcanis ritè perpenſis omnibus uſi ſumus, toties nos deſtituit eventus, qui utplurimum felicior fuit, cum longa experientia confirmata in uſum vocavimus medicamenta. Quicquid alii de Helmontio jactent, pace ipſorum dixerimus, medicamenta ab eo commendata ſpei non reſpondiſſe. Oſſiculum, quod in poplitè leporis eſt, quodque patellam vocant, colicos dolores ſuſtuliſſe ſcribit ſe non ſemel expertum; Hydropicum ruſticum ſanatum fuiſſe alligata anguium ſenecta, per ventrem & renes. Verùm ea medicamenta noſtrum fefellere deſiderium. Ita etiam in aliis ejus eventu fruſtrati ſumus. Naturæ Conſultiſſimus Boyle, qui Helmontium alioquin, non una de cauſa, etiam propter fidem quidem ac ſinceritatem laudat, diffiteri non potuit, non ſemper, quæ adverſus pleuritidem commendat Helmontius remedia, aut ſibi aut amicis, qui ea adhibuere, benè ceſſiſſe. Ipſius quoque Boyle Viri magnæ, in communicandis literario Orbi inventis, fidei & candoris, medicamenta, etiam primæ claſſis novimus quosdam infelici prorſus eventu præbuiſſe. Et utut propemodum certiſſimus ex ultimo fonte derivari medicamentorum virtutes prolixè commendantium, & ſua experientia ſalubrem eorum uſum confirmantium errores frequentiſſimè; nolimus tamen negare, ex parte vera eſſe, quæ tertio loco adducit Leonhardus Capuanus pro medicamentorum incertitudine confirmanda, & huc redeunt, vix medicum noſſe, quo in ſtatu degat æger, quando medicamenta ei propinanda ſunt, cujuslibet individui etiam ſani ſtatum omni ferè momento mutari, tam ratione particularum, quæ exhalant, quam earum intuitu, quæ ex alimentis diverſis, atque aëre diſcrepante, in locum illarum ſuccedunt; ex ignorantia verò ſtatus ægrorum, qui ſæpè diverſus exiſtit, non niſi diſſimilis conſequi eventus unius ejusdemque ſpeciei medicamenti poteſt. Ex hoc ipſo verò eluceſcit ſimul, non ipſi medicamento ſoli, ſed medicamento & ſtatui ægri ſanitatem eſſe tribuendam, atque decipi ſæpiſſimè medicos, qui ſua ad cœlum extollunt medicamenta, dùm ſolùm medicamentum non ſimul verò ægrotantium conditionem deſcribunt.

§. 10. Hæc & alia plura obſervanda ſunt, in cognitione ſingularium ei, qui ex iis notitiam experimentalem ſatagit ſibi acquirere. Singulare autem ritè obſervatum benè memoriæ imprimendum, ſive danda opera eſt, ut *affectio* v. g. in viſu *impreſſa* retinæ (quæ nihil aliud videtur eſſe quàm fibrarum mutatio certa ex rarefactione & luminis modificati appulſu) & deinde *ſecundum fibrarum nervearum longitudinem & continuitatem producta ad ſenſum internum* (hoc eſt plexum arteriarum, venarum, nervorum continuum, tum baſi cerebri, tum ſpinalis medullæ ortui;) *debitè fibris mol-*

lioris cerebri ſubſtantiæ circa baſin atque in toto tùm cerebri, tum cerebelli tractu infigatur, ac imprimatur. Quotiescunque enim fibræ illæ, quibus affectio ineſt, quam Phantasma Peripatetici convenienter appellant, vel ſpiritu pulſantur, vel calore rareſcunt, unde neceſſario vel ſenſio, vel compreſſio reſultat, vel humore imbuuntur, aut alia materia vellicantur, aut ex capitis concuſſione tremunt, illa ad ſenſum internum iterum deducitur & tum memoria rei ſenſu externo perceptæ adeſt. Quot verò ſingularia ſint obſervanda & memoriæ imprimenda, & quot memoriæ ad experimentalem cognitionem neceſſario requirantur, non accuratè definiri poteſt. Credere quisquam poſſet, *interdum* ad generationem experientiæ ſufficere aliquando *unius ſingularis* ſolùm memoriam. Nam, ut e. g. ſciamus, dies æſtivos longiores eſſe hyemalibus, ſatis eſt id ſemel obſervaſſe, & memoriæ mandaſſe, & cum ſemel vidimus, & memoriæ infiximus, triangulum tres habere angulos, id novimus de omni. Enim verò inter Philoſophos convenit, ejusmodi cognitionem propriè loquendo non eſſe experientiam, utpotè quæ intimè involvit notitiam plurium ſingularium, ſed eſſe cognitionem principii. Rectius ergò Averroes in *magnis commentariis in 2. Poſt. c. 2.* dixit, *experientiam quandoque gigni ex duabus memoriis, quandoque ex pluribus.* Et præclarè optimus in his Magiſter Ariſtotel. *l. 1. Metaphyſ. c. 1. multas*, ait, *memorias unius experientiæ vim efficere*: Si verò in ulla arte, certè in medicina, multæ requiruntur memoriæ ſingularium. Cæterum neceſſe eſt, ut ſingularia hæc conveniant, ſive neceſſarium eſt, *ut memoriæ ejusdem conditionis ſint.* Complexus, quæ dicta ſunt, Ariſtot. his verbis *l. c. multæ ejusdem rei* (nec eandem numero, nec ſpecie, nec genere, quemadmodum ipſe diſtinguit 1.*top. c.*7. ſed ſimilem intelligit) *memoriæ unius experientiæ vim efficiunt.* Et Hippocrates noſter *in præcept. tom.* 1. *p. m.* 60. *Edit. Linden.* ita loquitur: *Senſus enim prius percipit, & deinde transmittit ad mentem, quæ conſiderationi fuere ſubjecta. Hæc autem ubi recipit ſæpè & cum iis, quæ his ſimilia ſunt, ſervavit & in ſe repoſuit, eorum recordatur*, ut benè græca vertit D. Schelhammerus. Quænam autem ſimilia ſint dicenda, ſatis recte Ariſtoteles & inſtituto noſtro convenienter declaravit 5. *Metaph. c.* 9. Nimirum ſimilia dicuntur ei, 1. quæ *idem ſunt perpeſſa & paſſione aliquid in ſe receperunt*; deinde 2. ad ſimilia referuntur, *quæ plura habent eadem quam diverſa, quibus diſtingui* poſſunt. 3. Quæ *habent eandem qualitatem*, nam hæc eſt radix & fundamentum ſimilitudinis & diſſimilitudinis; ut enim ratione quantitatis res ſolent dici æquales aut inæquales, ſic qualitatum habita ratione ſimiles aut diſſimiles nominantur. Eò verò major eſt ſimilitudo inter res, quò qualitates ſunt plures aut inſigniores & magis præcipuæ, quibus conveniunt. Ad experientiam ergò neceſſariæ ſunt plures memoriæ ſingularium, quæ vel idem perpeſſa fuerunt, aut iisdem qualitatibus prædita, aut multa habuere prædicata eadem. Qui ita inſtructus eſt, deinde progreditur ab his ſingularibus ad aliud eis ſimile; ita, e. g. colligens, pulvis Peruvianus

Petrum,

Petrum, Paulum, Andream *&c.* quartanâ febri laborantes (Antimus Conygius ſeu Honoratus Fabri, ut patet *ex tract.* 10. *phyſicor. p.* 482. in *Pulvere Peruviano vindicato c.* 7. *p. m.* 29. *ſupra centenos*, inquit, *appellare poſſem, quibus ſalutaris fuit, & Eminentiſſ. Cardinalem de Lugo plus mille ſchedulas totidem pulveris cum ſperato ac læto ſucceſſu exhibiti teſtimonia aſſervaſſe ibidem ait.* Conf. Morton. *de morb. univerſalib. c.* 7) ſanitati reſtituit, ergò etiam Georgium eadem febri correptum, ab inſultibus febrilibus liberabit. Talis integra collectio, ut dixi, commodè experientia nominatur, ac definiri poteſt, *quòd ſit progreſſus à ſingularibus ad aliud ſingulare.* Diximus, quòd ſit progreſſus ſc. *rationis* à pluribus ſingularibus, quo ipſo convenit cum *inductione* altero iſto *organo Dialectici*, quam Ariſtoteles *def.* 1. *Top. c.* 12. per ἐπαγωγὴν *à ſingularibus pluribus ad univerſale*; differt verò ab exemplo: nam exemplum juxta Ariſtotel. 1. *Rhetor. c.* 2. *n.* 48. & *lib.* 2. *Prior.* 24. *ſeſe habet ut pars ad partem*, hoc eſt, ut benè explicat Monlorius & Schraderus aliique, ut *ſingulare ad ſingulare*, adeoque eſt inductio imperfecta, quia ex uno ſingulari aliud ſingulare colligit, quod ſub eodem continetur genere. Per ſingularia autem propriè dicta intelligimus, adeoque minus univerſalia excludimus; eo ipſo autem differt ab inductione, quæ ſæpè à pluribus minus univerſalibus ad magis univerſale procedit. 2. Adjecit ad ſingulare aliud: hoc autem ipſo convenit quidem cum exemplo, ut jam innuimus, ſed differt ab inductione, quæ ex ſingularibus non alterum ſingulare, ut experientia, ſed univerſale infert.

§. 11. Enim verò contra has regulas non uno modo peccari poteſt. 1. Nonnullorum enim faſtus eſt prorſus intolerabilis, & hi negativè hoc modo concludunt: neque hoc neque iſtud ſenſibus meis uſurpavi, ergo neque alterum erit. Et hi ſua experientia decempedâ ſtolidè metiri patentiſſimos rerum phyſicarum campos ſatagunt ineptiſſimi homines ad incrementa phyſicæ impedienda nati. Fit enim ſæpiſſimè, ut, quod Virorum experientiſſimorum & exercitatiſſimorum oculis ſeſe ſubducit, illud vel propter inſignem operantis dexteritatem, vel etiam fortuito caſu ſenſibus alterius ſe ingerat. Vix ab Anatomicis antiquioribus obſervatum legas, quod ſpinalis medulla ſit numeroſis funiculis denſata, atque innumerabilibus fibris ſtipata. De eo tamen, more quorundam, dubitare nefas putamus. Nam Carolus Drelincourtius, Medicus Doctiſſimus & Eloquentiſſimus, in *præludio Anatomico* de ſeipſo *p. m.* 35. *ſpinalem*, inquit, *hanc medullam ex ejus oſſeâ vagina eduxi, inque minutiſſima fila diſcerpſi, atque diduxi, illasque filamentorum quovis ſerico tenuiorum & quibuslibet araneæ telis ſubtiliorum, ſuper chartas explicatas myriades curioſis oculis ſubjeci.* Tantò magis verò Drelincourtius præ aliis laudandus, quòd hoc à ſe inventum apud Lectores non glorietur, ſed Galeno tribuat. Valvulas in venis reperiri tales, quales ad vaſa è corde egredientia notantur, nemo jam in dubium vocat. Veſalium incomparabilem Anatomi-

cum Joh. Baptiſt. Cananus certiorem fecit, *ſe in conjuge carentis venæ quam azygon vocant initio, & item in venarum renes adeuntium & in ſectione venæ, juxta elatiorem ſacri oſſis ſedem occurrentium orificiis, membranas ejusmodi obſervaſſe, quales in venæ arterialis & magnæ arteriæ occurrant principiis*, quod ipſe Veſalius *in exam. obſerv. Fallopii p.* 131. fatetur; ipſe verò licet monitus, has valvulas videre non potuit. Ineptiſſimus autem fuiſſet, ſi ita Veſalius intuliſſet, ego ſecui hoc, iſtud, illud, *&c.* cadaver humanum, brutum, & non deprehendi valvulas illas, ergò non ſunt. Ulterius qui legit hæc Thom. Barthol. verba in *Anatom. reform. l.* 1. *de ven. append.* 3. *de vaſ. lymph. p.* 624. *Colli verò & artuum ſuperiorum lymphatica vaſa in jugularem externam ſeu axillaris concurſum ingrediuntur, ubi commune ſtagnum videtur, concurrentibus oſtiis lymphaticorum, ex quibus male ſibi nonnulli labyrinthum quendam imaginantur*; videt de labyrintho lymphatico à Bartholino dubitari, & male, obſervarunt enim alii & inter hos Excell. Dn. D. Hartmann. ut teſtatur *in exercit. Anatom. de iis, quæ contra peritiam veterum afferuntur* in ſpecie *c.* 5. §. 8. *p.* 42. Non infrequens 2. error eſt, quo ex uno ſingulari, quomodocunque cognito, ſtatim infertur aliud ſingulare, præprimis in cura ægrorum. Facit verò deſultoria aliorum levitas, aliorum verò arcana jactantium invidia, ut virorum bonorum experientia in his non ſatis ampla eſſe poſſit. Illi enim, qui vel uno die ter medicamenta, ſæpè nulla de cauſa, mutant, qui, quæſo poſſunt adjuvare experientiam aliorum, & medicamentorum vires ritè deſcribere? Semper enim hærent ancipites, ſi aliquando felix conſequatur eventus, cuinam adſcribendus ſit? Deinde huc ventum eſt noſtro tempore, ut quilibet ferè medicus, quemadmodum recte obſervavit Celeberr. Bohnius in *præfat. ad diſſert. Chymico-phyſicas*, extollat *tincturam bezoardicam, eſſentiam ſpleneticam, elixir præcipitans, aquam alexicacam, ſal naturæ, arcanum antepilepticum, balſamum apoplecticum, & id genus ſimplicitates alias, ac quidem ſub nomine arcanorum, quorum poſſeſſione non omnes dignos judicant.* Hi verò dum ſuis arcanis, quæ vix titivillitio cordati emptitarent, incubant, prorſus aliorum experientiam non juvant, & ipſi etiam ſemper tyrones exiſtunt. Quodſi enim ſe deluſos in praxi, adhibitis ſuis arcanis ſentiunt & ſors comprobet uſum alterius, cui aliquid adjecerunt, prioris uſui extemplo valedicunt, donec iterum, ſæpè etiam cum famæ detrimento, à porrigendo ſecundo arcano avocentur, & tùm aliud quoddam comminiſcuntur usque ad extremum vitæ. Phryges enim ſerò ſapiunt. Certè, qui rem ſine præjudicio expenderit, agnoſcet verè dictum eſſe à Schelhammero, *nos multitudine medicamentorum laborare, nec indigere aliis*: Fortè etiam obeſt certæ experientiæ ex tot ingredientibus medicamentorum compoſitorum, etiam ubi nulla neceſſitas eſt, uſus. Certè cum delectatione ſumma legimus, quæ Illuſtris Boyle affert in *adhortatione* ad *uſum ſimplicium*, quam addidit tractatu de *conſenſu philoſophiæ corpuſcularis cum medicamentis ſpecificis.*

§. 12.

§. 12. Ne decipiamur in collectione noſtra & fortè à pluribus diſſimilibus ad aliud diſſimile progrediamur, ex ſimilibus nobis cognitis ſingularibus in tertia figura colligamus majorem de medio hac ratione: Johanni, Paulo, Andreæ &c. opium nocebat; Johannes, Paulus, Andreas, erant phrenetici; ergò phreneticis opium nocet; aut ita: Huic, iſti, illi, tertio & ſic conſequenter, balſamus aniſatus, vel terebinthinatus profuit; Hic, iſte, ille fuerunt ulceroſi. E. ulceroſis balſamus aniſatus vel terebinthinatus convenit. Illa concluſio ſubſtituatur loco majoris in Syllogiſmo altero, qui eſt in prima figura: Phreneticis Opium nocet; hic æger eſt Phreneticus; E. huic ægro opium nocebit. In altero exemplo: Ulceroſis balſamus ſulphuris aniſatus vel terebinthinatus prodeſt; admirabilia enim præſtat, ſi ulceribus infundatur, conf. Sylvium *l.* 1. *prax. Med. c.* 40. §. 61. *p. m.* 286. Atqui Petrus laborat ulceribus; Ergò Petro proderit balſamus ſulphuris, aut aniſatus, aut terebinthinatus. Si minorem in ultimo Syllogismo quis conferat cum minore in primo, ſtatim apparebit, an ſint ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, i. e. ſub. *eodem univerſali*, & habeant ſimilem rationem, quod & in exemplo neceſſarium eſſe monuit Ariſtotel. 1. *rhet. c.* 2. Apparet vero has collectiones, ſi ad leges analyticas examinentur, non habere firmam conſequentiam: nam & ex illis paucis ſingularibus non poteſt niſi concluſio inferri particularis, quæ cum loco Majoris ponitur in Syllogiſmo in prima figura, evidens eſt, ex majori particulari concludi, quòd tam in prima, quam in ſecunda figura vitioſum eſt. Hinc verò hoc commodum aliquis conſequitur, ut admoneatur, quòd ſi eventus minùs ſecundus ſuccedat, experientia non ſit ſufficienti inſtructus, & paucorum ſingularium notitia propoſitio major nitatur.

§. 13. Is, qui multarum rerum experientia inſtructus eſt, redditur expeditus ad operandum, & inde Ariſtot. *l.* 1. *Metaph. c.* 1. docet, *experientiam ferè ſimilem videri Arti & Scientiæ.* Quæ etſi alio trahat Alexander, vidit tamen S. Thomas ſimilitudinem in hoc conſiſtere, quòd, quemadmodum Ars *& ſcientia ſunt potentiæ quædam & principia operationis; ita etiam experientia ſit potentia & principium, per quod reddimur habiles ad aliquid operandum.* Imò ſi verum fateri volumus, ipſa ars ab experientia ſæpè vincitur hac in re. Nam videas theoriæ deditos Medicos ſæpiſſimè longo intervallo relinqui poſt tergum ab empiricis in facienda medicina. Quod & Ariſtoteli annotatum. Cujus rei cauſa nulla alia eſt, quam quòd modo credantur callere artem, qui ſcientiam de ipſa ex libris & præceptorum inſtitutione quomodocunque hauſere. Nam etſi principia, ex quibus concluſiones in ſcientiis deductæ ſunt, forent certiſſima, recteque intellecta, quæ tamen ſubinde falſiſſima ſunt, & pejus explicata, error tamen variis modis committi poteſt, quotiescunque, ut neceſſe eſt fieri in Syllogiſmo practico, concluſio ex ſcientia de arte majoris propoſitionis loco ponitur, & ſingularis aliqua ſubſumitur, ut omnis dies docet. Contra facilius empirici ſingulares à ſe ipſis rectè cognitas transferunt

ad

ad aliam ſingularem illis ſimilem, & ut plurimum res feliciter ſuccedunt, modò in ſimilitudine non aberrent. Alias utilitates experientiæ jam non delibabimus.

§. 14. Sed fortè hæc plurimi, ut vulgaria, aſpernabuntur, nec nos repugnamus, modò illi ipſi, qui ſibi lyncei videntur, cum talpa ſint cœciores, & ſuſpenſo naſo talia excipiunt, non millies in vulgaribus illis impingerent. Requirent alii, ut ſuggerantur à nobis modi & viæ, quibus experimenta nova inſtitui queunt. Id enim eſt, quod unicè hodiè quæritur. Nulla verò rationalis alia via eſt, quàm ut, cum experimentum in uno proceſſit, tentetur in alio ſimili; vel enim ſimilis cauſa efficiens, vel ſimilis materia, vel ſimilis materiæ ejusdem alteratio, ſimilis ſive in natura, ſive in arte, operatio *&c.* occaſionem novo dabit experimento. Equidem cum hanc dilatandi experimenta viam deſiderari dixiſſet Fr. Baco de Verulamio *l.* 5. *de augm. ſcient. c.* 2. eam adumbrat, docetque modum experimentandi procedere *aut per variationem experimenti*, aut *per productionem experimenti*, aut *per translationem experimenti*, aut *per inverſionem experimenti*, aut *per compulſionem experimenti*, aut *per copulationem experimenti*, aut *demum per ſortes experimenti.* Enimverò, pace Illuſtris Viri & optimè alias de ſtudiis meriti, hæc *vana ſunt*, nam, citra ullam neceſſitatem ex analyticorum præceptorum contemptu, omnia intricat, & nihil affert, quod non innitatur ſimilitudine, ut patebit percurrenti, quæ habet *à p.* 239. *usque* 249. *in edit. Argentorat.* Quia verò nonnulla exempla, ab ipſo allata, accommodatiſſima ſunt ad illuſtrandam noſtram ſententiam, eadem ab ipſo mutuabimur. Compertum eſt, quod radii ſolis per ſpecula comburentia in calore ita intendantur, ut materiam, quæ ignem facilè concipiat, accendere poſſint: Qui hoc novit, ſi attendat, quod ſol & luna varias qualitates habeant communes, videt novi experimenti occaſionem ſuggeri, ac tentari poſſe, utrum radii Lunæ ad leniſſimum teporis gradum actuari queant? Non autem reſpondet eventus; nam Kenelmus Digbæus refert *lib.* 1. *de ſympath. p.* 41. *radios lunares in concavo ſpeculo, vel polita patina exceptos non ut ſolares urere, ſed potius humectare & refrigerare, relicta in ſuperficie vaſculi excipientis humida & viſcoſa materia.* Ulterius confectio papyri in pannis linteis tantùm probata eſt, ſi animum ad ea, quæ cum panno linteo habent aliquam ſimilitudinem quisquam reflectat, ei occurret in ſericis, in filaceis, compoſitis ex ſetis & pilis, in laneis, goſſypio & pellibus *&c.* ſucceſſum explorari poſſe. Item inſitio in arboribus fructiferis diu in uſu fuit, cum autem circumſpicimus res ſimiles, ſeſe offerunt arbores ſylveſtres, flores *&c.* & ad nova facienda experimenta invitant. De ſuccino fricato notorium exiſtit, quòd trahat paleas, quia verò per calefactionem ſimili ferè modo alteratur, quam per frictionem, anſa porrigitur tentandi, quid fiat cum ſuccino calefacto. Præprimis verò operationes naturales rectè obſervatæ multis novis experimentis occaſionem ſuggerere poſſunt. Prudenter itaque Illu-

illuſtris Vir *p.* 243. *debuerant*, inquit, *homines*, *ſi illis utilia inquirere vacaret*, *naturalia opificia*, *& operationes ſingulas attente & minutim & ex compoſito intueri*, *& ſecum perpetuò & acriter cogitare*, *quænam ex ipſis ad artes transferri poſſent. Speculum enim artis natura. Et certè non aliunde iridum artificioſarum imitatio*, *& modus deſtillandi*, *ac ars pingendi &c. facili ductu translata ſunt.* Nec minùs artes jam cognitæ & operationes in iis ſolennes ac uſitatæ, fœcundiſſimæ ſunt novorum experimentorum genitrices; ita ſigillorum impreſſio in cerâ, cæmentis & plumbo, arti typographicæ à Germanis inventæ, viam monſtravit. Quaſi ex tripode profecta ſunt, quæ habet *p.* 244. *Quòd nihil ad imbrem quendam inventorum utilium eorundemque novorum*, *veluti cœlitus deducendum*, *tantum valere poſſit*, *quantum*, *ſi experimenta complurium artium mechanicarum uni homini aut paucis*, *qui ſe invicem in colloquiis acuere poſſint*, *in notitiam venerint: ut per hanc*, *quam dicimus*, *experimentorum translationem artes ſe mutuò fovere & veluti commixtione radiorum accendere poſſint.* Poſt tempora certè Illuſtris Viri feliciſſimo ſucceſſu in multis hæc in praxin traducta ſunt, quæ modò legimus præcepta. Imprimis memorabile eſt, quod hæc noſtra ætas ipſas plantas cultro ſubjiciat anatomico. In quo negotio eluxit cumprimis diligentia Malpighii in *Anat. plantar.* & Nehemiæ Grew *in lucubrationibus*, quæ in Ephem. Germ. *Dec. I. ann.* 8. 9. & 10. leguntur. Quemadmodum autem hæc Verulamii, de novis experimentis reduximus ad unicum à ſimilitudine fontem, ita dubium non eſt, quin etiam cætera eo rectiſſimè queant revocari.

§. 15. Præterea inſignis experimentorum uſus cernitur tàm in illuſtrandis propoſitionibus univerſalibus jam conſtitutis, quam in novis conſtituendis. Et ut de priori jam non loquamur, in poſteriori magna opus eſt curâ, nec adeò facilè eſt, ex ſingularibus fabricare propoſitiones univerſales. Et optandum quidem eſſet, ut Viri docti ex obſervationibus ab Illuſtribus Societatibus & Academiis per multorum annorum decurſum cum orbe erudito communicatas, aggrederentur formare propoſitiones univerſales; ita enim ſcientiarum pomœria extenderentur, & quæ per multa ſinuoſa volumina jam diffuſa ſunt, brevi admodum libro comprehendi poſſent. Et ſi quis fortè ſeculi offenſam metueret, quòd mirè ſibi placet, & ferre alios non poteſt, niſi hyperbolicos ſui laudatores, poſſet vires ſuas experiri in iis, quæ ad poſteritatem tranſmiſſa ſunt à Benivenio, Dodonæo, Amato Luſitano, Valleriolâ, Wiero, Coſtero, Foreſto, Schenckio, Donato, Platero, Hochſtettero, Ballonio, Epiphanio, Ferdinando, Carolo Piſone, Fabric. Hildano, Gregor. Horſtio, Henrico ab Heer, Zacuto Luſitano, Nicol. Tulpio, Reinero, Solenandro, Joh. Petr. Lotichio, Philip. Salmutho ac aliis. Nam utut vilior hæc ſparta haberi poſſit, etiam hanc caſam Dii inhabitant, quo Heracliti dicto ad Animalium philoſophiam invitat nos Ariſtoteles. Qui in hoc ſtadio cum laude decurrere cupit, obſervet in anteceſſum regulas à Conringio in his ſine exemplo propemodum

exercitato in *lib de. civili prudentiâ c. X. p.* 189. præſcriptas, quarum Prima eſt: *Univerſales propoſitiones hîc appellari omnes, quæ non ſunt ſingulares.* Nemo vero non videt, Celeberr. Virum abuti hîc voce propoſitionis univerſalis, juxta Ariſtotel. enim *univerſalis ea eſt, quæ ſignificat aliquid omni aut nulli ineſſe lib.* 1. *Prior. c.* 1. Secunda: *in ſcientiis potiſſimum quidem locum generalibus, proximum ſpecialibus, aliquem tametſi infimum, deberi illis, quas particulariſſimas dixeris, quoniam non ſunt acceptæ ex multorum ſingularium uſu.* Sine dubio obverſati ſunt animo Conringii illi Ariſtotelis textus, quibus inculcat, *ſcientiam eſſe aut ejus, quod ſemper, aut quod utplurimum eſt, lib.* 1. *poſter. c.* 30. *lib.* 2. *c.* 12. *lib.* 1. *Prior. c.* 27. *lib.* 6. *Metaphyſ. c.* 2. & 3. *de part. anim. c.* 2. Si quis Galenum ipſum audire malit, ex *lib.* 4. *comment. in lib. Hippocr. de ratione victus in morb. acut.* hæc maximè hûc faciunt: *Omnis doctrina ex Univerſalibus recipit incrementum. Quæ, ſi perpetua fuerint, primam habent dignitatem & utilitatem, ſi verò magnâ ex parte, ſecundam; quòd ſi anceps quidpiam vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile cenſendum eſt.* Lectu digniſſima in hanc rem diſſertatio Scherbii *pro Philoſ. Peripathet. adverſ. Ramiſt. c.*3. in *Phil. Altorf. p.*15. quorum pleraque tranſtulit in *c.*7. *lib.*1. *Oper.* ſui egregii, *de variis ſciendi generibus & mediis* Zeidlerus. Tertia eſt, *ex ſingularibus Univerſalia diſci poſſe partim per ſe, facta ex ſingularibus collectione, partim non niſi occaſionaliter, dum nimirum mens verſans ſingularia atque exinde univerſalia quaſi fabricans occaſionem arripit, inveſtigandi cauſam, quâ perſpectâ Univerſalis quædam enunciatio formatur, quæ tamen reapſe non accepta eſt ex ſingularibus, atque adeo collectioni ex ſingularibus inſtitutæ non reapſe debetur. Nemo verò non videt, id fieri prorſus per accidens, neque enim ſingularis propoſitio, ſed cauſæ inveſtigatio, eo in caſu anſam ſuppeditat extruendi univerſalem propoſitionem.* Quarta eſt, *ex ſingularibus factâ collectione non affirmativas duntaxat, ſed etiam negativas confieri, primariò tamen affirmativas, quoniam ſenſus & experientia primo ac per ſe entitatem rerum percipiunt.* H. I. Multò etiam uberiorem uſum habent, hinc Ariſtot. *l.* 1. *Prior. c.* 25. demonſtrationem affirmativam præfert negativæ. Conf. Zeidler. *l. cit. c.* 15. §. 4. *p.* 306. 307. & *ſeqq.*

§. 16. Cæterum quisnam progreſſus ſit ex experientiis multis formandi propoſitiones univerſales ex 2. *poſter. Analyt. Ariſtot. c. ult.* conſtat, quem brevius Piccart. *in Synopſi Org. p.*731. Zeidlerus verò *in lib. cit. p.*400. aliquantò uberius explicat. Nec multis opus eſt regulis, cum perfectiſſimum exemplar, quod intuendum ſit, reliquerit Hippocrates. Si ergò quis telam hanc Penelopes retexere voluerit, abunde informabitur de modo formandi propoſitiones Univerſales ex ſingularibus experientiâ cognitis. Eæ verò *unius generis eſſe* nequeunt. Nam aliquæ *primæ erunt*, ſeu principia, hoc eſt, tales propoſitiones, ex quibus demonſtrationes in ſcientiâ de Arte Medicâ formantur, nec per priores in eàdem diſciplinâ probantur, quales ſunt 1. eæ, in quibus

bus proprius effectus tribuitur τῇ αἰτίᾳ δι᾽ ἣν τὸ πρᾶγμα ἐστὶν, i. e. *cauſæ continenti & ſimpliciter proximæ, per quam ille effectus eſt*; 2. in quibus Eſſentialia prædicata προσεχῆ *attribuuntur ſubjectis propoſitionum.* Inter talium enim propoſitionum ſubjecta & prædicata non occurrunt ulla media, quæ obtineant locum cauſarum, propter quas prædicata inſint ſubjecto. *Aliæ* autem, quæ comprehendunt τὰ πάθη καὶ τὰ καθ᾽ αὑτὰ συμβεβηκότα i. e. *affectiones & ea accidentia, quæ per ſe inſunt ſubjectis generibus, talia enim manifeſtat demonſtratio l.* 1. *poſter. c.* 7. cujusmodi ſunt, in quorum definitione ponitur ipſum ſubjectum. 3. Cum morbus ejusque cauſa conjuncta noſtros ſenſus plerumque ſubterfugiant, ſymptomata quædam ſignorum rationem habentia meritò annotanda erunt, ut ex iis in notitiam morbi & cauſæ deveniamus. Non unius *autem generis* ſigna ſunt. Quædam enim ex illis, cum iis morbis, quorum ſunt ſigna, neceſſariam habent connexionem, ut ſigno præſente dubitare non liceat, quin & morbus ipſe adſit, vel adfuturus ſit. Qualia ſigna ab Ariſtotele τεκμήρια nominantur. Ex iis verò alia ita comparata ſunt, ut *affirmativè* quidem ab illis colligere liceat ad morbum, cujus ſigna ſunt, *negativè* autem non item; ab aliis verò rectè quidem *negativè*, non autem *affirmativè*, ex aliis verò utroque modo, in quibus nimirum termini ſunt convertibiles. Præter hæc autem ſunt ſigna alia, quæ certum cum morbis nexum non habent, & ideò fallere poſſunt, ac nonniſi dubiè morbum hunc vel illum adeſſe denotant. 4. Quæ comprehendunt accidentia, *quorum quædam plerumque*, quædam æqualiter, quædam autem rarò inſunt. Quod diſcrimen ſolicitè annotandum.

§. 17. Jam videmur nobis audire alios hæc tanquam ſcholæ commenta plenis buccis irridentes, alios exſibilantes, alios tanquam ſimplicitatem quandam aſpernantes. Non invidemus eorum ſapientiæ, cujus opinione ſuffeni illi adeò turgidi ſunt, ut periculum ſit, ne ilia eorum rumpantur. Datum etiam nobis fuit, pleraque eorum legere, & fortaſſis etiam, quotiescunque ſeipſos intelligunt, capere. Veniam tamen ab aliis merebimur, gnaris, quod quotiescunque de ejusmodi rebus inſtituunt ſermones, ſi quæ bona dicant, eadem à veteribus mutuentur. Ex horum numero quidem non exiſtimamus fuiſſe Virum, de promota per experientiam naturali Philoſophiâ immortaliter meritum Illuſtr. Boylium, quia tamen Illi etiam eundem venerantur, velimus cogitare eos, quòd non niſi Ariſtotelis præcepta expoſuerit in disquiſitione, quâ *in finales rerum naturalium cauſas inquiritur, an & quibus cautelis à Phyſicis admittendæ*, ut non dicamus, Carteſium de *methodo*, & Auctorem *artis cogitandi*, ea quæ in his ſana ſunt, Ariſtoteli & veteribus debere. Hæc tamen, quia fortè ignorant Ariſtotelis eſſe, exoſculantur.

§. 18. Id verò crucem figeret tentaturo ejusmodi negotium, quòd in multis nondum ſint conſtituta certa genera, & alii hæc, alii alia conſtituant, quod manifeſtum eſt in ſaporibus; unde medicamentorum facultates eſſe di-

judicandas diximus. Non videmus tamen, cur Galeni doctrina hîc reſpuenda ſit, qui non malè ſapores definit, ac eorum numerum init. Ponit is *adſtringens* unum genus, hoc juxta ipſum comprehendit *auſterum* tanquam remiſſius aſtringens, cujus exempla affert mala cydonia, fructus meſpilorum, addi etiam poſſunt fructus cynosbati, cupreſſi, balauſtia, gallæ, acacia, ſumah &c. deinde *acerbum*, tanquam fortius adſtringens, ut pyra ſylveſtria, uvæ; juſcula quoque & lacticinia, ſi mucorem & ſitum contrahunt, acerba evadunt. Alterum genus ponit *abſtergens*, à quo Auctor *indicis Schrœderiani morborum & remediorum* malè ſeparat *extergens*, quod ſi ſit remiſſius, vocatur *ſalſum*, cujus exemplum in vegetabilium familiâ vix occurrit, niſi cochlearia marina & capparis eò referantur, inter mineralia autem ſal marinum, foſſile, nitrum, inter artificialia, ſales herbarum fixi per incinerationem facti, ſales quoque compoſiti, borrax, ſal armoniacus, *amarum* ſi fortius, ut abſinthium, abrotanum, centaurium, colocynthis, agaricus, fumaria, & herbæ omnes, quæ in ſiccis & montanis locis naſcuntur. Tertium genus eſt *corrodens*, quod differt ratione caloris, ſi cum inſigni caliditate eſt, audit *acre*, quale eſt piper, ſinapi, pyrethrum, è mineralibus arſenicum, ſandaracha, inter corpora ab arte producta, mercurius ſublimatus, butyrum ♁ii, aquæ fortes & cauſticæ; & ad hæc pertinent *diſcutientia & reſolventia indicis nominati*; ſi verò abſque caliditate eſt, nominatur *acidum* ut poma citria, aurantia, limonia, berberis, oxalis, tamarindi &c. Quo referenda videntur *attenuantia & incidentia ejuſdem indicis.* Quartum *leniens*, *vel cum voluptate manifeſtâ*, & vocatur *dulce*, e. g. è vegetabilibus ſaccharum, manna, caſſia, ex arte paratis ſaccharum ♄ni, ſal ♂., lythargirium; vel *ſine hâc*, & vocatur *pingue*, ut olivæ maturæ, terebinthina &c. ad dulcia autem & pinguia reducenda videntur *emollientia & incraſſantia.* De generibus morborum non minor eſt difficultas. Nec certè negari poteſt, quod, quæ vulgò proſtant in libris inſtitutionum, nec limatum Ariſtotelis ferant examen, nec genio ſeculi reſpondeant. Id nobis certum eſt, quod ſi leges Analytices valere debeant, ut omnino par eſt, præſcriptis vulgaribus de alia eorundem diviſione ſit cogitandum. Quia vero eſt exploratum, quod morbus denotet *diſpoſitionem*, *conſtitutionem*, *affectum p. n. lædentem actionem primo*, quâ de re expendenda ſunt quæ habet Caſp. Hoffmannus *lib*, 3. *Inſtitut. Med. c.* 2. *p.* 290. 291. rectiſſimè ſecundum actiones, quas lædit, dividetur. Nam privationes appoſitè ſecundum actiones, quarum ſunt privationes, dividuntur, quemadmodum etiam ex habitibus cognoſcuntur. Functiones animalis quatuor ſunt, ſubſtantiæ per nutrimentum reparatio, rerum ſenſibilium perceptio, corporis ex uno loco in alium translatio, & tandem ſpeciei per generationem propagatio. Nam propter hæc munera tàm multiplici organorum apparatu à naturâ ſolicitè inſtructum eſt animal, nec alia commodior partium corporis diviſio inſtitui poteſt, quàm reſpectu ad hos actus, tanquam fines, unde differentiam ſortiuntur, habito. Appoſite ergò

ergò morbos conſtituemus, alios nutritionem, alios motum, alios ſenſum, alios generationem lædentes. Et cùm medicamenta ad collapſam reſtituendam ſanitatem tendant, tanquam inſtrumenta, fallimur, aut convenientiſſimè ipſa etiam diviſionem hinc invenient.

§. 19. Enimverò ſi ulla res difficilis eſt, profectò conſtitutio univerſalium propoſitionum ex ſingularibus longe eſt difficillima, quod ex lapſibus Celeberrimorum Scriptorum eſt maximè perſpicuum. Cor eſſe inſenſile Clar. Harvejus ex experimento colligit in *exercit. de generat. animal. Exercit.* 51. *p.* 156. *Edit. Lond. in* 4°. At verò abſonum eſt, ex uno ſingulari experimento inferre univerſalem propoſitionem; deinde ipſe fatetur, quòd cordis conum caro fungoſa excreſcens, ut in ſordidis ulceribus fieri ſolet, muniminis inſtar obtexerit: jam, quis ferat ita colligentem: Cor præter naturam excreſcente fungosâ carne munitum, fuit inſenſibile; Ergò cor ſenſu tactus privatum eſt. Multa principia, quibus ſibi neoterici placent mirè, ita ſunt extructa. Idem Vir immortalis gloriæ ſtatuit univerſale hoc principium, in coitu ſemen aut genituram maris non ingredi cavitatem uteri, illud verò colligit ex eo, quòd in animantibus (ſumit verò cervas, damaſque frequenter, quia munificentia Caroli Regis ingens eorum copia, ſimulque frequens diſſecandi opportunitas, inquirendique libertas ſuppeteret, ut ipſe teſtis eſt *Exercit.*63.*p.m.*218.) poſt coitum cæſis non deprehenderit ſemen; qui ita colligenti: Ego centies &c. ſecui cervas & damas poſt coitum, & ſemen in utero ipſorum non fuit à me deprehenſum. E. poſt coitum ſemen in utero vel cornibus non videtur, applauderemus, utpote qui, quod ex ſingularibus colligi debebat, etiam reverà inferret; at non poſſumus non mirari id argumentandi genus: Secui & non inveni, E. non fuit in cavitatem uteri effuſum; quod ex experimentis nullatenus colligi poteſt. Nam ſi vel maximè ingreſſum fuiſſet, nonne tortum animal iterum potuiſſet ejicere, aut uterus genituram haurire? Pro hoc ſuo principio confirmando aliud ſtatuit, nullum patere ſc. aditum in uterum, quòd ne aër quidem inflatus in uteri cavitatem penetrare queat, quod majori confidentia de gallinæ utero aſſerit. Enim verò cùm pateat exitus, nam aliàs ovum extrudi non poſſet, profectò etiam patet introitus *naturâ volente in coitu* ſcilicet. Porrò ſæpiſſimè videmus fieri, ut phænomenon ac experimentum certum ſit, quæratur autem de cauſa ejus, hanc hodierno tempore multi excogitant, & pro principio quodam venditant pro lubitu. Res certa eſt, quòd, ubi in vas aquâ plenum ſal immittitur, certa ſalis copia in ipsâ diſſolvatur, deinde verò non amplius ſal liqueſcat; quæritur, cur initio ſal diſſolvatur, deinde verò non item? Gaſſendus arbitratur, fieri propterea, quia aquæ pori omnes tùm pleni atque obſtructi ſunt, & hinc apud ipſum certum eſt principium, quod experimentis comprobatum eſſe autumat, aquæ ineſſe poros & vacua ſpatia. Enimverò id omninò nutat, & exiſtimamus fieri propterea, quòd humor, qui antea poros ſalis, ob tenuitatem ſuam promptè ſubibat ac diſſol-

 vebat,

vebat, factus ſit craſſior ac per poros ultra ſubire, & ſalem liquare nequeat. Ulterius certum eſt, quòd aqua in foliis caulium in globulos exiguos tornetur; hoc videns Galileus & de causâ ſolicitus, novum principium phyſicum cudit, aqua fugit aërem, ac ſeſe ex fugâ contrahit ac colligit, adeoque antipathia eſt inter aërem & aquam. Imò ipſimet Boylio, cui omnes Boni, pro experimentis candidiſſimè communicatis, immortales debent gratias, hìc hæſit aqua, nam etſi experimenta ejus cautiſſimè ſint inſtituta & veriſſima, non æque tamen feliciter ex iis principia extruit. Ita in hydroſtaticis gravitationem illam ſingularem cujuslibet ſuperficiei liquoris in proximè ſubjectam eum ex experimentis malè colligere demonſtrat Honoratus Fabri in *dialogis Phyſicis* ad Eminentiſſimum Cardinalem Facchinettum *Dialogo quarto p.* 157. in *quo de libratis ſuſpenſiſque liquoribus* & *mercurio* ex profeſſo diſputatur. Rudi penicillo has adumbravimus lineas, uberiorem nobiliſſimi argumenti notitiam ab aliis præſtolaturi.

I. N. J.



I. N. J.

DE

HYDROPE PECTORIS.

LECTORI SALUTEM.

CONSILIUM de Societatibus ſeu Academiis promovendâ praxeos gratiâ erigendis, quod Celeberr. Vir Georg. BAGLIVIUS *lib.* 2. præclari operis *de Praxi Med. ad priſcam obſervandi rationem revocandâ cap.* 4. ſuppeditavit, tametſi uberrimos in clinicâ Medicinâ fructus polliceatur, eruditi hactenus nondum ſunt ſecuti. Neque enim vel fando accepimus, uſpiam locorum ejus generis Societates fuiſſe inſtitutas. Inter præcipua, quæ laudatiſſimo inſtituto obicem ad hanc uſque horam poſuerunt impedimenta; non poſtremo loco fortaſſis numeraverimus epidemicum, qui, ab aliquot

aliquot abhinc luſtris, in Scholis Medicis regnavit, morbum, cujus hoc pathognomonicum propè ſignum videtur, *faſtidium ingens & contemptus quidam inſolens omnis veteris Medicinæ, cum perpetuo innovandi pruritu conjunctus. Symptoma conſimile admodum ei, quod eſt interdum in mulieribus gravidis, quæ magnâ cacochymiâ oppreſſæ optimos & ſaluberrimos cibos negligunt, ac eorum loco carbonibus & cineribus paſcuntur.* At verò illa malacia non omnes corripuit. Nec ſanè unquam vel noſtræ Germaniæ defuere Viri præſtantiſſimi, qui exactiſſima fide ac ſummâ diligentiâ in Medicis ſuis ſcriptis explicarent, quæcunque *ab omni ævo in cultiſſimis terrarum locis à Doctiſſimis Medicis circa morbi hujus vel illius hiſtoriam, morem, motum, ſolutionem, curationem, medicamentorum & auxiliorum Medicorum virtutes & utilitatem noxamque obſervata & longo uſu deprehenſa ſunt, & à ſeipſis multiplici experientiæ fide comprobata.* Et hi fortaſſis non rudi penicillo delinearunt Medicinæ corpus, cujus ſummam perfectionem poſteritas ab eruditis ejuſmodi Societatibus Baglivianis ſperare & polliceri ſibi poteſt. Et horum Virorum diligentiam in præſenti Opuſculo de *Hydrope Thoracis*, quamvis impari conatu, inter pluſculas noſtras occupationes imitari intendimus. Cùm enim noſtram experientiam ad contexendam paulò accuratiorem morbi hujus occultioris hiſtoriam minimè ſufficere crederemus, aliena etiam, ſcilicet Doctiſſimorum Medicorum, nobis ſubſidio fuit; quorum ſcripta ſubinde laudavimus; ſemper enim à moribus illorum alieniſſimi fuimus, qui nullum temerè Auctorem allegant, ne vel ex aliis ſapere videantur, vel, cum aliorum obſervationes furtim ſublegant, hâc arte plagii ſuſpicionem declinare queant, vel tandem, ut aliorum laboribus ad novas hypotheſes fabricandas, cum majori nominis ſui famâ, ſi non per omnia cum præjudiciis ſuis conveniant, ſecurius, quantum libet & fabulæ inſerviunt, utantur. Quòd enim id generis homines aliorum lucubrationes fideliter ſæpènumero deſcribant, & tamen jactent, ſe ex nullo Auctore profeciſſe, alibi luculentis exemplis oſtendemus. Hìc unius BARBETTE ſupercilium & arrogantiam notaſſe ſatis fuerit. Is in Præfatione ad Lectorem: *Ex centum*, inquit, *quos conſului, Auctoribus, nihil ferè exſcripſi, proprio ubique uſus ſenſu & judicio;*

ac

ac nihilominus quàm hoc ſit verum, *ex lib.* I. *cap.* I. patet, quod exorditur à definitione epilepſiæ, quam ſine ullâ mentione Riverii ex hujus *Praxi* eſt mutuatus. Teſtimonia ſcriptorum in ipſo contextu ſtatim addidimus, nec vel ad calcem aut marginem, exemplo nonnullorum, qui hoc ipſo ſe *le bon ſens & la netteté* ſequi credunt, rejecimus, inducti exemplo Virorum Celeberrimorum, Rolfincii, Conringii, Wepferi, Meibomii, Bohnii, Wedelii, Schrœckii, Rivini, Majoris, Shelhammeri, Hoffmanni, Sachſii à Lewenheimb, aliorumque, cùm non eſſet, cur adeò anxiè eundem verborum tenorem ſervaremus, aut idem orationis filum retineremus. Et tametſi Doctiſſimorum Virorum morem, qui auctorum verba & loca vel ad margines apponunt, vel operi ſubjiciunt, minime carpamus aut reprehendamus; non contemnendæ tamen ſunt rationes Joannis Launoji, quas his verbis pandit: *Dum ad margines apponunt Auctorum teſtimonia, tunc adverſus librum fit quoque alius liber. Deinde ſi quis rei, quam legit, probationem videre cupit, ei verſandæ ſemper erunt paginæ, revolvenda folia, quod laboris genus moleſtiam & negotium faceſſit. Tùm hæc ſcribendi methodus annis abhinc centum inducta eſt, nec adeo recondita, vel tantum habet myſterii, ut non potuiſſet in antiquorum mentem facile venire.* H. I. Uſi autem fuimus aliorum teſtimoniis, præcipuè in enarrandis hydropis pectoralis phænomenis, ac in curâ, nam, cùm ad inveſtigationem cauſarum deſcenditur, unicuique & nobis, ut opinamur, licuit vires ingenii periclitari, & ſine contumelia proſequi, vel veterum caſtra relinquere. Addidimus modeſtè & noſtram experientiam variâ clinicâ praxi partam. Vides, benevole Lector, hujus opuſculi fundamenta, experientiam aliorum Medicorum, & noſtram, rationemque ex phænomenis cauſarum notitiam indagantem, præſuppoſitis recentiorum in re Anatomicâ inventis. Memineris autem, hoc ipſum inter pluſcula eſſe natum negotia, ac rarò periodum unam

alteramve abſque intercurrentibus interpellationibus fuiſſe finitam. Rogamus itaque, ut eo animi candore, quo hæc ſcripta ſunt, vel de alienis laboribus judicavimus, æſtimentur, ac non minor ſit in ignoſcendo æquanimitas, quam in judicando dexteritas. Vale!

CAPUT PRIMUM.

Siſtens hiſtoriam morbi hujus.

SUMMARIA.

§. 1. *Hydrops pectoris morbus eſt à pauciſſimis cognitus.*
§. 2. *Phænomena morbum præcedentia, v. g. anxietates præcordiales.*
§. 3. *Reſpiratio difficilis ac ſubita poſt prima ſomni tempora.*
§. 4. *Pulſus ſæpè intermittens.*
§. 5. *Palpitatio Cordis. Lipothymia.*
§. 6. *Fluctuatio humoris in thorace.*
§. 7. *Tuſſis ſicca.*
§. 8. *Intumeſcentia ſcroti & ventris.*
§. 9. *Manuum exareſcentia.*
§. 10. *Febris præcurſor.*
§. 11. *Brachiorum dolor & Paralyſis. Sputum ſanguineum.*
§. 12. *Appetitus ſalvus.*
§. 13. *Alvus juſtò ſiccior. Urina copioſa & limpida.*
§. 14. *Mors plerumque ſubita.*
§. 15. *Humoris in thorace inventi qualitas.*
§. 16. *Ejusdem quantitas.*
§. 17. *Viſcerum in hoc morbo ratio. Pulmones male affecti.*
§. 18. *Glandularum conſtitutio.*

§. 1.

IN pulmone & cavitate thoracis aquam interdum colligi, cæteris corporis partibus aut potiùs cavitatibus quoad collectionem ſeri, aut planè ſalvis, aut ſecundariò tantùm affectis, ſeu regionem *pectoris*, abſente etiam aſcite & leucophlegmatiâ, hydrope affici, nemo Medicorum negaverit. Utut autem hydrops pectoris *cognitu admodum difficilis* ſit, verbis Sylvii *lib.* 1. *prax. cap.* 50. §. 25. atque à *Medicorum vulgo non deſcribatur & plerumque non agnoſcatur*, teſte Riverio *l.* 7. *Prax. Med. c.* 5. adeò ut etiam ex hiſtoriis hydropis pectoris à Schenckio collectis non abſurdè Riverius l. c. colligat, eum *non niſi poſt diſſecta cadavera ex hoc morbo defunctorum innotuiſſe*, ſatis tamen frequens in Belgio, ut loco allegato Sylvius, & in oris maritimis, ſicuti Kollichen in *Actis Medicis* & *Philoſoph. Hafnienſi* teſtatur, imò hodiè in Germaniâ, & aliis regionibus haud raro

 funeſta

funeſta diri hujus morbi exempla occurrunt. Ac vel hâc de causâ non plane nullum operæ fortaſſis facturi pretium ſumus, ſi, cum hic morbus adeò paucos invenerit ſcriptores, qui in enodandâ ejus naturâ ſtudium aliquod collocarunt, in ejus indolem paulo accuratius inquiſiverimus.

§. 2. Exponenda autem nobis ante omnia ſunt phænomena miniſterio ſenſuum circa morbum hunc cognita, cum circumſtantiis notatu dignioribus, quæ differentiam ejus juxta locum affectum, tempora & generationis modum explicare aptæ ſunt. Præcedit, id quod etiam in Aſcite fieri ſolet, ferè anguſtia quædam circa præcordia, & moleſtia, quam ægri verbis convenienter exprimere, aut deſcribere ſatis vix poſſunt, nec ſemper Medicis in proclivi eſt, conjicere anxietates illas præcordiales minari collectionem aquæ in thorace. Ante ſeſqui annum ex hydrope pulmonum mortuus Vratislaviæ Gallus in aula Principis piſtor dulciarius, qui aliquot ante mortem annis, absque ullâ manifeſtâ causâ, in admirandas anguſtias incidebat, ut, quid ageret, neſcire ſe diceret, furibundo ſimilis, periculumque eſſet, ne ſibi violentas inferret manus. Erat autem extra paroxiſmum minimè homo triſtis & ſubducti ſupercilii, quinimò pro feſtivo ſuo ingenio ad jocos propenſior naturâ erat, quàm fortè deceret, aut nonnunquam expediret. Abunde verò, ea, quæ conſequebantur, nos edocuere, cauſam inneffabilis illius anxietatis non in hypochondriis, ſicut creditum erat, ſed in thorace latuiſſe. Ita civis ille Monſpelienſis, cujus cavitatem thoracis Laurentius tenui prærubro fœtidiſſimoque humore oppletam invenit, per triennium melancholiâ laboraverat ſæviſſimâ; conf. Ejus *Anatom. l.* 5. *quæſt.* 13.

§. 3. Porro grave patiuntur incommodum circa reſpirationem, in quo hi ægri iterum conveniunt cum aſciticis, aſthmaticis, aut alio quodam morbo pectoris laborantibus. Hippocrates *lib.* 2. *de morb. n.* 59. *p. m.* 84. *tom.* 2. ait, eos reſpirare ἀθρόον, hoc eſt *acervatim*; quo ipſo in propatulo eſt, ſignificari reſpirationem *difficilem*, *crebram* & *frequentem*, quâ ſtrangulari æger videtur, id quod aliàs in aſthmate humido contingere non ſolet, cujus præcipuum ſignum meritò ſtatuitur *vehementior ille ſibilus ac fremitus, nec non ſonus aliquis tanquam ſpumidæ cujusdam ebullitionis ſub reſpiratione laborioſiori, ac veluti reniſus cujusdam in pulmonibus ſenſu.* Præterea ordinariò in aſthmate hôc obſervatur raucedo, aut aſperitas vocis, ſecus ac fieri conſuevit in hydrope noſtro, quo affecti voce clarâ animi ſenſa exprimere poſſunt, quoad nondum ad extrema perventum eſt. Facilè etiam morbum hunc, de quo jam agimus, diſcernere licebit ab aſthmate humido; modò meminerimus, aſthmaticos hujus fortis abſque notabili difficultate aërem cum moleſtia hauſtum diu retinere poſſe, ac prolatis multis verbis aërem expirare, id quod hydropici præſtare nequeunt, utpote quibus facile non eſt, ſpiritum adeò diu continere. Sed an hæc ab aliis affectibus, ſimilitudine & ſpirandi difficultate hydropi noſtro conjunctis,

junctis, morbum hunc infallibiliter diſtinguere poſſint, nos ipſimet merito dubitamus. De alio autem, quantum ad reſpirationem, ſigno, quo hydropem hunc ab aliis affectibus, quos ſpirandi difficultas comitatur, ſecernere licet, ſolicitis, non aliud magis certum hàc in re nobis occurrit, quàm reſpirandi difficultatem in hydrope thoracis ita eſſe comparatam, ut ex improviſo primo ſomni tempore ægrum opprimat, & quietem ejus interpellet, ac aliquas tamen inducias appropinquante luce iterum concedat. Ante nos illud egregiè inculcavit Carolus Piſo in *ſelectis ſuis Obſerv. & Conſiliis de prætervisſis hactenus morbis à ſeroſa colluvie ortis*, *ſect.* 3. *cap.* 7. *p.* 296. his verbis: *Signum pathognomonicum ſtatuere oportet eam in ſpirando difficultatem ac crebritatem, quæ de ſubito ſomni primo tempore invadat, & quiete defraudet, ſed tamen procedente die ſenſim lenteſcat;* quod ſuo calculo comprobat Lazarus Riverius jam allegato *lib.* 7. *c.* 5. *p.* 255. Inter rariſſima videtur numerandum, quod de virgine quadam narratur in *Anat. pract.* Boneti *l.* 2. *ſect.* 1. *p.* 420. nimirum ab utraque *diſſecti thoracis cavitate aquæ viroſæ* ℔. *iiij. effluxiſſe, nec tamen orthopnœam vel diſpnœam invexiſſe.* Heredia *diſſert.* 6. *de morbor. different. c.* 4. quendam ſe vidiſſe refert, *qui noctu ſuffocationis invaſiones ſic pertimeſcebat, ut mallet vigiliis perpetuis conſumi, quam ad dormiendum ſe colligere.* Et certe etiam illud experientia noſtra in omnibus comprobavit, nuperque illuſtre nobis præbuit exemplum matrona, ad quam intra 14. dies bis ante duodecimam nocturnam in periculo ſuffocationis, vocatus eſt Collega noſter D. Chriſtianus Helwich. Secutus enim poſt illud tempus tumor pedum ipſiuſque abdominis, quem mors excepit, abunde docuit, cujusnam morbi indicium præbuerit difficilis illa ac intercepta reſpiratio. Non abs re fuerit, *obſerv.* 52. 54. 55. jamjam laudati Piſonis, ut & *obſerv.*88. *in Centur.*1. Riverii hic attente legere, Spiritum, quem expirant hydropici, eſſe *fœtentem*, adeoque etiam morbum hunc oris fœtore cognoſci, ſcribit Poterius *Cent.* 1. *c.* 2. *p. m.* 9. modò is ſit Poterius, cui tuto etiam hìc fidem adhibeas, nam teſte Clariſſ. Guidone Patino *epiſt.*1. liber ejus eſt *plein de mauvais remedes, de vanteries, de fauſſetés*; ipſe autem Poterius fuit *un grand charlatan & un grand fourbe, qui ſe meloit de notre metier &c.* ſicuti iterum Patinus loquitur. Hoc certum eſt, in vomicâ ſpiritum, multò antequam rumpitur, male olere.

§. 4. Pulſus non unius quidem generis in hydrope reperitur, ſed quod etiam atque etiam notandum, ſæpè eſt intermittens. Ita Palearii viduæ, quæ hydrope pulmonis interiit, *pulſus magnus, elatus, tardus, interciſus erat, ac intercalarem habens in pulſatione unâ atque alterâ intermiſſionem*, ut refert Ballonius *l.* 1. *Epidemior. & Ephemerid. p. m.* 17. Rodericus Fonſeca illius hydropici, de quo *Conſult.* 54. *Tom I.* agit, *pulſus*, ait, *fuiſſe valdè inæquales.* Celeberrimi quoque Wepferi, Collegæ noſtri, pulſus erat plerumque *tardus, interdum inæqualis, ſæpius intermittens*, unde etiam exercitatiſſimi Viri animo ſuſpicio *aquæ* ſeu *hydropis pericardii, diaſtolem cordis impedientis, altius inſedit, & poſt mortem in quovis latere thoracis* ℔. *iij. aquæ limpidæ fluitarunt, cui pulmo-*

nes coarctati quidem, liberi tamen innatabant, prout narrat gener ejus Excell. Dn. D. Brunnerus in *appendice ad annum* 3. *Decur.* 3. *Ephemerid. Medico-Phyſic. p.* 161. *&* 163. Et hâc experientia fretus jam ante biennium laico ex Soc. Jeſu, cum ipſi pulſum ſuum explorandum exhibuiſſet, metuendam prædixit prælaudatus D. Helwich diluviem ſeri in pectore, cum illum & inæqualem & intermittentem deprehenderet, quam prognoſin eventus hoc anno comprobavit, qui ei poſt exantlatas per 4. circiter menſes ærumnarum myriades fuit funeſtus.

§. 5. Non paucis familiaris eſt cordis palpitatio. Illuſtre præbet exemplum Divus Maximilianus II. de quo ad rem noſtram appoſitè ejus Archiater Crato in oratione de obitu Maximiliani II. ita loquitur: *In Cæſare noſtro (poſtquam cor ſupra viginti annos palpitare ſenſiſſet) ſanctè demortuo ſupra duas menſuras aquei humoris in cavitate pectoris relictas conſpeximus.* Wepferus etiam, teſte Brunnero, ſenſit cordis tremorem; atque hinc doctiſſimus Sebizius in *Speculo Medico-practic. p.* 892. ſignis Hippocraticis palpitationem cordis addit. Cum palpitatione hâc cordis ſæpè conjuncta etiam lipothymia. Ita Civis ille, cujus ſupra ex Laurentio meminimus, per menſem integrum, prius quam vitâ fungeretur, *bis in die, levi ac fugaci animi deliquio corripiebatur.* Marchio quoque de Finali, qui in aula Imperatoris exul vixit, & poſt mortem thoracis cavitatem ſiniſtram aquâ purpurea refertam habuit, tùm variis aliis affectibus, tum *ſcotomia*, quæ cum deliquiis conjuncta eſſe ſolet, fuit conflictatus, apud Schenckium *lib.* 2. *Obſerv. Med. p. m.* 251. Atque hinc non immeritò Williſius *pharmaceut. ration. cap.* 13. *part.* 2. *ſect.* 1. *p.* 217. inter ſigna diagnoſtica meminit *crebrorum animi deliquiorum.* Puer ille trimus apud Tulpium *l.* 2. *Obſerv. c.* 16. *p.* 128. qui defunctus Medicorum oculis pectus aquâ plenum obtulit, *frequens animi deliquium paſſus erat*, id quod etiam de fure ibidem narrat. De juvene ſcholari vide Williſium *l. c.*

§. 6. Auctâ ſeroſâ in thorace colluvie ægri conqueruntur de pondere hujus diaphragma deprimentis, unde non poteſt non ſpiritus difficilius trahi, quoties corpus eſt erigendum, aut movendum. Adeſt etiam in dorſo dolor, cujus ſedem indice digito demonſtrant, illam ſcilicet partem, circa quam diaphragma lumbis eſt annexum. Aquarum fluctuatio, inclinato corpore, etiam ſenſu percipitur. Hippocrat. *cit. lib.* 2. *de morb. p.* 85. *Si multo*, inquit, *tempore, aure ad latera adhibita, audire tentaveris, ebullit, intrinſecus velut acetum.* Et hoc fit, cum in pulmonibus aqua hæret, cum vero cavitatem pectoris inundat, veluti *ſonitus aliquis percipitur aquoſi humoris in utre ſemipleno concluſi*, Auctore Zacuto Luſitan. *lib.* 1. *Prax. admir. obſ.* 111. Ut autem accuratius ab empyemate ſecernatur hydrops pectoris, ſolerter perpendendum, utrum præceſſerint morbi, quos alias excipere ſolet, e. g. tuſſis ferina, angina, pleuritis, peripneumonia, vomica exulceratio pulmonum, vulnera thoracis penetrantia, concuſſio *&c.* Imò nec hic quidem ſubſiſtendum eſt, ſed & trutinanda ea, quæ aliàs empyema ſequi ſolent, v. g. diſpiciendum, an multus ſudor toto corpore fundatur, an poſt eum æger inhorreſcat aliquando, an dolor regionem pectoris afficiat,

an nares inter ſpirandum arctentur, fiatque per has ducti aëris ſibilus, an facies rubicundo colore perfuſa, an volæ manuum pedumque plantæ caleant; ſi hæc aliaque empyematis ſigna abſint, ex gravitate & fluctuatione materiæ in thorace tantò certius hydrops colligi poteſt. Præter ea *ſi quid infundas, aut fomentum aut ſuffitum adhibeas, pus non ſequitur, atque ex hoc ſanè cognoveris, non pus, ſed aquam ibi eſſe*, ut loquitur Hippocrat. *l. c.*

§. 7. Cùm materia hâc in thorace conjuncta eſt tuſſis, eaque fere ἄπτυςος, hoc eſt *ſicca & talis*, quâ nihil, etiamſi frequens ſit & valida, excluditur. Tumorem, qua exteriora, non meminimus vidiſſe, niſi in Viro religioſo, cujus ante mentionem fecimus, qui latus ſiniſtrum tumidum oculis noſtris aliquoties offerebat. Caſp. Bauhinus apud Schenck. *l. c. p.* 252. refert de ſutore ex hydrope pectoris laborante, quòd habuerit in *regione dorſi, làtere dextro, tumorem carnoſum non recedentem à colore cutis, qui, cum à tonſore quodam, poſtquam emollientibus diu applicatis nihil profeciſſet, cultello apertus eſſet, aquam ſtillavit.* Viri illius quadragenarii apud Fonſecam *l. c. p.* 374. *hypochondria utrinque fuere tumida.*

§. 8. Illud frequentius accidit, ut ſucceſſu temporis aqua in ſcrotum deſcendat, parteſque genitales faciat intumeſcere. Adhuc ſupereſt Vir Illuſtris, quem omnia indicia probant laborare hydrope pectoris, cujus ſcrotum immani hydrocele diſtentum ei oneri erat. Is præ tædio ſe nuper chirurgo ad compungendum permiſit. Eductæ fuerunt iteratis vicibus aquæ propemodum libræ quatuor, ea non veniente in numerum, quæ vi prorumpens circumjecta lintea madefecerat, quæ utique quantitatem illam longè ſuperabat. Id verò notatu digniſſimum eſt, quod ſcrotum in hoc hydropis genere attollatur in tumorem, antequam vel venter, vel pedes intumeſcant. Neque enim ſemel ſed iteratis vicibus deprehendimus, quòd jam tumido ſcroto demum pedes œdematoſo tumore corripiantur; unde iterum illuceſcit, tùm ab Hippocrate, tùm à nobis alibi etiam in tuſſiculoſis obſervatus mirificus ille thoracis cum partibus genitalibus conſenſus. Tumoris autem illius in pedibus notæ, perinde ut in aſcite, primum ſe circa malleolos produnt, dum autem ſenſim augetur, & ad genua, imò ad femora uſque aſcendit. Nec verò immune ab hoc diluvio manet abdomen, ſed & illud ab aquoſo humore indies magis diſtenditur, quinimo ab eodem etiam ipſa facies tumet. Hippocrat. *l. c. p.* 85. *Aliqui*, inquit, *etiam intumeſcunt ventre, ſcroto, facie.* Mitigantur per aliquod temporis intervallum moleſtiæ, quando aquæ effunduntur in abdomen, ac illud tumidum reddunt, ægri etiam ſibi de meliori ſanitate gratulantur, at verò breve gaudium eſt, nam, abdomine impleto, ſymptomata ingraveſcunt. Palpebras inferiores ægri ſui fuiſſe inflatas narrat Fonſeca loco jam ante citato. Tumorem manus & brachii etiam in uno alterove vidimus, ut non abs re Doctiſſimus Vir Petr. Salius Diverſus *c.* 15. *de affectibus particularibus p. m.* 246. ſcribat: *Poſteà manifeſtè etiam facies & ſcrotum & venter intumeſcit, non tantum in thoracem ſed etiam omnes has partes effuſo,*

qui

qui ſuperabundat, aquoſo humore, quamvis ei potiſſimum de hydrope ibi ſit ſermo.

§. 9. At verò contingit etiam non raro, ut partes ſuperiores, ipſæ etiam manus, tumentibus inferioribus exareſcant. Id quod accidiſſe ſocero ſuo Dn. Wepfero notavit Brunnerus in ejus memoria *p.* 163. Hûc reſpexiſſe Hippocratem loco ſæpè allegato *p.* 84. veriſimile eſt his verbis: οἱ ὄνυγες ἕλκονται, *Ungues incurvantur & contrahuntur*, eo ipſo nimirum, quòd carnoſæ partes, quæ unguibus ſubjacent, contabeſcant; unde fieri aliter non poteſt, quam ut ungues extendantur in majorem longitudinem, & facile contrahantur. Hoc fatum etiam experiuntur tabidi. Conſummatorum Phthiſicorum & hecticorum ungues fieri *incurvos & longos veluti alitis ungues*, experientia edoctus ſcribit Franciſc. du Port *lib.* 2. *de ſign. morbor.* Conf. Auctores *Biblioth. Anatom. Tom. I. p.* 38. in notis ad Malpighii tractat. de *Cornuum vegetatione.*

§. 10. Præterea hydropem Pectoris ex febre cognoſci poſſe innuit, imò febrim primo inter ſigna loco ponit Auctor *libr. de morbis*, qui ſub nomine Hippocrat. circumfertur. *Si*, inquit, *hydrops in pulmone fuit, febris & tuſſis tenet.* Ac interdum rem ita ſe habere, experientia convincimur. In illo apud Fonſecam hydropico, *febris quædam lenta aderat.* Piſo etiam *obſerv.* 54. *p. m.* 292. in Canonico *inſignem in hypochondrio utroque, ſed* præſertim *dextro, tumorem febri vehementi conjunctum* deprehendit. Peregrinus etiam hydrope hoc correptus in hecticam marasmoden, teſte Coitero, incidit. Febricitabat quoque ſupra memoratus ex Soc. Jeſ. frater adeo, ut ordinarius Medicus nullum alium morbum, niſi febrim catarrhalem ſubeſſe ſuſpicaretur. Primipara quoque illa (de cujus morbo non convenerat Medicis, quamdiu ſupererat, quem diſſectio cadaveris hydropem pectoris fuiſſe oſtendit,) de qua Nicolaus Cheſneau Maſſilienſis *lib.* 5. *obſ.* 9. agit, *non tantum die ante partum febricitabat, ſed etiam ipſo partus die cum rigore major invaſit & febris eadem, & dolor lateris ad mortem usque perſtitit.* Chirurgus ille 45. annorum potui ſpiritus vini intemperanter indulgens, qui volvendo ſe de uno latere in aliud exundationem quandam perſentiebat, febrim præter alia ſymptomata patiebatur apud Pompejum Saccum *in Medic. Theorico-Practica Conſult.* 29. *p.* 114. & *conſult.* 27. tractat ex profeſſo de febri cum *hydrope pulmonum.* Enim verò alii noſtro hydrope detenti, à febri immunes ſunt, quod aliquoties obſervavimus. Pueri etiam illius apud Piſonem *Obſ.* 51. *difficultas inſpirandi ſenſim increſcebat æqualiter ſine febri & ſine tuſſi orthopnoicâ.* Petrus Salius Diverſus *l. c. p.* 246. *Febris*, inquit, *additur ab Auctore libri de morbis*: *attamen in his, quos ego curavi, non fuit febris.* Sed frivolum eſt & experientiæ repugnat, quod addit: *nec ratione materiæ, quæ frigida eſt, & non putreſcit, adeſſe debet.* Fernelius, *lib.* 5. *cap.* 11. *Patholog.* docet, *ineſſe huic morbo ſuppurationis ſigna atque ſymptomata, niſi quod febris non affligat*, aut, quæ Jacotii admonitio eſt, *non adeò acutè*, id quod tamen, ut monuimus, experientiæ non eſt conforme.

§. 11.

§. 11. Ad cumulum malorum accedit interdum *brachiorum dolor & paralyſis*, & hanc reſolutionem animadverſione dignam in Canonico illo ante laudato, cenſuit Carolus Piſo *p. m.* 293. & ex eo Riverius *p. m.* 255. Sed his ſignis omnibus adhuc adjiciendum judicamus hoc unum, quòd difficulter frigus tolerare queant, aut quòd facillimè frigeant. Exemplum adhuc hodiè oculis noſtris obverſatur in Viro Illuſtri, cujus itidem jam mentionem fecimus, is hoc ipſo tempore, cum æſtus, quo adurimur, nulli non moleſtus eſt, etiam in lecto de frigore conqueritur. Et de Wepfero Brunnerus teſtis eſt, quòd *facilè friguerit extremis præſertim.* Inter rariſſima hujus morbi phænomena eſt *ſputum ſanguineum*, quod tamen in Chirurgo illo hydropico *l. c.* obſervavit paulo ante laudatus Saccus. Id fortaſſis frequentius contingit, ut ſputum ſanguinis ſequatur hydrops, de quo caſu idem ille Vir *Conſil.* 28. conſilium format.

§. 12. Quantum ad appetitum ciborum, is non tantùm in principio hujus morbi, verum & progreſſu & augmento aliquando ſalvus, nec ſitis adeo enormis exiſtit; at illud experientia hactenus edocuit, quod cibus paulò largiore quantitate ingeſtus paroxyſmum aſthmaticum concitet, id quod Wepferus, cujus ſæpiuſculè jam mentionem fecimus, & ſenex ille in illuſtri dignitate conſtitutus, hoc in paſſu Wepfero ſimillimus, multoties expertus eſt, ac *ille quidem non niſi erectus cibum capere potuit, eumque pauciſſimum, quamvis appeteret, metu paroxyſmi aſthmatici, qui comeſtione quoque concitabatur.* Beatrix illa apud Johannem Chiffletium *obſ.* 16. *p.*14. *ante mortem benè cœnaverat.*

§. 13. In multis etiam ex corpore excrementa ritè & debito ordine eliminantur. Reperias, quibus alvus reſpondet, quamvis nonnullis juſto ſiccior ſit, urina copioſa fluit & naturalis, ſudores quoque matutini ex voto ſuccedunt. Hoc multiplici experientia nobis cognitum eſt, quòd urinæ tenues & limpidæ in magnâ quantitate profuſæ inſultum aſthmaticum imminere ſignificent. Piſtor ille dulciarius (cujus in antecedentibus meminimus) urinas albas copioſiſſimas aliquando reddebat, nonnunquam valdè paucas ac bene tinctas, ut non omnino fallatur Clar. Sorbait. *Med. Pract. Tract.* 1. *cap.* 58. docens, *ejuſmodi urinas, ſi ſæpe reddantur, minari hydropem.* Morbo incrementa capiente urina multo fluit parcior & ferè tinctior & craſſior. In iis, qui noſtro conſilio uſi fuerunt, fatali metæ proximis, notavimus urinam ex atro rubentem, cum ſedimento furfuraceo aut lateritio.

§. 14. Morbus hic chronicus eſt, & ſæpe per annos plures miſerè ægros mulctat. Nec, cum eo deventum, ut ſpes illis nulla ſuperſit, ſtatim moriuntur. Inter gemitus & lacrymas longo tempore ſpiritum trahunt, quamdiu natura, & ars naturæ æmula, aquæ depletionem per vias ſeri motui convenientes, alvum, inquam, meatus urinarios, poros corporis cum aliquo ſucceſſu moliuntur. At verò his evacuationibus deſtitutis, non eodem modo vitæ filum abrumpitur. Aliqui ex improviſo quaſi ſuffocati pereunt. Ita ante aliquot ſeptimanas Vir aliquis, qui per complures annos multoties noctes

vigilando tranſegerat, ad nuptias profectus, repente ſuffocatus; & ſexagenarius ille apud Blanckard. *lib.* 1. *Anat. Pract. ration. obſerv.* 98. *ſubitò inopinata morte quaſi fulmine ictus corruit* Nonnullos veluti maraſmo confectos exſpirare experimur. Alius apud Blanckard. *cent.* 2. *obſ.* 48. viribus deperditis obiit, poſtquam à longo tempore ἀτροφίᾳ laboraſſet. Vidiſſe meminimus aliquem, qui aliquoties die ante mortem convulſus ferali illâ, quâ mundus erat deferendus, pulchre adſtantibus valere viſus eſt, nihilominus repente voce deſtitutus more apoplecticorum moriebatur. Majori cum tædio ex hâc exeunt vita, qui aliquot ante dies faſtidio ciborum & vomitibus exercentur, aut aliquando limpidam ore reddunt aquam, quæ argumentum eſt, ad ventriculum, neſcio quibus viis, factæ ſeroſæ colluviei metaſtaſeos.

§. 15. Et hæc quidem in viventibus partim ex relatione ægrorum, partim ex αὐτοψίᾳ obſervantur. His vero addenda ſunt ea, quæ in mortuis ſervitio cultri anatomici deteguntur. Et quidem, ſi humorem reſpicias, non eodem modo ſe habet, qui poſt mortem in thorace diſſecto reperitur. Aliquando aqua reperitur plane liquida, & aquam puram colore referens. Memorabile exemplum occurrit apud Piſonem loco jam ante allegato *ſect.* 3. *cap.* 7. in Canonico illo, cujus univerſus thorax *aqua pura plenus* inventus, & *in ſtupenda quidem copia.* Conf. etiam Minchin. *obſerv.* 7. *append. ad Fallop. Commentar. in Galen. lib. de oſſibus.* In Flandri alicujus thorace *tunica pulmonum arctè utroque latere pleuræ adnata inferiore loco ad diaphragma hydatides aliquot ingentes limpida aqua repletas formaverat, quæ fontis inſtar thoracis dextram partem copia aquarum inundaverant, & thoracis hydropem acciverant*, teſte Bartholino *Cent.* 2. *hiſtor. Anatom. hiſt.* 66. *p.* 291. Interdum autem mucilaginoſa eſt aqua, ignique admota in gelatinam fatiſcit; cujus generis fuit illa, quæ ex juvenis viventis thorace poſt paracentheſin inſtitutam in præſentiâ Loweri & Williſii educebatur, nam, ultimi quidem verbis ſi efferre rem placet, *liquor craſſus, ac inſtar chyli albeſcens & quaſi lacteus effluebat.* Serum ſanguineum tum in aliis multis, tum potiſſimum Rondeletius in mercatoris cujuſdam thorace vidit *lib.* 2. *method. curand. morb. cap.* 24. *p. m.* 387. Nonnunquam ad *flavum* nonnihil inclinat, urinæ naturali ſimilis, vel lixivio. *Puellæ alicujus ſeptennis roſalis affectæ pectoris cavitas aqua citrina referta erat* apud Bonet. *cit. lib.* 2. *p.* 427. Aqua autem illâ, quæ replebat pectoris ſiniſtram cavitatem Marchionis de Finali *lixivio ſubſtantia & colore ſimilis erat*, ut ex Aicholzii *obſervat.* refert Schenckius. Aquam *ſubviridem* notavit Faber Medicus Bavaricus apud eundem Schenckium *p.* 253. Sunt, qui & nigram ſe vidiſſe teſtantur, inter quos eſt Coiterus. Lympham *ex viridi citrinam* Stephan. Blanckard. *in Anatom. Pract. ration. Cent.* 1. *obſ.* 98. conſpexit. Multæ libræ *aquæ ſpumoſæ*, quæ viſciditatis indicium præbet, referente Hercule de Saxoniâ *art.* 1. *c* 26. inventæ ſunt in capacitate thoracis & pulmonibus Viri alicujus ex familiâ Marcellâ. Nec dubitandum de ſalſedine & acrimonia hujus

aquæ.

aquæ. Clariſſ. Sylvius ſecuit in noſocomio puellam viginti circiter annorum, in cujus dextra potiſſimum cavitate aqua copioſa continebatur, *ab acrimonia verò illius aquæ pleura & tota ſuperficies interior diaphragmatis exulceratæ erant & eroſæ, ut etiam pus darent*, quemadmodum narrat αὐτόπτης Dn. D. Brechtfeld in *Ephemerid. noſtris*. Imò acrimoniam hanc lingua adſtantium & deguſtantium confirmavit, cum Borrichius ſecaret virum triplici hydrope extinctum in *Actis Haffn. Vol.* 1. *p.* 174. Non tantum inſigni pollet acrimonia illa aqua, quæ thoracem inundat, ſed ſubinde etiam fœtida eſt. In diſſecto cadavere Notarii Pariſienſis *deprehenſæ ſunt in toto thorace fluctuantis ſeroſi humoris putris & gaveolentis libræ Pariſienſes X.* Nec minus fœtida erat aqua illa copioſa puellæ illius, de qua jamjam nobis ſermo erat. Subinde etiam eam purulentæ materiæ eſſe permixtam, omnes hiſtoriæ Anatomicæ loquuntur, præprimis illa, quam habet Caſp. Bauhinus, & Salmuth. *Cent.* 1. *obſ.* 13. gravis fœtor nares feriebat, cum cadaver adoleſcentis aperiretur, cujus thorax ſerum copioſiſſimum profundebat, pulmonibus hinc quidem vomicis purulentis, iſthinc verò caſeoſâ ſubſtantiâ turgidis apud Harder in *ſchol. obſervat. Anatom. Pract.* 51.

§. 16. Seroſi hujus humoris quantitas varia eſt; aliquando aliquot libras æquat aqua in thoracem effuſa, ut vel ex antecedentibus patere poteſt; in latere dextro de Clerck libræ duæ deprehendebantur ex fide Ottonis Heurnii *obſ.* 6. Quatuordecim autem libræ, ex teſtimonio Oethæi apud Schenckium, in *ſutoris cavitate dextra.* . Interdum vero ita redundat, ut vaſa aliquot ænea replere poſſit. Ex thorace ſutoris, narrante Bauhino, *purulentæ materiæ vaſa tria ænea effluxere ex latere dextro, cujus lateris pulmo totus in pus abierat, ſiniſtro integro perſiſtente.* Nonnunquam utramque cavitatem thoracis replet, ac ab aquarum copia, *diaphragma, eâ, qua œſophagus progreditur, parte, in* muliere *inſtar ſacci verſus ſiniſtrum renem protruſum fuerat* apud Harderum *in apiar. pag.* 217. &, quod mireris, ſubinde *tanta intra ſpecum thoracis congeritur quantitas humoris, ut eo coërceri nequeat, ſed ingens ſeri hujus copia in abdominis capacitatem penetret, quod* ante nos in Hippocratem notavit Jacotius, & ante Jacotium ipſe Hippocrates *lib.* 2. *de morbis.* Imò ipſos etiam pulmones replet, ac bronchia occupat, ſive pulmo totus ſero ejuſmodi *gravatur & imbibitur*, ut Celeberrimo Viro Lucæ Tozzo contigit, *experiri in cadavere hoc genere morbi interempto, cui inerat pulmo ſero glutinoſo ita diſtentus tumidusque, ut univerſam pectoris capacitatem occuparet*, prout ipſe refert in *Medic. Practic. parte* 1. *p.* 309. *& ſeq.* ut non deſint, qui cum Hippocrate inter hydropem pulmonis & thoracis diſtinguendum monent, inter quos etiam nomen ſuum profitetur Melchior Sebizius *in Speculo Medic. Pract. part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 13. Sæpe cum hoc pulmonum thoraciſque diluvio conjunctus eſt hydrops pericardii. De Centurione placet audire Olaum Borrichium *l. c. In pectore*, ait, *novus ſe calamitatis fons aperuit; enimvero & pulmones parvi, exſucci, flaccidi, &, ſi ultimos margines excipias, ſemiputridi, aquis fœdis copioſiſque innatabant, &, quod ſtupori*

proximum, pericardium ita ampliatum diſtentumque, ut tres libras, & quod ſupererat, acris turbidique liquoris ſinu ſuo complecteretur; ut hinc diſcas, non adeò temere abrogandam eſſe fidem Cornelio Stalpartio van der Wiel *cent.* 1. *obſ.* 36. *p.* 144 *& ſeqq.* ubi memorat, quaſſationem aquæ in pericardio, *in paupercula annorum 17 puella cachectica, pulſante corde foris etiam auribus à ſe perceptam*, cum pericardium alias naturaliter non niſi tantum aquæ contineat, quantum duo vel tria capiunt cochlearia, juxta quoſdam; quamvis & hanc non niſi p. n. & ſub ultimo mortis articulo demum ob motus cordis impetuoſiores ac circulationem per pulmones impeditam ſecerni atque colligi; in illis vero, qui confoſſi & decollati, vel ſine notabili circulationis turbatione exſpirant, prorſus nullam reperiri, una cum aliis quibuſdam afferat ac demonſtret Excellentiſſimus Bohnius *de Renunc. Vulner. p. m.* 307-309.

§. 17. Tribus verbis, poſt aquam examinatam, ediſſerendum, quomodo viſcera ſint in hydrope hoc conſtituta. Primo autem ſtatim loco ſe nobis objiciunt pulmones, qui utplurimum male affecti. Pulmones Wepferi *coarctati, liberi tamen innatabant aquæ, nonnihil inflati, ut inſpirando potius quam exſpirando videretur exſpiraſſe.* Duros, ſiccos multi deprehenderunt. *Scirrhoſos ſeu calloſos* notavit Minchinus; *retorridos & multo purulento tabo prægnantes* & *alterum è pulmonibus ferè totum torrefactum reperit* Carolus Piſo *ſect.* 3. *c.* 8. *Tubercula & hydatides* jam Hippocrates advertit, & poſt eum plures alii. *Apoſtematibus obſeſſos ex parte conſumptos & corruptos* obſervatores tradunt. Harderus *obſerv.* 51. *de fœmina quadam* 18 *annorum p.* 215. ſcribit: *Pulmo dexter undique coſtis pertinaciſſime adhærens ac connatus, ſiniſter verò paulo minus totus abſumptus erat, cavitas autem tota lateris ſiniſtri humore ſubviridi inſtar ſtagnantium longaque mora vitiatarum aquarum referta viſebatur ad menſuram circiter ℔ß. In cujus humoris ima parte ſubſidentia craſſa ac ſubalbida verum ſcilicet pus aderat. Quod verò de pulmone ſiniſtro ſupererat, exile κολόβωμα fœtidis ulceribus variè conſperſum fuit:* H. I. Viri illius apud Blanckardum *l. c. p.* 265. pulmo ſiniſter prorſus putridus erat; & rurſus mulieris illius apud Harderum *pulmones planè erant putredine conſumpti.* Etiam ſphacelatos Edmundus de Meara in *hiſtor. Med. varior. p.* 136. vidit. Vicinæ quoque pulmonibus partes à labe immunes non ſunt. Nam paſſim legere eſt, pleuram *craſſam & calloſam fuiſſe*, iiſdemque vitiis laboraſſe mediaſtinum, ſeptum tranſverſum &c. Pericardium ſuos itidem patitur manes. Subſtantia ipſius in cadavere Klerckiano, ut Heurnius ſua nobis mutuet verba, *potius carnoſa, quam membranoſa erat, & ſextuplo naturali craſſior, firmiterque cordi annata*, ita, ut digitis *ab ipſo ſine dilaceratione ſeparari non poſſet.* Ac notatu digniſſimum eſt, quod Clariſſ. Tubingenſ. Prof. Zellerus in milite præſidiario, hydrope pectoris defuncto, pericardium totum invenerit repletum *granulis lentium magnitudinem æquantibus*, unde tunica ejus interna tota aſpera fuit reddita, etiamſi *uncias undecim aquæ contineret.* Serpit labes etiam ad ipſum vitæ fontem cor, cujus vaſa ſubinde nigro ſangui-

ne repleta ſunt. Wepferi cor, juxta *conum intertrigine notatum & rubicundum* fuit; *thalamus cordis ſiniſter cum ſanguine ſincero, fluido, paucos grumulos continuit. In baſi cordis juxta arteriam pulmonarem oſſea ſubſtantia occurrit ſecanti. Aorta etiam pone valvulas ſemilunares oſſea aſperitudine intruſos offendebat digitos.* Hæc Brunnerus, cujus etiam reliqua de oſſificatione aortæ digna ſunt, quæ in Practicis & legantur & expendantur. Viſcera in abdomine aliquando plane naturalia reperiuntur, ut in Klerckiano cadavere, excepto ſolo omento, *quod marcidum nigricabat, & folliculo fellis, in quo tres erant calculi.* Canonicus ille, cujus ex Piſone aliquoties mentionem fecimus, *habuit Hepar tumidum, induratum, retorridumque & pumicis inſtar hiulcum, ac poris diſtinctum.* Aperto cadavere Centurionis à Borrichio deprehenſus fuit *lien juſta magnitudine quadruplo auctior, durior naturali temperie, & nigra quâdam amurca hinc inde diſtentus.* Per multorum quoque experientiam conſtat, renes exulceratos & putridos in his hydropicis fuiſſe deprehenſos. Ventriculus & inteſtina non minus in conſortium mali trahuntur. Et ut jam non dicamus de variis primarum viarum vitiis, vero perquam ſimile eſt, in toto hoc canali aliquando aquam fluctuare, quod in hydropico obſervavit Coſterus.

§. 18. Raritas Obſervationum Ottonis Heurnii, quæ Operibus Fernelii ſubjunctæ ſunt, ſuadet, ut pluſcula hic ex *hiſtor. X. p.* 8. excerpamus, quæ egregiè declarant, quomodo glandulæ hydropicorum noſtrorum in toto corpore conſtitutæ ſint. Secuit Vir doctiſſimus puellam 14 annorum Leodienſem, cujus *thoracis pars dextra, ut & abdomen citrini coloris aqua repleta erant. Pericardium etiam tantâ ejuſdem aquæ, ſed paulo candidioris, copiâ turgebat, ut ad ſcalpelli ictum cum impetu proſiliret. Meſenterium, omentum, pancreas innumeris, magnitudinis notabilis, ſtrumis ſcatebant. Imò ipſi peritonæo, diaphragmati, mediaſtino, uterique ligamento plures inſederant, aliæ quidem caſtaneæ, aliæ nucis avellanæ, aliæ ciceris magnitudine. Ad orificium ventriculi ſuperius* notavit duas *glandis quercinæ magnitudine & effigie. Trunco venæ portæ una magna incumbebat. Jecur, lien, pulmo, præter ſtrumas majuſculas, quas hinc inde obtinebant, tota interius exteriusque, quaſi grandine conſperſa erant. Multa etiam milii coriandrique granum vix ſuperantes in inteſtinorum tunicis conſpici poterant, ut & in ſingulis renibus hujusmodi minuta unica. In duræ meningis parte dextra, unam quoque piſi magnitudine reperit, quæ cranii interiori tabulæ adhæſerat, & in ea cariei rudimenta excitarat.* Materia, quæ in illis continebatur, *erat ſeroſa, & uberi vaccillo ovilloque non abſimilis.* Hæc & alia memorat Heurnius *l. c.*

CAPUT II.

De Cauſis Hydropis Pectoris.

SUMMARIA.

§. 1. *Fontes Morbi. Sanguinis ebullitio.*
§. 2. *Vaſa in thorace diſrupta.*
§. 3. *Non autem ſuccus nervorum.*
§. 4. *Sed humor ex vaſis lymphaticis in thoracem depluens.*
§. 5. *Serum ex vaſis in cavum pectoris exſudans.*
§. 6. *Ductus chyliferi intra thoracem diffracti.*
§. 7. *Cauſa extravaſationis lymphæ unde quærenda ſit.*
§. 8. *Vitia vaſorum lymphaticorum aliorumque viſcerum.*
§. 9. *Rationes, unde ſanguis ſerum ex vaſis ſuis in cavitatem pectoris dimittat.*
§. 10. *Vaſorum oſſificatio.*
§. 11. *Chylus ex ductu thoracico effuſus.*
§. 12. *Hydrops pericardii.*
§. 13. *Vitia viſcerum ſpecialiora.*
§. 14. *Quænam temperamenta hydropi pectoris apta ſint.*
§. 15. *Moleſtia & gravativus præcordiorum dolor.*
§. 16. *Pulſus inæqualis & ſubinde intermittens, unde oriatur.*
§. 17. *Lipothymiæ ortus.*
§. 18. *Tuſſis unde?*
§. 19. *Febris hydropicorum comes.*
§. 20. *Frigus exteriorum partium in hydropicis.*

§. I.

ORdo poſtulat, ut hujus morbi ortum & generationis modum inveſtigemus. Ac cardo rei in eo verſatur, ut fontes illos recludamus, unde humor ille ſeroſus, qui in thorace colligitur, & collectus hydropem pectoris excitat, plerumque ſcaturiat. Non defuère eruditi medici, quos inter & Williſius eſt, qui, cùm attente perpenderent, ſanguinem in præcordiis vehementius effervеſcere, non improbabile cenſerent, ab ebullienti ſanguine copioſos excitari vapores, ac hos, ſi exhalatio eorum impediatur, in clauſtro hoc velut ſub alembico concluſos, in aquam condenſari, quæ ſenſim accumulata hydropem hunc gignat. At verò pace tanti Viri cauſa hæc nimis eſt communis & generalis,

neralis, & ea poſita certe non ponitur hydrops; ac profectò, ſi hoc modo generaretur hydrops, mirum eſſet, quomodò vel ullum ex animalibus reſpirantibus, in quibus effervefcentia ſanguinis in præcordiis omnino vehementior eſt, ac per conſequens major vaporum generatio ab hoc affectu ad aliquod tempus immune degere poſſet?

§. 2. Porrò cum his temporibus liquidum ſatis ſit, nec à capite per trachæam deſcendere quicquam in cavitatem pectoris, quamvis aliàs capitis & pulmonum *ſinthimoniam, per quam mutuas tradunt operas, in eorum perniciem* à Dureto celebratam non ignoremus; viæ item ab hepate & liene ad ſpecum thoracis cimmeriis tectæ ſint tenebris; non aliud reſtat, quàm ut ex apertis & diſruptis vaſis & ductibus, qui in thorace reperiuntur, humorem ſeroſum in cavitatem pectoris excidere, & hydropis hujus auctorem eſſe, pronunciemus. Præter nervos in thorace reperiuntur vaſa ſanguifera, lymphatica & ductus thoracicus. Ex anatomicis brevi repetere fas ſit, ductum hunc *ciſternæ, ſive communi chyli & lymphæ ex inferioribus & vicinis partibus advectæ receptaculo continuari atque per longitudinem thoracis extenſum deſinere in venam ſubclaviam.* Bartholomæus Euſtachius ſummæ induſtriæ & ſolertiæ Anatomicus *in tract. de vena ſine pari antigr.* 13. vocat *propaginem magnam albam* (à chylo nimirum) *& aquei* (ſive *lymphatici*) *humoris* plenam, cujus exactiorem notitiam Joh. Pecqueto, Biepæo aliiſque debemus. Thoracicum ductum reſpiciunt etiam lymphatica, quibus *pulmonalis tunica, ſtupendo planè modo obſeſſa eſt, variiſque compoſitis inſulis ac anaſtomoſibus glandulæ unius atque alterius interventu eundem ingrediuntur.* Neque ſuis deſtituuntur lymphaticis *ſpatia intercoſtalia, ac lympham ſuam ſemper ferè intermediis glandulis in venas jugulares deponunt*, quemadmodum obſervavit, qui de lymphaticis præclare meritus eſt, Antonius Nuck in *epiſtol. Anatomic. de inventis novis*; idem etiam cordis ſuperficiem externam *frequenti lymphaticorum numero ſtipatam vidit.* Cum verò tot vaſa lymphatica reperiantur in thorace, non eſt dubitandum, quin magna ibidem præſto ſit glandularum conglobatarum multitudo, quibus ex ſententia Malpighii *(in curioſa epiſtola Regiæ ſocietati Anglicæ dicatâ de ſtructura glandularum conſimiliumque partium) lymphatica vaſa appenduntur, intimumque cum illarum ſubſtantiâ commercium habent*, quamvis Clar. Nuckius & Peyerus *exercit.* 25, *p.* 141. credant, quòd illæ *glandulæ lympham & vaſa prius admittant aliunde venientia, quam emittant.* Non ignari quidem ſumus, quòd fatum glandulis à ſumma induſtria Ruyſchii, Anatomicorum noſtro ſeculo Principis, aliqui metuant, qui non obſcurè omnes ex corpore proſcribere videtur; nihilominus æquum eſſe judicamus, receptæ inhærere doctrinæ, dum certiora experimenta, quàm quæ hactenus in epiſtolis ejus problematicis adducta fuerunt, nos in illius Viri caſtris militare jubeant.

§. 3. His præſuppoſitis evidens eſt, humorem, qui hydropis in thorace cauſa eſt, ex nervis nequaquam ſcaturire, cum à recentioribus non paucis ſuccus nervoſus prorſus rejiciatur, ut Nuckius

in

in *tract. de ductibus oculorum aquoſis*, non dubitet aſſerere, *nemini adhuc contigiſſe, quod quidem ſciat, liquorem nervaceum examinare & nervis abſciſſis nihil prodire humoris.* Et licet omnino res ita haberet, ſicut Malpighius in operibus poſthumis *p.* 39. ſcribit: quòd *ſectis extremis nervorum tubulis, ubi in ultimas ſolvuntur propagines, ſuccus erumpat:* & quòd *nervus ex tribus vel quatuor fiſtulis coagmentatus*, cujus generis in cauda bovis reperitur, vulneratus ploret ſuccum, qui *terebinthinæ inſtar fluidus & glutinoſus ſit*; præter multa alia tamen cogitandum, tam exiguam hujus humoris, ſi modò ullus omninò detur, eſſe quantitatem, ut cavitas thoracis eo ipſo, prout in hydrope fieri ſolet, inundari nequeat. Neceſſe ergò eſt, ut vel ex vaſis ſanguiferis, vel lymphaticis, aut ex utroque vaſorum genere, ſeroſus ille humor in pectoris cavitatem effundatur.

§. 4. Quodſi in memoriam nobis revocemus, qualisnam reperiatur humor in defunctis ex hydrope, nimirùm ſæpè numero *purus* & *limpidus*, aquam colore referens, aliquando vero *mucilaginoſus in gelatinam* abiens, abſque tergiverſatione affirmandum erit, illum ipſum ex vaſis lymphaticis in thoracem depluere. Nam ex Phyſiologicis conſtat, lympham eſſe *pellucidum humorem*, qui à *variis partibus membranaceis, muſculoſis & glandulis per tranſparentia & peculiaria vaſa, tanquam aquæ ductus, fluit ad ſanguinem*, aut ſi vaſa ipſa læſa ſint, ac iter hoc impeditum, in cavitatem pectoris &c. labitur. Nec illud quenquam latere poteſt, lympham ſuis elapſam canaliculis & à frigore gelatinæ inſtar congelaſcere, & igni admotam in gelatinoſum abire humorem. Hunc naturalem colorem ſæpè lympha vitiata exuit. *Viridem & luteam* obſervavit Marcellus Donatus, Guarinonius *flavam in nigrum vergentem*; quoties ſub cute ſtagnat, utplurimum *cineritii coloris* deprehenditur, eam ſubinde eſſe fœtentem, vel ſaliva, quæ utique magnam cum lympha habet affinitatem, ſcorbutici illius Hamburgenſis evicerit, de qua Dolæus in *Ephemerid. Dec. Ann.* 9. 10. *obſerv.* 131. conſulatur. At ejus generis humorem in cavitate thoracis poſt mortem in hydropicis reperiri, *cap. præcedent.* §. 15. retulimus. Eam quoque eſſe acrem, ſalſam, acidam, evincit in hydropicis pruritus, & in aliis ſcabies, ut vel exinde intelligas, quiſnam fuerit humor acer in puellæ thorace à Sylvio inventus. Admodum verò eſt credibile, quod humor ille copioſius congeſtus, nec exitum in peripheria corporis nanciſcens, adjuvante calore & obſtetricante teneritudine partium per tranſudationem ex lymphaticis ferè in cavitatem pectoris ſtillet. Præterea lympham etiam ex glandulis diſruptis in cavum pectoris ruere, edocti ſumus à Bartholino *cent.* 2. *hiſt. Anatom. hiſt.* 66. teſtante, quod hydatides, *fontis inſtar, dextram partem copiâ aquarum inundaverint.* Probat hoc Williſius optimè exemplo adoleſcentis, immodicis corporis exercitiis dediti, qui primo *in thorace plenitudinem, ſeu velut inflationem perſenſit, ut pulmonis latus ſiniſtrum intumeſcere & cor extra locum ſuum protrudi videretur*; poſt aliquod verò temporis intervallum quodam die *vaſis intra thoracis cavitatem diſrupti ſenſum habuit, ac deinde per ſemihoræ ſpatium, in regione iſta, humoris, velut ab alto in pectoris fundum cadentis, ſtillicidium ipſe*

percepit,

percepit, quod etiam ab adſtantibus audiri potuit. Hoc ipſum & Hippocrati perſpectum fuit, nam is, *colligitur*, inquit, *aqua in pectoribus ex tuberculis in pulmone ortis & ruptis*: Quod ſane ſenſibili experimento in bove & ſue demonſtrat *lib. de intern. affect.* his uſus verbis: *quod autem etiam fiat ex tuberculis inter cutem, teſtimonium habeo & in bove, & in cane, & in ſue.* Niſi forte quis mallet affirmare, hydatides eſſe vaſa lymphatica propter diuturnam extenſionem, bullarum aut veſicularum habitum induentia.

§. 5. Præterea non abſurde idem Williſius cenſet, quòd ſerum etiam ſub propria forma è vaſis exſudet in cavum pectoris; cum experientia abunde confirmet, quòd *ſanguis aquoſus & debilis ſerum ſuperfluum à compage ſua paſſim dimittat, & ex laxis & patentibus arteriarum oſculis ejiciat, & filo circulationis excludat*, unde facile fieri poteſt, ut, tum aliæ cavitates, tum pectoris regio diluvium ejuſmodi patiatur. Tanto autem eſt probabilius, quod hoc ritu interdum hydrops pectoris generetur, quanto eſt certius, ac alibi etiam à nobis obſervatum, quòd in partibus ſubcutaneis vaſa ſanguifera nec cæſim, nec punctim læſa, ob ſanguinis vitium ac propriam imbecillitatem ſubinde reſerentur. Et licet hanc ſeri cumulationem vel ſanguinis, vel vaſorum ſanguiferorum vitio factam illuſtret hydrocephalorum hiſtoria, ac Wepferi diligentia, in *doctiſſima Exercit. de loco affecto in apoplexia*; extra omne dubium tamen illam in noſtro negotio ponit ipſe humor, qui in thorace poſt mortem aliquoties repertus eſt, nempe vel *ſanguineus*, qui de fonte, unde fluxit, teſtatur, *vel etiam loturæ carnium recens mactatarum ſimilis*, identidem indicium præbens ſui ex vaſis ſanguiferis prolapſus; nam extra controverſiam eſt, falli Charletonium, qui hunc colorem lymphæ naturalem eſſe arbitratur. Cæterum ille ſeroſus affluxus contingit vel per ἀναςόμωσιν, reſeratis extremis vaſorum capillarium oſculis; vel per διαπήδησιν in cacochymica & ſcorbutica corporis conſtitutione, quando ſanguis tam tenuis & ſeroſus eſt, ut pars aquea alveo vaſorum contineri nequeat; vel tandem per διαίρεσιν, ac in ſpecie διαβρῶσιν, continui ſolutionem ac eroſionem, cum tota maſſa ſanguinea acribus ac corrodentibus humoribus ſcatet. Niſi fortè præſtet ingenue fateri, quòd modus profluxionis ſeri ex vaſis ſanguiferis ac lymphaticis accurate determinari nequeat, & non multum interſit, ſciatne illum Practicus, an ignoret. Enim verò non juvat hæc prolixius perſequi, cum non tam urina, lacrymæ, ſudores &c. ſed & morbi quidam e. g. catarrhi, diarrhæa ſeroſa, arthritis &c. comprobent, quam facile ſerum à ſanguine ſegregetur, quod & multis aliisque clariſſimis documentis probat Carolus Piſo in doctiſſimo opere de *ſeroſa colluvie.* Quod, cum in toto corpore, omnibusque ejus partibus fiat, nihil quicquam obſtat, quo minus etiam in pectoris regione, in hydrope thoracis fieri credamus.

§. 6. Ulterius docτiſſimus Williſius non dubitat, quin *hydrops pectoris etiam à ductibus chyliferis intra thoracem diffractis excitari poſſit*; attamen addit, *hunc caſum tam rarò contingere, ut eum hactenus neque ex propria obſervatione, nec aliorum relatione cognoverit.* Et profecto quamvis non adeò frequenter illud contingit, extra controverſiam tamen eſt, quòd ductus thoracicus obnoxius ſit iis malis, unde alias vaſa rupturam patiuntur. Interdum enim ductum hunc vehementer extendi, vel ſolus compreſſivus dolor in dorſo nutricum fecerit manifeſtum; hic autem non aliam forte cauſam agnoſcit, quam nimiam vaſorum lacteorum, & ductus thoracici ex abundantia chiloſæ materiæ tenſionem, quod ex curâ patet, quæ moderatione victus & abſtinentia ab euchymis feliciſſime peragitur. Obſtrui etiam ſubinde ductum thoracicum, facile conceperit is, qui exacte trutinaverit, quòd non amplo hiatu, ſed ſex ſeptemve exiguis foraminulis, quæ facile obſtrui poſſunt, in ſubclaviam ſiniſtram pateat. Sed quicquid etiam de hac re fuerit, illud certum eſt, quod, undecunque demum derivetur, ſive ex lymphaticis, ſive ſanguineis vaſis, aut etiam ductu thoracico, ſeroſus humor, quem diximus eſſe auctorem hydropis, non confertim ſed ſenſim cumuletur, ejusque aliqua quantitas ſæpè diu in thorace ſit, & nullas moleſtias excitet, ac præterea obſcura ſui indicia præbeat; cum autem, ut fere fit, per continuum affluxum, velut torrens aliquis creſcit, & ſtagnando vitium capit, acriorque redditur, non poteſt non & tuſſim ſiccam producere, tandemque etiam reſpirationis negotium pro modulo quantitatis turbare. Quando vero tandem ita acutus, ut pectoris cavitate amplius contineri nequeat, pulmones comprimit, & hac compreſſione hominem ſubito interficit.

§. 7. Cauſa vero extravaſationis lymphæ & ſeri ſanguinei, quærenda eſt, vel in humoribus, vel in vaſis ac viſceribus, vel in utraque claſſe ſimul. Et ut de effuſione lymphæ prius loquamur, meritò quidem hic accuſatur *lymphæ ſpiſſitudo major*, quæ impedit, quo minus tum à propriis, tum à ſanguineis vaſis reſorbeatur, & ad fontem ſanguinis commode reducatur. Spiſſa hæc lympha initio obruit teneriores poros ac meatus, eorum robur inſigniter, nimia humiditate enervat, ac ad continui ſolutionem diſponit, atque rupturæ anſam ſuppeditat, dum ſtaſi hac inſignem acrimoniam & ſalſedinem acquirit, quamvis appellentis lymphæ nova ſemper unda veterem trudat, ut, vel lentiores ſtagnantis partes ex laxioribus porulis, vel tota, exprimantur. Mucida vero tum potiſſimum fit lympha, quando non debitè à ſero ſalſo & pingui, quod multis partibus mucidis ſcatet, in organis ſecretioni huic, & ſequeſtrationi dicatis, inter quæ principem locum tuetur Hepar, ſecundum vero viſcera glandoſa, ſegregatur, id quod tamen omnino erat neceſſarium, cum ex legibus ſapientiſſimi Creatoris cuivis notum ſit, non debere eſſe perpetuum lympham inter & ſerum connubium, ſed lympham quidem ſolam in vaſis

ſis lymphaticis absque conjugio ſeri, placido motu ferri ac demum affundi latici vitali, ut in arteriis, tanquam in thoro, amice cum ſero commiſceatur. Remora, ut jamjam innuimus, huic ſequeſtrationi ponitur potiſſimum in hepate, quando pori ipſius, quibus ſeparatio fit, notabiliter læſi ſunt, unde fit, ut vitia hepatis & in aſcite ac in hydrope thoracis poſt mortem varia ſubinde reperiantur, nec adeo abſurdum ſit, fontem humoris ſeroſi, in thorace ſtagnantis, in cavitate abdominis quærere. Augetur autem malum hoc indies, quando mucida ſeri dyscraſia, neque per tranſpirationem neque per urinam defæcatur ac fluxibilior redditur. Inter evidentiores ſpiſſitudinis lymphæ cauſas non poſtremo loco numeranda eſt aqua frigida æſtuante corpore affatim hauſta, quæ ſerum & lympham congelat. Proſper Martianus doctiſſimus Hippocratis interpres in *lib. 2. de morb. ſect. 3. p. 182 ſeqq.* verba Hippocratis *lib. de intern. Affect. ſect. 2. verſ. 76. Hydrops ex his fit, cum æſtatis tempore ſiti vexatus aquam multam biberit (nam ex his maximè fieri ſolet) & pulmo repletus fuerit, rurſus ad pectora dimittit &c.* ita explicat, quòd portio potûs in ipſa deglutitione *in arteriam aſperam* delabatur (quod ſenſibili experimento *lib. de corde v. 14.* confirmavit Hippocrates) *pulmones verò ſive ob humoris copiam, ſive propriam imbecillitatem, aquam hanc ſuperare nequeant, unde temporis progreſſu humor ille ab ipſis pulmonibus in pectoris cavitatem fundatur, ſenſimque & thorax & pulmo impleatur.* Cujus ſententiæ examen aliis relinquimus, quibus ſufficit annotaſſe, quod & alibi Hippocrates ſc. in *lib. de aëre, aquis & locis, aquas paluſtres, ſtabiles & lacuſtres tanquam hydropis θανατωδεστάτε genetrices* textu XI. *p. m.* 338. damnet. Et alibi etiam ex ejuſdem Coi decretis frigida pectori inimica eſſe novimus. Aër etiam frigidior hic ſymbolam ſuam confert, ut Julius Cæſar Benedictus in *Conſult.* 44. inter hydropis pectoris, quo Germanus ejus frater laborabat, cauſas evidentes non abs re referat *p.* 185. *malam vivendi normam & frigoris admiſſionem.* Hoc tempore in Germania omni, ac in Sileſiæ Metropoli multo plures ab ingurgitatione aquarum, quas vocant, vitæ, hydropem incurrunt, quàm à frigidæ aquæ potu, non obſcuro amplius generationis modo, poſtquam Illuſtris Boyle dexteritate in *hiſtoria ſanguinis* experimento 8 innotuit, quòd ſpiritus vini alcoholiſatus, ſero ſanguinis affuſus, illud in coagulum, ſeu offam candidam, mutet, & ita ad ſtagnandum diſponat.

§. 8. Non ſolus autem lymphaticus humor, ſed & ipſa, in quibus fluit, vaſa fundum calamitatis præbere poſſunt, & reipſa præbent; quamvis vitia vaſorum præter nimiam anguſtiam ac laxitatem in extremis majori ex parte adhuc ſint incognita. Anguſtia autem illa, vel à naturali conformatione ac primo ortu dependet, vel morbi productum eſt, vel tandem ab aliquibus comprimentibus & conſtringentibus inducitur, e. g. humoribus varii generis inflammatoriis, ſcirrhoſis, præternaturalibus circa viſcera con-

cretionibus, &c. Inter hæc etiam medicamentis adſtringentibus omninò locus eſt aſſignandus, quia hoc tempore neminem latere poteſt, quam facile febribus, more empiricorum, ope adſtringentium validorum, cohibitis hydrops ſuccedat. Nec deſunt exempla eorum, quibus hæmorrhagia narium impetuoſis adſtringentibus ſuppreſſa hydropem peperit, ut amplius dubitari nequeat, quin vaſorum lymphaticorum vitium ſæpe inducat hydropem, quod & Carolus Piſo agnovit, ratus, hanc frequentiorem eſſe hydropis cauſam, quam ipſam ſeri ſeu lymphæ dyscraſiam. Id certum eſt, quod hydrops ex vitio vaſorum ortus, brevi tempore vehementer invaleſcat, ac difficillime curetur. Cum vaſorum vitiis cohærent etiam vitia tum aliorum viſcerum, quæ motum lymphæ turbant, tum pulmonum, quos non una labe deformes in hoc morbo ab anatomicis deprehenſos, ſed vel duritie, ſcirrho, tumoribusque aliis ac vomicis obſeſſos, capite præcedente, narravimus. Illa etiam loborum pulmonis cum pleura cohæſio, undecunque ortum trahat, obicem lymphæ motui omninò ponit, quamvis non ſtatim hydropem pectoris producat, quod à nonnullis Medicis ſtatui probe recordamur. Liceat hîc cum venia Lectoris duo à D. Helwich viſa exempla recitare. Herula Illuſtri ſtemmate in vicino Poloniæ regno nata, in flore ætatis conſtituta, quæ vix ex morbillis evaſerat, circa feſtum Pentecoſtes, ex improviſo in aphoniam incidit. Vocatus Medicus ſtatim adeſt, exhibet liquorem C. C. ſuccinat, in potiuncula ex ∇. fl. til., tunic. epilept. L. ſyrup. de ſtœchad. & fl. pœoniæ, poſtquam tribus horis hoc medicamento uſa eſſet, blande adſtantes affatur, ſed brevi poſt iterum linguæ uſus ei intercipitur ac horribilibus convulſionibus concutitur, vomit etiam varia. Per abſentiam ordinarii vocatur alius Medicus, aperitur vena, veſicatorium applicatur, exhibentur remedia generoſa omnia fruſtra. Tertio die moritur. Aperitur cadaver, in abdomine omnia viſcera ſine labe erant, cum ad mediam cavitatem perventum, pulmonis lobus dexter firmiſſime pleuræ adnatus erat, cæterum pulmones cum corde ritè conſtituti. In cavitate thoracis ne gutta quidem humoris deprehendebatur. In capite vaſa ſanguinis ſine ulla extravaſatione præternaturaliter diſtenta erant. Vir quinquaginta annos natus, temperamenti cholerico-melancholici, adhuc adoleſcens, divinius ac ſacratius vitæ genus elegerat, utpote qui ex ambone ultra XX. annos ad populum cum fervore inſigni verba fecerat, ac diligentiam in decantandis divinis in choro laudibus in ſe deſiderari non fuerat paſſus. Nec fuit per multorum annorum intervallum, cur de valetudine adverſa adeo conquereretur, nam & avidè appetebat cibum, viniqùe hauſtu ſuas, ſi quas haberet, curas leniebat, niſi quod poſt 5 à prandio, & ſeptem vel octo à cœna horas, titillationem in gutture experiretur, ac tuſſi, qua viſcidum ac glutinoſum phlegma in inſigni copia rejiciebat, impetuoſiori & ſæpè per duos horæ quadrantes moleſta, vexaretur. Nihil non egerat, ut inviſum ſibi

malum

malum ex corpore proſcriberet. Fruſtra V. S. adhibuerat, fruſtra nodulis & aliis purgantibus uſus ac emeticis, nec ullum ex ſyrupis eclegmatibus & potionibus ſaccharatis, quarum alias amantior erat, emolumentum reportaverat. Quinimo crevit diuturnitate temporis malum, & ad cumulum miſeriarum ejus, autumno præterlapſi anni, bis acceſſit febris intermittens tertiana, cujus vis exhibitis tantum duobus aut tribus pulveribus ſalinis & laxanti frangebatur, hinc ſibi redditus, ut ad functiones ſuas iterum rediret. Sub finem autem autumni denuo omnia in pejus ruebant, aucta tuſſi & accedente calore hectico, vires, quæcunque etiam remedia opponerentur, graviſſime atterebantur, tametſi per aliquot horas ſomnus eum, ut ajebat, placidus ſingulis noctibus refocillaret, & diurno tempore ter, majori, quam ægri morbus ferre videbatur, appetitu & copia cibum ſumeret. Ultimo accedebat tumor pedum œdematoſus, ſitis augebatur, & expectoratio indies erat difficilior. Tandem confectus febri hectica Creatori animam reddidit. Placuit Plurimum Reverendo Domino P. Michaeli Hoffmanno ad S. Matthiam Priori digniſſimo, in abſentia Reverendiſſimi Domini Prælati, Domini Michaelis Fibigeri, Patroni Noſtri, ut aperiretur cadaver, ac in cauſam morbi inquireretur. Factum illud eſt in præſentia D. Chriſt. Helwichii, Virorumque Nobiliſſimorum Dn. D. Eggerdes & D. Gottofredi Klaunig. Ventriculus erat papyraceus (ut mirum ſit, quomodo cibum in tanta copia ingeſtum concoquere potuerit) ac planè vacuus; Hepar graviſſimè læſum erat, aridum illud & planè ſiccum reperiebatur, ac levi digitorum attactu in partes fatiſcebat. Lien atris maculis diſtinguebatur. Glandularum meſenterii & ipſius pancreatis notabiliores læſiones, quod mireris, non licebat obſérvare. Aperto thorace, pulmo arctiſſimè annexus erat coſtis, ſed iterum nullum extravaſationis lymphæ aut ſeri indicium præſto erat, forte quòd viſcida lympha è vaſis prolapſa in membranularum conſiſtentiam adjuvante calore transformata eſſet.

§. 9. Sed è diverticulo in viam nobis iterum eſt redeundum, & diſpiciendum, unde fiat, ut ſanguis ſerum ex vaſis ſuis in cavitatem pectoris dimittat. Abſque ambagibus autem ut rem expediamus, non poſſumus non vitium agnoſcere vel in ipſo ſanguine, vel in vaſis ſanguiferis, & connexis viſceribus, aut iterum in ambobus ſimul. Quantum ad vitium ſanguinis, ſit ſuus ſane acrimoniæ ac ſalinæ potentiæ in nocendo locus, primas tamen in noxio hoc officio ſibi vendicat partes inſignis ejus viſciditas, obſtructionum mater. Hæc autem viſciditas oritur à dyſpepſia ob cruditates admixtas, ac iners, quodcunque tandem illud fuerit, menſtruum; ab incongruis in duodeno ac reliquo inteſtinorum volumine admixtis liquoribus, depravatam chyli à fæcibus ſecretionem efficientibus. Rectè etiam accuſare poſſumus amurcæ ad ſanguinem tranſitum, ſegnioremque in ſanguine motum ac factas hinc inde in viſceribus ſtagnationes ac inflammationes, quas promovent variæ viſcerum

conſtitutiones *&c.* Non patitur locus hic, ut alimentorum & rerum non naturalium noxia in hoc effectu ſervitia enumeremus; non tamen iterum diſſimulare poſſumus noxam aquarum vitæ, cum ſpiritus vini vis coagulatoria ſanguinis evidenti experimento declarata ſit à Celeberrimo Bohnio in *Act. Eruditor. Lipſienſ. Ann.* 83. *Menſe April. p.* 153. *& ſeqq.* Id vero ante omnia notandum eſt, quòd impeditus lymphæ motus, aut ejus in cavitatem aliquam effuſio viſciditatem in ſanguine vehementer augeat, ac ſtagnationes in vaſis ſanguiferis promoveat. Conſtat ex ratione & experientia, quòd ſanguis venoſus decies craſſior ſit ſanguine arterioſo, eo quod vel decuplo plus lymphæ arteriæ contineant, quam venæ. Neceſſarium ergo erat, ut ſanguis intra venas dilueretur, quo in cor refluere poſſet; atque hunc in finem providus opifex rerum Deus in truncum infernum ſupernumque vaſa lymphatica largiter eſt corrivatus. Quodſi vero ipſe lymphæ motus retardetur aut humor ille lymphalis propter effuſionem in cavitatem aliquam non convehatur ad ſanguinem venoſum, hic neceſſario ob defectum diluitionis craſſior erit. Craſſities autem ejus fons erit tum aliorum malorum tum ſtagnationis & obſtructionis, quæ tamen ſano ſenſu eſt explicanda, ne cum circulatione ſanguinis pugnet. Ab obſtructione autem hac viſcera fiunt coacta ac compreſſa, priſtinamque molem amittunt, quod & in glandulis contingit, quæ obſtructæ ſubinde plane marceſcunt & vietæ fiunt. Pulmones ipſi, utut prius ampli & extenti ſint, ſæpè redduntur uſque adeo tabidi & arctati, ut vel ab ipſis Medicis ægre agnoſcantur, id quod & de hepate ac liene obſtructis eſt affirmandum. Ubi verò vaſa ſanguifera in anguſtum ambitum compinguntur, ut ſanguini commeatum liberum non relinquant, non poteſt non ſerum à ſanguine ſeparatim profundi, id quod ex experimento Clariſſ. Loweri ad oculum patet. Quia rem præſentem mirè illuſtrant, aliqua ex c. 2. doctiſſimi operis *de corde*, item de *motu & colore ſanguinis p.* 82. ab ipſo mutuabimur: *Haud pridem*, inquit, *venas jugulares ſubducto iis filo in cane arcte ligaveram, & poſt aliquot horas, partes omnes ſupra ligaturam mire intumeſcebant, & intra duos dies canis quaſi angina ſuffocatus periit. Toto hoc tempore non ſolum lacrymæ copioſius fluebant, ſed & plurima ſaliva ex ore, non aliter, quam ſi ab aſſumpto ☿io fluxus ille concitatus fuiſſet, poſt obitum cutem ejus à partibus tumefactis ſeparavi, atque expectavi, ut partes tumefactæ ſanguine extravaſato turgerent, ſed aliter omninò evenit, quippe nullum veſtigium aut colorem fere ſanguinis obſervare potui, ſed muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido maxime diſtentæ & admodum pellucidæ apparebant, quod clare arguit, ex conſtrictione venarum ſerum utcunque ſecerni.* Hæc & alia ad rem noſtram facientia tum in *pag. anteced.* tum *ſequenti* habet Lowerus. Et hac ratione, dum viſciditatis ſanguinis cauſas indagamus, ſimul cognoſcimus, quomodo ipſa vaſa ſanguifera ad profuſionem ſeri, & cum ſanguine & vaſis ipſis lymphaticis mutuas jun-

gant

gant operas, dum & ipſa & iis connexa viſcera glutinoſo inferciuntur ſanguine, quod fieri ſolet in hydrope pectoris, ſicut id exemplo conſtat viri illius, cujus ſupra ex Blanckardo meminimus, nam expreſſe *p.* 265. ſcribit, quòd *in arteriæ magnæ initio quidam ſanguinis grumi adfuerint; & à ſanguine hoc grumoſo pulſus defectum à nobis ante obſervatum* idem Auctor deducit.

§. 10. Non tantum autem hâc unica ratione, quam jam commemoravimus, motui ſanguinis remoram injiciunt vaſa ipſa, in quibus vehitur & ad ſtagnationem ac ad hydropicam ſeri profuſionem diſponunt, ſed multis aliis modis, dum dilatantur, amputantur &c. peculiari prorſus modo vaſorum oſſificatio huc facit, cujus cap. I. mentionem fecimus. Nimirum arterias oſſeis protuberantiis & inæqualitatibus vim dilatandi & ampliandi amittere, & ad eas, tanquam ſcopulos, ſanguinem allidi ac intra præcordia accumulari, ac tandem lympham exundare, docuit inſpectio cadaveris Wepferi. Rei dignitas exigit, ut aliqua ex ejus vita iterum excerpamus, &, qualis fuerit arteriarum conſtitutio, verbis Brunneri exponamus, is autem ita *l. c. p.* 163. ſcribit: *Aorta pone valvulas ſemilunares oſſea aſperitudine intruſos offendebat digitos, pupugitque prominentia quædam acuta. In progreſſu cartilagineis hemicyclis compoſita, ſi non oſſea penitus, ſaltim indurata ad divaricationem uſque iliacarum tota quanta reperta fuit. Juxta arterias renales circulus plane oſſeus unciæ latitudine aortam circumdabat, & quo longius à corde, eò magis oſſea deprehenſa fuit, præſertim juxta iliacas, quæ revulſæ ex femoribus oſſeam duritiem tenuerunt. Tandem aortam exemptam integumentis liberavimus, ac dextre mundavimus ad contemplandam illam penitus, quin ad interiora quoque luſtranda incidimus, non citra vim, forfice. Intus nativus ille candor atque lævitas periit, & quamvis non intercepta penitus, ſcabra tamen, horrida & ſalebroſa hæc ſanguinis via fuit, variiſque inæqualitatibus ac protuberantiis oſſeis difficilis, circa exortum cœliacæ & infra renales tunica interior diſrupta &c.* Quòd verò etiam in aliis corporibus ejuſmodi oſſificatio vaſorum obſervetur, certum eſt. Ex Lucii *Obſerv. in Nov. literar. German. anno* 1705. *p.* 254. pertinent huc ſequentia: *In cadavere* (melancholici ſenis) *arteriæ cordis in corde oſſeæ reperiebantur, quæ obcalluerant, uti in corde ſenum, quin & brutorum, ac frequentius in corde Cervorum accidere ſolet.* Quod qui perpendit, ei vix erit ſtupendum naturæ miraculum quadriga *coſtarum bubularum, quarum tota ſuperinducta caro in veriſſimum os converſa* fuit, quam in Muſeo aſſervat Vir Clariſſimus Dominus Roſenringe cum obſervationibus Dn. Bircherod, ut legere licet in novis literariis maris Baltic. *Anno* 1705. *p.* 221. Non dubium eſt, quin etiam polypoſa aut quævis alia concretio eundem cum oſſificatis vaſis præſtare poſſit effectum. Notum eſt, quod in dilatata arteriâ magna in corde Clariſſ. Caroli Patini ejuſmodi *corpus anſerini ovi grandioris magnitudinem excedens, & trium quatuorve unciarum pondus exæquans, figura cardui cinaræ fructui haud diſſimile, ſit repertum,*

quem-

quemadmodum pluribus id deſcribitur in peculiari *epiſtol. Medic. de aortæ polypo in append. ad ann.* 1. *Dec. III. p.* 116. at vero ex eadem epiſtola conſtat, pedes *œdematoſo tumore fuiſſe affectos*, ut facili conjectura aſſequi liceat, quantopere ejuſmodi impedimenta in vaſis motum ſanguinis turbent, ac ad ſeri in partibus accumulationem faciant. Motu ſanguinis perverſo, etiam hæmatoſis, quæ ſuos motui periodico & inteſtino ſanguinis natales debet, labefactatur & minus laudabilis, ac ad nutriendum ineptus ſanguis generatur, unde denuo nova hydropis ortui occaſio ſuppeditatur.

§. 11. Tandem intellectu perquam facile eſt, quomodo & ex quibus cauſis chylus ex ductu thoracico effundi ac hac effuſione diluvium in pectore excitare mortemque accelerare queat. Rem hanc clariſſimè ob oculos ponunt experimenta duo Loweri, quæ *lib. cit. c.* 5. *p.* 154. *& ſeqq.* deſcribit. Nimirum Celeberrimus hic Vir thoracem canis in dextro latere intra duas coſtas interiores aperuit, digitum immiſit & ungue velut in ſerram reſecto, commune receptaculum tribus horis à paſtu valdè turgidum perfregit & laceravit; quo facto & vulnere conſuto canem affatim cibo ſatiavit; cum autem intra paucos dies expiraret, illum cultro anatomico ſubjecit, ac ventriculum atque inteſtina valde repleta, quin & venas lacteas chylo plenas invenit, & in eo pectoris latere in quo commune receptaculum apertum fuerat, duas chyli libras deprehendit. Idem experimentum tentavit in altero cane, eumque in ſiniſtro latere inter tertiam & quartam coſtas ſuperiores perfodit, & immiſſo per vulneris orificium digito ductum diffregit, ac canem iterum probe ſaginavit, & cum brevi poſt non tantum elangueſceret, ſed & moreretur, hujus quoque thoracem diſſecuit, clauſtrumque illud pectoris, ubi ductus diſruptus fuerat, chylo penitus repletum & pulmonem lateri iſti agglutinatum offendit. Verum enim verò, judice Williſio, *minime refert, talis morbi ætiologiam inquirere, quia non tam incurabilis, ſed brevi tempore lethalis exiſtit, quia ſcilicet à chyli inundatione præcordia ſtatim obruantur, ſimulque ſanguis & ſpiritus animales, ſucci nutritii vectigali ſolito defraudati, illico exſolvantur.* Ex quibus apparet, Williſium non minus, quam Lowerum in ea fuiſſe ſententia, chylum nulla ex parte in venas meſaraicas influere; quod ut probaret Lowerus, experimenta à nobis adducta inſtituit, quæ, num prorſus conficiant negotium, ſub judice lis eſt, vero tamen omnino eſt ſimile, hydropem pectoris ex rupto ductu thoracico ortum, brevi temporis intervallo, non poſſe non hominem jugulare.

§. 12. Eodem, abſque controverſia, modo etiam hydrops Pericardii excitatur, niſi quòd motus cordis, vel ipſius cordis vitio & culpa, vel vaſorum continentium labe læſus ſpecialiori forte modo, ad productionem hydropis pericardii concurrat, quam vitia ſanguinis & lymphæ, quamvis aqua illa in pericardio majori, quam par erat, quantitate cumulata cordis latera ſua mole etiam comprimat, ut pro excipiendo ſanguine ſatis dilatari nequeat.

Alias

Aliàs apertiſſime Obſervatio Zelleriana *c.* 1. §. *ultimo* allata, declarat, quæ vitia glandulæ & lympha in hoc affectu patiantur. Nam granula illa lentibus magnitudine æqualia, quibus pericardium militis obſitum ac exaſperatum erat, non licet alio loco habere, quam in numero glandularum exiguarum, quæ in ſtatu naturali aciem oculorum, etiam microſcopio armatorum, effugiunt, vulgoque miliares vocantur, in morboſo autem hoc ſubjecto in eam magnitudinem excreverant. Quod fatum etiam in aliis corporis partibus experiuntur. Ita in tunica interiori ventriculi, has glandulas parvarum nucum avellanarum magnitudine ſpectatas fuiſſe meminimus. In magnâ hujus materiæ caligine, minime ex re eſt, multa tanquam vera ſupponere, aut variis inhærere conjecturis & commentis, quæ tempore abolentur, atque inde à nobis nemo expectet, ut determinemus, an cæcis ductibus aqua ex pericardio in pectus, an ex hoc in illud ſubinde extillet, quamvis oppoſita ſententia nobis multo videatur probabilior. In ſolitario pulmonum hydrope Clariſſ. Tozzius *l. c. p.* 310. ſuſpicatur, *poros veſiculasque pulmonis lymphâ, glutinoſiori ibidem redditâ nec per ſuos ductus traductâ, ſucceſſu temporis repleri, imo & vapores ab acidò quodam concreſcere*, aut taliter quocunque modo impeditos *pulmonum ſubſtantiam infercire hydropemque* excitare. *Non* raro, inquit, *etiam accidit, hydatides pulmonibus adnaſci ab aqueo humore extimam illorum membranam alicubi relaxatam tumefaciente, hæ autem veſiculæ aquæ repletæ hydropis comites communi voto cenſentur documento* Hippocrat. *lib. de intern. affect.*

§. 13. Vitia viſcerum, quorum catalogum aliquem ſub finem *cap. I.* addimus, aliqua ita ſunt in hoc morbo comparata, ut tanquam cauſæ concurrant ad productionem hydropis, cum aliis vero ita res habet, ut non niſi inter hydropis effectus, ac producta numerari queant. In priori claſſe ponimus quævis, ut jam in antecedentibus aliquoties monuimus, inſigniora colatoriorum viſcerum vitia, & varias corruptiones hepatis, lienis & pulmonum &c. De renibus meritò dubites, utrum deturpationes eorum in defunctis ex morbo noſtro obviæ non ſint intuendæ potius ut productum aliquod morboſum? Vitia verò pulmonum, quæ inſigniori efficacia ad generationem hujus morbi concurrunt, quàm aliorum viſcerum, ſi rem exactè perpendas, fere omnia ex uberiori congeſtione ſanguinis ad pulmones dependent, nam ex hoc fonte ſcaturiunt hæmoptyſis & arcto cum his fœdere conjunctæ exulcerationes, in exſangui hujus viſceris ſyſtemate, aut ſi forte non erumpat ſanguis, hâc ipſa tamen congeſtione occaſio præbetur ſiccæ tuſſi & aſthmati periodico, variis irritationibus, preſſionibus, ſtagnationibus, & hinc pullulantibus inflammationibus, & quæ has excipiunt, non unius generis abſceſſibus, vomicis, aliiſque eroſionibus ac rupturis vaſorum lymphaticorum &c. unde etiam hydrops pectoris illi ætati familiarior eſt, quæ ſanguinis congeſtionibus circa pectus eſt obnoxia. Ad poſteriorem vero claſſem referimus craſſitiem membranarum, quæ thoracem cingunt, ſine dubio ortam ab aqua per longum

tempus ibidem ſtagnante; varias bilis depravationes, quæ vel à mucida ſeroſorum humorum conſtitutione, vel ab hepatis labe dependent *&c.*

§. 14. In remotioribus hujus morbi cauſis enarrandis non diu nos detinebimus. In vulgus notum eſt, eos, qui temperamenti phlegmatici & ſanguinei, tum omni hydropi, tum etiam huic noſtro, de quo nobis ſermo eſt, eſſe obnoxios. Quod & affirmandum de iis, qui craſſioribus cibis, unde chylus & ſanguis viſcidus oritur, victitant. Inſalubrem potum, e. g. aquæ ex nive reſoluta, frigidæ tempore æſtivo, cremati *&c.* jam ante, cum de cauſis lenteſcentis lymphæ ageremus, ex merito damnavimus. Nec in eundem cenſum referre veremur cereviſias ex tritico factas, præprimis recentes, nec ſatis defæcatas aut male coctas. Sunt etiam ſuæ aëri craſſo & nebuloſo in generando hydrope, partes, quod in locis paludoſis & maritimis, ubi hydrops frequentior, ſatis aperte cernitur. Facit etiam aliquid ad accumulandam ſeri quantitatem, ſomnus nimius, otium, ut de affectibus animi jam nihil dicamus, inter quos mœrorem & iram, ſubitumque terrorem multi accuſant. Potiores partes ſuppreſſioni excernendorum, eorumque retentioni vindicandæ ſunt. De veneno quæſtio eſt, an inter effectrices hydropis pectoris cauſas ei locus ſit tribuendus? Audivimus *c. I.* Maximilianum II., illum generis humani amorem & delicias, ex hydrope pectoris obiiſſe, ubi præclariſſimis ejus temporis Medicis aliqua veneni propinati ſuſpicio oborta eſt; nam fama fert, Herculem Saxoniam in lectionibus Paduanis publice affirmaſſe, *mitiſſimum hunc Imperatorem veneno fuiſſe ſublatum.* Bertius *Commentarior. Germanic. lib.* 2. tradit, per *Granvellanum iſtud illi exhibitum, adeoque factum, ut Maximilianus totos annos 20 ex cordis palpitatione laborarit.* In eadem ſententia fuit etiam Hieron. Mercurialis, Medicus prorſus eximius, *tom. I. Conſult. medic. Conſult. CXI. p.* 257. expreſſe ſcribens: *Quamobrem venenum & in aviculis & in boletis ſumptum omnium malorum principium fuiſſe exiſtimo.* Sed rationes, quas adfert, minime ſtringunt. Unice enim innititur Vir Clariſſimus, cum originem variorum ſymptomatum, quæ Cæſarem fatigabant, aliter inveſtigare non poſſet, laudabili corporis conſtitutione, qua in juventute Imperator fuerat uſus, ac neſcio, qua concludendi neceſſitate infert, cum ea ad effectuum horum orbem gignendum non conſpirarint, Regi venenum fuiſſe exhibitum, cum potius inferre debuiſſet, plethoram æque hydropis ac aliorum morborum cauſam eſſe factam. Aliàs forte negandum non eſt, lenta illa venena (quæ ex ſaccharo ♄i additione volatilioris cujuſdam corroſivi parari, nonnullorum ſententia eſt) occultiſſimo modo pedetentim homines in cachexiam & hydropem præcipitare. Morbi, quos alias hydrops hic ſequitur, varii ſunt, inter eos autem præcipui exiſtunt ſcorbutus, aſthma, dyſenteria, hæmoptyſis & reliqui pectoris affectus. Unde etiam patet, morbum hunc præcipue juvenes, ac in conſiſtenti ætate conſtitutos affligere,

rarius

rarius tamen ipſos etiam infantes corripit. Clariſſimus Harderus in apiario producit exemplum pueri obeſuli, in quo præter alia invenerit *cruentum tenue inſtar aranearum telæ & ex parte conſumptum, pulmones humore ſeroſo & ſpumoſo ſcatentes, fluctuantem in thoracis cavo aquarum copiam.* Et D. Pauli curavit nobilem puerum, qui faſciam circa thoracem nullo modo ferre vivus poterat. Is cum convulſus obiiſſet, alterutrum thoracis latus aqua nigricanti refertum exhibuit. Jam ſymptomatum præcipuorum ratio eſt reddenda.

§. 15. Moleſtia & gravativus præcordiorum dolor indicium præbet ſeri in loco quodam extra vaſa contenti, ac fibras diſtendentis, nam quòd tenſiones tales fibrarum à ſero non adeò in magnâ quantitate effuſo oriantur, ex pedibus aſciticorum liquet, qui de tenſione illorum conqueruntur, etiam cum nullus adeſt notabilis tumor. Unde reſpirationis difficultas in hydrope pectoris dependeat, rectius explicari nequit, quam ſi tribus verbis ex phyſiologicis præſuppoſuerimus, quomodo coſtarum motus reciprocus ad dilatationem atque conſtrictionem thoracis faciat? Etſi verò Thomas Bartholinus in *Anatom. reform.* inculcet, quòd coſtæ à muſculis intercoſtalibus externis attollantur, & thoracis conſtrictione expirationi inſerviant, contra verò ab internis adducantur & dilatando inſpirationem juvent; Spigelius vero cum multis ſequacibus dilatari & conſtringi in hoc actu *lib.* 4. *c.* 8. credat. Nos tamen potius putamus adhærendum ſententiæ Plempii, Sylvii, Schwammerdammii ac Doctiſſ. Mayovi, inter quos ultimus, per argumenta ex mechanicis & ipſa coſtarum conformatione atque articulatione petita, probabile reddidit, coſtarum arcum non extrorſum in inſpiratione, introrſum vero in reſpiratione moveri, ſed ſurſum potius & deorſum trahi, ac illa ratione, dum ſurſum trahitur, pectoris ſpatium dilatari, hâc vero, dum deorſum trahitur, contrahi. Diaphragma autem ipſo momento, quo coſtæ elevantur, ſive thorax attollitur, convexitatem ſuam, quæ abdomen ſpectat, cum planitie immutat, ita ut magno ſatis niſu manum notabiliter feriat. Verbo: In inſpiratione pectoris cavitatem relinquit, eamque longiorem fieri concedit, dum ſe conſtringit, fundumque thoracis depreſſiorem reddit; contra in exſpiratione gibboſitate ſua denuò thoracem replet & breviorem pectoris cavitatem facit, dum de ſua ſyſtole remittit, ut uberius hoc explicatur à Spigelio, Bartholino, Sylvio, Schwammerdammio, Mayovio, Diemerbrockio, ipſo etiam Laurentio, cujus mentem Diemerbrock hic non videtur aſſecutus. Hæc ſi ad rem applicemus præſentem, ſtatim eluceſcit, molem aquæ diaphragmati incumbentis impedire, quo minus, quando exſpirandum eſt, gibboſitate ſuâ thoracis cavitatem aliquo modo repleat, unde non poteſt aliter fieri, quam ut inſpirando noſtri hydropici reſpirent, quemadmodum de Socero ſuo docte obſervavit Brunnerus. Sed quid cauſæ eſt, quòd affectus aſthmaticus noſtros ægros maxime poſt primum infeſtet ſomnum? Williſius illud fieri credit propter

vapores à calore tunc intenſiori elevatos, ac ab iisdem magnam illam inquietudinem & corporis jactationem deducit. Nobis experientia conſtat, hanc inquietudinem ſubinde cum aſthmate conjunctam quinque horis à cœnâ ſumpta ſolere eſſe maximam; dum verò perpendimus, ventriculum majori ex parte ad quartam horam à cœnâ depleri, non tamen chylum plene vaſa lactea ante horam ſextam ſubire ſolere; ſicuti non ſine probabili ratione credit Celeberr. Liſterus in *Comment. in Sanctor. Medic. ſtatic. p.* 152. cauſa forte non abſurde ex parte chylo affluenti, & in ſanguinis oceanum labenti, cui tamen non rectè permiſcetur, illa inquietudo adſcribetur? Deinde certum eſt, in vigilantibus muſculos perpetuo eſſe quaſi tenſos & conſtrictos, ab hac autem muſculorum ſtricturâ omnino oritur utique & glandularum & vaſorum lymphaticorum præprimis in pedibus & circa coxas, ubi & numerus & magnitudo glandularum inſignis occurrit, anguſtatio & ſtrictura; in ſomno autem non tam muſculi, ſed & ſtrictæ illæ glandulæ ac vaſa ipſa laxantur, ſi Liſtero *l. c. p.* 142. credimus, *qui vigilat, omnes corporis muſculos conſtrictos habet, meatuſque adeo glandularum NB. duplo magis anguſtatos, quam qui dormit.* Hoc ſi ita habet, probabile eſt, quòd tempore ſomni laxatis glandulis & vaſorum lymphaticorum oſculis, uberior ſit affluxus ad pectus, tanquam ad partem læſam, majorque ab affluentibus humoribus pulmonum oriatur compreſſio, atque Spiritus magis intercipiatur.

§. 16. Pulſus inæqualis & ſubinde intermittens ab impedimento aliquo in præcordiis, ac hinc fluenti turbato humorum motu oritur. Notum enim ſatis eſt, pulſum ſeu motum arteriarum reciprocum extrorſum & introrſum factum, vel, ut aliis vocare placet, diaſtolen & ſyſtolen arteriarum dependere à cordis ſyſtole & diaſtole (cum nec tyronibus artis noſtræ incognitum amplius ſit, cor eſſe muſculum, qui perpetua viciſſitudine recipiat ſanguinem & expellat, in cujus contractione parietibus undique ad ſe accedentibus, thalami ejus, ejecto omni ſanguine, evacuantur, laxatione facta implentur,) arteriarumque pulſationes cordis vibrationibus reſpondere, & pulſum eſſe æqualem cum æquali impetu ac quantitate ab alterna cordis conſtrictione inter æqualia temporis intervalla, truditur ſanguis in arterias. Neceſſe ergo eſt, inæqualem eſſe pulſum, vel quia in corde remora eſt, vel in influxu & effluxu ſanguinis aut humorum motu impedimentum occurrit. Hoc vero ipſum in hydrope noſtro fieri, ex antecedentibus patet. Rurſus cum lympha in cavitatem pectoris effluat, ac nec chylus, nec ſanguis ritè illa diluatur, fieri vix aliter poteſt, quam ut ventriculi cordis & vaſa ſanguifera viſcidis humoribus obducantur, & iis fere repleantur, dum ſenſim gelatinæ inſtar parietibus ventriculorum cordis ac vaſorum agglutinantur. Ex hac autem cauſa etiam pulſum debilem & intermittentem oriri, teſtis eſt Lowerus *lib. citat.* Ab iiſdem fontibus oritur etiam cordis palpitatio, quam in morbo hoc noſtro etiam abundantia

aquæ

aquæ in pericardio inducit, ſicuti teſtatur Tulpius *lib. 2. obſerv. Med. c. 26.* Carolus Piſo ſæpe *citat. c.* 11. Riolanus, aliique plures, ut minime audiendus ſit Diemerbrock *l. c. p.* 430. ſcribens: *Notavimus, majorem copiam iſtius liquoris, (pericardii) non facere palpitationem cordis, quod tamen ex Galeni ſententia communiter tradunt Medici. Nam in omnibus iis, in quibus poſt mortem in pericardio humoris iſtius aquei majorem copiam reperi, antea, dum morboſi viverent, nullam omnino cordis palpitationem, ſed contra pulſum languidum ac rariorem reperi. Neque etiam à copia iſtius liquoris tanta fit pericardii anguſtia ut cor ſe in eo libere movere nequeat, atque hinc palpitet, ſed contra ſemper animadvertimus, pericardium hinc adeo latum laxumque reddi, ut cor in eo multò facilius moveri poſſit, quam in pauco liquore;* Quæ Viro Clariſſ. excidiſſe merito miramur, cum captu facillimum ſit, qua ratione nimia aquæ in pericardio quantitas conſtrictiones & reſtitutiones cordis impedire queat, ſi vel mole ſua premat, vel fermenteſcat & intumeſcat. Conf. Bellinus *de morb. pector. in Oper. p.* 616. Nec temere irridendæ ſunt querelæ ægrorum, quibus cor palpitat ac tremit, aut inordinate movetur, cum ajunt, cor ſuum velut aquæ innatare, cum ſenſatio illa longe certior ſit omnibus conjecturis etiam expertiſſimorum Medicorum, ac propterea, cum Nobilis ille ſexagenarius duobus ab annis *cœpiſſet ſentire pondus in pectore, accedente poſt aliquod tempus motu quodam cordis tremulo & inordinato, cum ſenſu ac ſi cor aquæ innataret*, non male Vir Clariſſ. Raymund. Joan. Fortis *cent. 2. Conſult. 46. p.* 181. collegit, *aquoſam materiam in pericardio collectam.* Nec fidem detraxit Hercules Saxonia *l. 2. Med. Pract. c. 8. p. m.* 179. *Galeno ex Marcella familia, qui hoc morbo (aqua in pericardio) laboravit una cum hydrope pulmonis, & ante mortem factus eſt leucophlegmaticus, cum diceret, ſe ſentire cor in aqua natare.* Non urgebimus jam unanimem Medicorum conſenſum, qui à nimiâ liquoris in pericardio quantitate palpitationem obſervarunt, quos inter non ultimo loco ſunt Galenus & ejus ſequaces, Fuchſius, Hollerius, Amatus Luſitanus, aliique plures. Non itaque dubium eſt, quin qui in hydrope pectoris, ſicut & pus in empyematicis, exteriorem pericardii ſuperficiem introrſum verſus propellens, palpitationem cordis inducat, cujus cauſæ eſſe poſſunt humores, abſceſſus, grumoſus ſanguis, &c. ut rectè alicubi obſervat Hollerius.

§. 17. Lipothymiam ſobolem eſſe *pravorum olidorumque halituum, ex putrido ſero emergentium & cor infeſtantium,* credidit Sebizius *p.* 892. Duretus in *Coac. prænotion. p.*131. rectius quidem judicat, ſcribens: *per lipopſychiam aut* καταχρηστικῶς *dictam, lipothymiam fieri ſignificationem infirmæ facultatis animalis, ſicut etiam per oculorum* ἀμαύροσιν; ſed quænam cauſa ſit deliquiorum, non aperit. Sine dubio autem non alias agnoſcit cauſas, quam ipſam palpitationem cordis, cum ex obſervationibus à Clariſſimo Bonetto *Anatom. Pract. lib. 2. ſect. X.* collectis aperte conſtet, correptos fuiſſe lipothymiâ alios *occaſione abſceſſus, vel*

intra cordis ſubſtantiam, vel alibi geniti; alios *ratione humoris fœtidi in cordis ventriculo, aut in thoracis cavitate contenti*; alios *à polypoſa quadam concretione*, & quidem propterea, quòd hâc ratione motus humorum impediatur, quod omnium maximè fieri neceſſe eſt, cum vas aliquod circa cor, aut in pulmonibus majus & inſignius valde obſtruitur, nec ſanguini liber conceditur meatus; nam tum vires exolvi neceſſe eſt eouſque dum ob ſanguinis confertim irruentis impetum obſtructio aut impedimentum quodcunque removeatur. Experiuntur autem hydropici noſtri, qui ſæpius animo linquuntur, idem cum aliis fatum, quibus deliquia ſine manifeſta cauſa familiaria ſunt, ut nimirum, juxta Hippocratis aphoriſmum, *repente* moriantur.

§. 18. Tuſſim ab aqua acri, & diaphragma & pulmones ejuſque vaſa imò & laryngem ſtimulante ac irritante, oriri, in aprico eſt, præprimis ſi accedat ægri opinio, illum humorem, qui in pectore moleſtias excitat, per fauces amandari & per aſperam arteriam abripi poſſe. Invaleſcit vero tuſſis, dum aquâ in pectore fermenteſcente pulmo ferocius irritatur, quod etiam fit, cum motu corporis aut incongruo ejus ſitu, colluvies ſeroſa in pectore commovetur. Tumores, ſi qui ſunt præſentes, oriuntur à ſero vaſis ſuis elapſo, niſi forte etiam ſanguinem pituitoſum, qui in cachecticis & intumeſcentiæ & coloris luridi in facie cauſa eſt, cum aliis Doctoribus accuſare malis. De conſenſu inter pectus & pudenda certa res eſt, & ab Hippocrate, aliiſque ſæpe obſervata. Unde apud Hippocratem legas *lib.* 2. *epidem. ſect.* 5. *A dolore forti ad teſtes irruente tuſſis ſicca ſolvitur*; & *lib.* 2. *epidem. ſect.* 1. *ſi teſtium inflammationi tuſſis ſuperveniat, inflammatio ſolvitur*, quo etiam pertinet locus *ex lib.* 2. *præſagior.* 67. *&c.* Pervulgatæ etiam res eſt notitiæ, vocem eo fieri tempore graviorem, ac ad virilem ſenſim aſſurgere, cum pili in pube ſuccreſcunt. Ulterius notum eſt, per urinarias vias materiam, e. g. purulentam in pectoris cavo contentam educi, nec enim deſunt exempla his viis è corpore amandati puris, ac ſanati hâc ratione empyematis apud Scultet. in *Armament. Chirurg. Obſerv.* 46. *&* 51. Diemerbrock *l.* 1. *c.* 17. alioſque plures; ſed utut hæc ita ſeſe habeant, perquam tamen difficile eſt oſtendere, qua in re conſenſus iſte fundetur, niſi forte cum Laurentio in *hiſtor. Anat. l.* 9. *quæſt.* 2. credere velimus, illuviem pectoris ad cor per venas reduci, ex eo autem per arterias & ad renes & ad pudenda transferri, ubi tamen iterum quæſtio remanet, cur non per arterias colluvies pectoris ad alias corporis partes æque ac ad ſcrotum advehatur? Nec ſcimus, an felicius ſe expediant, qui non tam ad corporis meatus ullos reſpiciendum cenſent, quam unice ad lympham hinc inde in habitu corporis ſtagnantem, ac contendunt à lymphæ decumbentis gravitate motum ad partes inferiores arceſſendum eſſe. Nam nulla eo tempore in peripheria corporis ſtagnantis lymphæ obvia ſunt indicia, cum colluvies ſeroſa ſcrotum facit intumeſcere. Peculiaribus motibus conſenſum hunc inniti, argumento forte fuerint tuſſiculoſi, in quibus eum primario annotavit Hippocrates.

§. 19. Febris quoſdam premit, alii verò ab eâ ſunt immunes. Hydropicos verò illos ſine dubio vexat febris, quorum viſcera vel obſtructa, vel inflammata, vel alia quadam labe notabiliori, e. g. ulceribus & abſceſſibus ſunt deformia; eos enim, quorum viſcera ita ſunt conſtituta, febricitare, extra controverſiam eſt. At jam ſupra indigitavimus, ſatis eſſe ex anatome compertum, quod tali vitio viſcerum hydropici ſubinde laborent. Imo aperte conſtat, hæc viſcerum vitia ſubinde cauſam eſſe hydropis. Et ne fortè de inflammatione dubium ſuperſit, hic, etiamſi alieno loco, notare liceat, quòd Guarinon. *Conſil.* 349. teſtetur, ſæpius ſe vidiſſe *inflammationem pulmonum thoracem aqua impleviſſe.* Paralyſin brachiorum à compreſſione vaſorum ſanguiferorum potius quàm nervorum, quamvis & illi ſymbolam conferant, dependere, tanto gaudet probabilitate majori, quanto certius conſtat, ex arteriis ligatis ſubſequi impotentiam ad motum, quod & Steno & Brunnerus recte annotarunt. Et hic quidem, ut *Decur.* 3. *Ephem. ann.* 5. *&* 6. *obſ.* 293. *p.* 660. legere licet, poſtquam in cane aortæ deſcendentis truncum accurate ligaſſet, inteſtina repoſuiſſet, & abdominis vulnus aliquot ſuturis conſuiſſet, *canem* vidit *languidum & vix pedibus conſiſtentem, & mox anterioribus nixum, poſteriores vix movere potuiſſe, eoſque tandem reſolutos poſt ſe raptaviſſe.* At vero ubi abdominis nexus reſolviſſet, & filum etiam, *quo aorta conſtricta fuerat*, removiſſet, ſenſim canis ad ſe rediit, *pedibus anterioribus primo conſtitit, mox poſteriores movit, tandemque iis conſtitit, &, ut antea, inceſſit*; Unde Brunnerus dicit, ſe didiciſſe, verum eſſe experimentum, quo dicunt, motum poſteriorum pedum, ligata arteria, aboleri. Ex quibus concludere licet, multum aberaſſe Riverium *cit. lib.* 7. *Prax. c.* 5. *p.* 255. dum docet, hanc paralyſin fieri, vel *ab humore à capite in pectus delabente, cujus portio in brachium vicinum defluat*, vel *è ſero in pectore contento, & ad brachia per venas axillares exudante*, vel *à refrigeratione muſculorum intercoſtalium, à quibus ad brachia nervi derivantur*, vel *alia quavis vicinia lege abortam.* Contra nobiſcum facit Hippocrates in Coacis, quem male pro ſe allegat Riverius, dum à *vehementi inflammatione pulmonum aut pleuræ*, quæ compreſſionem vaſorum infert, ejus generis paralyſin deducit.

§. 20. Frigent exteriores partes in hydropicis noſtris, quia turbato ſanguinis circulo influxu laticis, qui omnis in corpore caloris focus eſt, orbatæ ſunt, interiora vero viſcera vehementi, ob regurgitantem ſanguinem, uruntur calore. Appetitus in illis ſalvus eſt, qui à febri ſunt immunes, nec ventriculum cruditate pituitoſa aut nidoroſâ refertum habent. Iidem ſiti quoque non anguntur, quia motus lymphæ ad glandulas in faucibus & ventriculo non prorſus eſt interceptus; contra alii hydropici, propter abruptum ferè lymphæ motum ad prædictas partes, clamoſa ſiti, quâ nullus dolor acerbius noſtrum corpus excruciat, (ut optime Pechlin. *l.* 3. *obſerv.* notat) graviſſimè premuntur. Cibus ab hydropicis noſtris paulo majori quantitate ingeſtus, concitat

citat paroxyſmum aſthmaticum, præſertim ſub finem coctionis, vel quòd repleto ventriculo, & cibis ſpumida fermentatione turgeſcentibus onuſto, diaphragmatis motus, jam ante impeditus, magis & magis ſufflaminetur, ut proinde rectè Hercul. à Saxoniâ *p.* 152. *accepto cibo anhelitus difficultates augentur, facta ſcilicet compreſſione à ventriculo repleto, circa ſeptum tranſverſum;* vel, quòd novus chylus per ductum thoracicum, ordinaria via ad thoracem delatus pulmonum compreſſionem ſua mole adaugeat. Quòd autem à ventriculo nimium cibis diſtento aſthma ſubinde oriatur, in pueris voracioribus toto die obſervare licet. Alvus etiam reſpondet, tum quòd in inteſtinis nullum hæreat vitium, eademque nec compreſſa nec inflammata ſint, nec motus periſtalticus ſit perverſus, tum, quod caput rei eſt, non plane deſtructus ſeri ac lymphæ motus exiſtat, ac ea propter excrementa non nimium exſiccentur, aut indurentur. Ubi enim res ſecus habet, fæces plus æquo duriores ſunt, nec alvus excrementa debito tempore deponit, quòd in pulmonibus & thorace ſerum, quo excrementa dilui debebant, ſtagnet. Matutino quoque tempore ſudor prorumpit, quando ſanguis arterioſus multo adhuc eſt dilutus ſero, quod, ſyſtoles ope, per laxatos tempore placidioris ſomni poros extruditur. Quodnam verò ſit fundamentum, ex quo, profluentibus urinis tenuibus & limpidis in magnâ quantitate, liceat & inſultum aſthmaticum & hydropem prædicere, non adeò in aprico eſt. Williſius *cap.* 4. *de urinis pag.* 185. cauſam in aceſcentiam ſanguinis ac ſucci ſui nervoſi rejicit. *Novi*, inquit, *quaſdam teneræ & rarioris texturæ mulieres, quæ interdum per plures dies male habentes, in copiâ ingenti (ſupra duplum liquidi aſſumpti) aquoſum & tenue ſine contentis, aut hypoſtaſi quotidie mingere ſolebant, quo tempore de virium languore, reſpiratione difficili, & impotentia ad motum conquerebantur. Suſpicor in hoc caſu, ſanguinem & ſuccum nervoſum à ſale evecto & fluorem paſſo nimis aceſcere, ideoque ut in mixtione nonnihil reſolvantur, & in ſeroſitatem nimis fundantur, habiles reddi.* Enim verò, ſi vel maxime res ita ſe haberet, ut affirmat Williſius, quamvis dubio non careat, in noſtro tamen caſu, de quo nobis ſermo eſt, admodum improbabile eſt, acorem ſanguinis, ſi vel maxime adeſſet, ſtatim aſthmaticum inſultum ac hydropem minari. Nos potius in ea verſamur ſententia, copiam urinæ tenuis & limpidæ in his, qui deinde in hydropem incidunt, ſpaſmodicam viſcerum contractionem arguere; ejuſmodi autem conſtrictio, ſi paulo frequentius contingat, obſtructionis ac hinc pullulantium malorum fœcunda ſolet eſſe mater; nec itaque adeò erit abſonum, ex ejuſmodi viſcerum ſtricturis & aſthma & hydropem ominari. Non autem neceſſe eſt, ut explicemus, cur urina, quando hydrops creſcit, parcius fluat, ſaturatioris ſit coloris, ac varia ſedimenta deponat, cum nemo ignorare poſſit, & ſeri in thoracem effuſi ac viſcerum male conſtitutorum, intenſioriſque febris indicium ejuſmodi urinam præbere. Poſt miſerias longo tempore toleratas, exeundum hydropicis noſtris è mundo eſt.

Iſti

Iſti vero tanquam ſuffocati obeunt, quibus pulmones à nimia ſeri quantitate ita comprimuntur, ut ſubitò reſpiratio omnis, cum vita, ceſſet. Hydropici autem illi convulſi aut apoplectici moriuntur, quibus ſerum, etiam in cerebrum effuſum, aut inter ejus anfractus ſenſim accumulatum eſt. Nam hoc modo his morbis, qui vitam eripiunt, fomes ſubminiſtratur. Veriſimile, quòd ſerum in cerebro ſtagnans, vel acrimonia ſua piam matrem erodat, vel copia ſua perrumpat; ac, in cerebri baſin defluens, medullam oblongatam, atque nervos ex ea ortos, ſtagnatione ſuâ corrumpat, aut acredine ſuâ continuo laceſſat, hoc autem ubi fit, non poſſunt non convulſiones, apoplexia, ac alia mala ſuccedere. Diverſitas aquarum, quæ in corporibus hydropicorum poſt mortem reperiuntur, à varia corporum & in his humorum conſtitutione, ac à mora, quâ in thorace ſtagnarunt, dependet. Et quia in antecedentibus vitia viſcerum jam tetigimus, ad therapeiam morbi inoffenſo pede accedere poſſumus.

CAPUT III.

Quo Therapeia hydropis pectoris traditur.

SUMMARIA.

§. 1. *Colluvies ſeroſa in pulmonibus & thorace congeſta primùm eſt evacuanda, & quidem per remedia externa.*
§. 2. *Quomodo per interna, & primo per purgantia.*
§. 3. *Per diuretica.*
§. 4. *Per diaphoretica.*
§. 5. *Per pectoralia.*
§. 6. *Humorum & viſcerum vitia quomodo corrigenda.*
§. 7. *Qua ratione ſymptomatibus hujus morbi occurrendum.*
§. 8. *Reſpirandi facultas quomodo curanda.*
§. 9. *Morbus hic pæne incurabilis.*

§. 1.

IN cura potiſſimum eo cogitationes omnes dirigendæ ſunt, ut 1. colluvies ſeroſa in pulmonibus & thorace congeſta quoquo modo evacuetur. 2. Omni ſtudio præcaveatur, ne nova ſubinde generetur, quod potiſſimum obtinetur, dum viſcerum vitia tolluntur, & omnis cachexiæ occaſio artis noſtræ præſidiis avertitur. Utrumque autem hoc præſtitu difficillimum eſt. Non immerito Riverius *l. c.* graviſſimum vocat affectum, qui difficillime curationem ſuſcipiat. *In iis enim*, inquit, *qui eo laborant, calor nativus admodum debilis eſt, vireſque naturales languidæ ex gravi aliquo viſcerum*

 affectu,

affectu, unde fit, ut, quamvis collectus humor remediis idoneis evacuetur, quod tamen difficillimum eſt, novus ſubinde fiat novæ materiæ affluxus, unde morbus non ſolum fovetur, ſed etiam deterior in dies evadit, ita ut tandem in hydropem aſcitem corpus incidat. Imo Rodericus à Fonſeca *p.* 376. rotunde aſſerit, *morbum hunc curari non poſſe, & ceſſare beneficium artis ac naturæ.* Et Petrus Salius Diverſus *de affect. particul. p.* 247. itidem dubitat, an *his indicationibus Medicus ſatisfacere poſſit*, nihilominus fatetur, quòd illos, quos *curandos ſuſcepit, ab hoc thoracis affectu per quædam intervalla (educta materia peccante) liberaverit & per menſes & annos, maximo tamen cum labore præſervaverit.* Præterea nec deſunt exempla curati noſtri hydropis, quæ inter notabile eſt illud Williſii, quod recenſet *l. c. p. m.* 218. & idcirco ægri non ſunt deſerendi, aut prognoſtico ſolo relinquendi, ſed potius omni ope enitendum eſt, ut utrique intentioni pro virili ſatisfiat, aut minimum ad tempus aliquod miſeris vita prorogetur. Videndum autem ſtatim ab initio, an ex fonte Chirurgico rivulus aliquis fluat, quo aqua ex thorace educi queat, Quid auxilii ex V. S. in aſcite ſperari poſſit, jam in *hiſtor. morb. Vratisl. ann.* 1699. ediſſeruimus, nec majorem ex eâ utilitatem in hydrope pectoris cuiquam pollicemur, imo damnum irreparabile potius ominamur, quod ante annos circiter ſex expertus Vir Illuſtris dignitatis, cui poſt V. S. ex conſilio Medici veterani alicujus largius adminiſtratam, brevi ad plures abeundum fuit, auctis poſt V. S. omnibus ſymptomatibus, præcipue autem difficultate reſpirationis. Prudenter Benedictus *Conſil.* 42. *p.* 184. *de ſanguinis*, inquit, *miſſione haud loquendum, cum nullo pacto videatur convenire tum ob frigidos humores tum ob viſcerum atoniam.* Paracenteſin alii commendant, alii vero damnant. Hos inter eſt Riverius, qui *pag.* 256. *apertionem lateris, quia in uſum revocatam non vidimus, neque felicem illius ſucceſſum apud ullum autorem legimus, probare abſolute non poſſumus.* H. I. Petrus Salius Diverſus *l. c.* ait, ſectionem pectoris ſe non auſum facere, nec etiam in aliis faciendam laudare, quòd *hujus morbi ſanatio non tam materiæ præſentis pulmonemque obſtruentis & replentis remotionem, ſed etiam ejuſdem regenerationis prohibitionem indicet.* Sectio autem *primæ tantum indicationi, non ſecundæ ſatisfacere poſſit*, atque hinc concludit, paracenteſin ſufficiens hujus morbi remedium eſſe non poſſe. Quod, ut nos quidem opinamur, in quæſtione non eſt. Nam de eo tantum diſputatur, utrum paracenteſis locum habeat in hydrope pectoris, licet ſponte concedatur, quòd non ſit remedium ſufficiens. Nec ex hoc capite paracenteſis prorſus rejicienda erat à Diverſo, cum nec evacuantia ſint in morbo hoc ſufficiens remedium, quibus tamen multum tribuit Doctiſſimus noſter Salius. Majoris ponderis eſt argumentum, quod alii urgent: Nempe ſubinde aquam contineri non ſolum in thorace, ſed etiam in pulmonibus, eam autem, quæ in pulmonibus continetur, per ſectionem thoracis non poſſe evacuari, eſt in propatulo. Illud ſane tanti apud nos eſt momenti, ut ipſimet agnoſcamus, niſi ex indubitatis ſignis conſtet, aquam in thoracis cavitate fluctuare, ad ſectionem non

eſſe

eſſe deveniendum. Sed ſi id compertum ſit, quòd ea (prudenter inſtituta) locum habere poſſit, alii minime dubitant, ex quorum numero ſunt Hippocrates, aut quicunque Auctor eſt *lib. de morbis*, Sylvius, Williſius & alii. Ac Sylvius quidem *lib.* 1. *prax. c.* 50. *p.* 316. *ſi*, inquit, *de thoracis hydrope ſatis conſtet, non video, cur non liceat per acum argenteam cavam in thorace innoxiam inſtituere paracenteſin, ex tali nempe vulnere parvo nihil periculi imminet ægro.* Quod tamen non credit doctiſſimus Horn, qui in Microtechne monet, eam non plane periculo vacare. At tum demum apertionem thoracis decernendam eſſe recte monet, quando medicamentis nihil efficitur. Willis cum Lowero etiam feliciter eandem celebravit in adoleſcente ſano, ut legere licet *p.* 216. quæ hiſtoria cum aperte doceat, quomodo inſtituenda ſit paracenteſis, hic omnino inſerenda videtur: Ita vero habet: *Poſt factam totius proviſionem Chirurgus inter ſextam & ſeptimam vertebram cauterium applicuit, & poſtridiè foramini in pectoris cavitatem ſecto canalem indidit, quo facto ſtatim liquor craſſus ac inſtar chyli albeſcens & quaſi lacteus effluebat. Hujus primâ vice tantum ſex circiter unciæ detrahebantur, & poſtridiè tantundem. Die tertio cum paulò major quantitas exire permitteretur, magno ſtatim languore affectus, & deinde febricitans per diem unum aut alterum male habuit: Quapropter donec temperiem & vires recuperaret, materiæ iſtius exitum inhibere viſum eſt: poſtea verò ejuſdem evacuatione tantum parcâ quotidie facta, pectoris cavitas fere in totum inaniebatur. Adhuc vero canalem cum epiſtomio in foramine gerit, quo ſemel nycthemeri ſpatio aperto humoris uſque tantillum emanet: interim ſtomacho, vultu & viribus valens foras obambulat, equitat &c. Pharmacia haud multa uſus eſt aut opus habuit. Poſt ſectionem cordioca temperate, quandoque hypnotica & poſtea decoctum traumaticum bis quotidiè ſumendum illi injunximus.* Hæc Willis. Nobis vero etiam non monentibus diluceſcit, quòd in ſectione hâc thoracis eædem obſervandæ ſint cautelæ, quæ in paracenteſi in aſcite præſcribuntur, de quibus & nos aliqua diximus in hiſtoria & uberius diſſerunt Heurnius in *lib.* 6. *aphoriſm.* 27. *n.* 3. Capivac. *Pract. l.* 3. *c.* 19. Mercatus, Rudius, Hollerius ac Scholzius noſter *aphoriſm.* 1128. *& ſeqq.* Quantum ad encheireſin, omnia ſatis accurate perſecutus eſt exercitatiſſimus Chirurgus Cornelius Solingen *in den Handgriffen der Wund-Artzney part.* 2. *c.* 1. *p.* 175. *& ſeqq.* Sed quid de fonticulis & veſicatoriis dicendum, an & illis ſerum in cavitate ſtagnans evacuari poterit? Non obſcure probant Mercatus & Rudius. Uſum veſicatoriorum, tum in affectibus dolorificis diuturnioribus, e. g. in doloribus capitis pertinacibus, hemicraniâ, odontalgiâ, in arthritide nondum inveterata, tum in periculoſioribus ſymptomatibus acutorum morborum, convulſionibus, deliriis, exanthematibus retrocedentibus, ſæpe vidimus ſatis inſignem, ſi prudenter applicentur; at hic prorſus non aſſequimur, quid ad ſummam rei conferre poſſint, niſi fortean quiſpiam ſibi perſuadeat, quòd ſeroſo-lymphaticus humor à pectore his averti & ad partes exteriores derivari queat. Segnius adhuc auxilium à fonticulis exſpectandum eſt, qui in affectibus ſæpe recrudeſ-

crudeſcentibus, e. g. ophthalmicis, lippitudinibus, viſus & auditus difficultate *&c.* poſt intervallum aliquot ſeptimanarum, utilitate egregiâ alias ſe commendant. Neque ſetaceum, quod cum effectu in vehementioribus catarrhalibus affectibus circa caput jam quadantenus aſſuefactis aliquoties adhibuimus, ab effectu evacuandi effuſam in cavitatem thoracis colluviem ſeroſam ullo modo laudare poſſumus. Quando hydrops creſcit eundo pedeſque intumeſcunt, ſcarificatio utique locum habet. Adhibuit eam Collega noſter D. Helwich aliquoties, ac in illo etiam Religioſo S. J. de quo *cap.* 1. mentionem fecimus. In ſiniſtro pede inſtituta & per aliquot dies repetita ſcarificatione, incredibile eſt, quantum ſeroſi humoris per aliquot ſeptimanas effluxerit; ſed in dextro pede negotium non è voto ſuccedebat, fortaſſis, quòd cutis ibidem craſſior ac pinguedo copioſior eſſet, donec ſcarificationem κατὰ συῤῥμὸν in ſubſidium vocaret, ubi multum aquæ, ſed ſine ægri ſublevamine profluxit. Dedit interea diligentem operam, ne, cujus periculum aliquoties erat, gangræna aut ſphacelus ſuccederet, id quod haud raro contingit, ut Ludov. Septalius *animad. lib.* 7. *n.* 56. recte obſervat. Sed præterea, ubi operæ aliquando pretium per inciſiones ejuſmodi fieri debet, humorem ſatis fluidum eſſe neceſſe eſt, nam ubi nimis eſt gelatinoſus, fruſtra fit ſectio. Scimus ſcarificationes has non ab omnibus probari, ſed frivolum eſſe putamus contra experientiam litigare, cum à temporibus Hippocratis à Medicis multoties ita factitatum cum ſalutari effectu legamus. Apud Ægyptios ejuſmodi operatio valde celebris eſt, & merentur etiam hic legi verba P. Alpini *lib.* 3. *de Medic. Ægyptior. c.* 13. *p.* 162. *Curant*, ait, *non raro hydropicos ſectione, aquam educentes, quorum varii varias ſectiones ad id celebrant: alii ſiquidem ſub umbilico per* 3. *digitos verſus partem, à quâ hydrops ortum duxit, terna vulnera infligunt. Atque alii parvis ſcarificationibus ventrem tumidum ſcarificant, per quas aqua paulatim exit. Alii vero tutique ſupra vel infra pedum claviculam intus extúſque binas adigunt ſectiones, per quas commodè ſenſimque ac ſenſim aqua educitur. Quo ſane modo ſectionis aliquos ab hydrope effatu digno ſanatos obſervavi.* H. I. Docet vero ibidem Guilandinus *pag. ſeq. antiquis medicis id auxilii genus fuiſſe notiſſimum, non modo ad duas hydropis differentias, verum etiam ad hernias aquoſas & ad omnes aqueos tumores.* Porrò cenſemus etiam ſcroti in tumorem adacti perforationem cum ægrotantium commodo inſtitui, ſicuti nuper in Illuſtri Viro D. Helwich fuit expertus, & in molitore D. Graſſius. Nam effluit in notabili quantitate, & licet brevi iterum intumeſcat, ſicuti in utroque contigit, tamen facile iterum evacuatur, modo apertum ſervetur vulnus, quod tamen juſto tempore injectis vulnerariis & balſamicis decoctis facile ſanatur, nam non tantum humor evanuit, ſed & aſthma, quo miſere antea angebatur, ad tempus remiſit. Inter externa Medicus Anglus Nickholſon varia pro evacuanda ex corpore aqua Sereniſſ. Regi Angliæ Wilhelmo III. ſuaſit, nimirum ut refert G. Bidloo *im Bericht von der letzten Kranckheit und Tode* Wilhelmi III. *p.* 104. hanc evacuationem obtineri poſſe putavit

(1) *Durch friſche Haber Grütze, Sand, Saltz und dieſes alles trocken und warm.*

(2) *Durch Käſtgen, die man mit ſich führen kan, von Erde, oder einer Berg-Materie gemacht.*

(3) *Durch Räuchwerck von Pflantzen, Holtz*, Mineralien, *und andern ſprituöſen Dingen* componiert.

(4) *Durch den Rauch, welchen man über einem Loche in der Erden, in welchem Feuer gemachet, afffænget.*

(5) *Durch Maltz, nemlich wann das Bier darvon abgeſchöpffet, item durch Kräuter, Holtz des Lebens, allerley Pulver und* Liquores, *welches durch kochen bereitet wird.* Et addit: *Dieſes alles kan man ſicher gebrauchen.*

§. 2. Verùm ab externis progrediendum ad interna. Ex his primo loco meritò nominanda ſunt purgantia, quæ omnes Practici uno ore in hoc noſtro affectu laudant, quamvis alii hæc, alii verò alia adhibenda eſſe contendant. Nam & hic voto non vivitur uno. Doctiſſimus Martianus eligit *mannam*, quam ſeroſitates in pectore ſtagnantes exturbare credit. Petrus Salius Diverſus duo proponit, quæ ſibi infeliciſſimo uſu fuiſſe prædicat; Alterum eſt *elaterium*, alterum eſt *ſuccus ſambuci radicum*, hunc ad unciam & ſemis, illud ad quatuor grana ad ſummum exhibuit. Roderico à Fonſeca *p.* 377. *elaterium periculoſum eſt medicamentum, & ideo ab eo abſtinendum judicat.* Ipſe vero duo proponit medicamenta, quæ ad expurgandas aquas longe judicat eſſe præſtantiora, ex Fernel. *lib.* 7. *de methodo medendi*, at præterea laudat ad evacuandum ſerum, *ſemina ebuli* ad ℥iß cum *ſaccharo & cinamomo.* Riverius *p.* 256. inter hydragoga ea, quæ ex mineralibus deſumuntur, in hoc affectu maxime convenire arbitratur ☿ium *vitæ*, ita correctum, ut per inferiora tantum evacuet. Hydromel purgans Williſii ex purgantibus ingrediuntur ſemen carthami, ebuli, folia ſenn. agaricus, mechoacanna, turbith. Pilulæ vero illius conſtant ex ☿io & reſina gialapii. Ab inſigni effectu laudat electuarium hydragogum D. Sylvii, quod *lib.* 1. *Prax. c.* 7. *p.* 170. deſcribit D. Helwich; ſed hoc ipſum nunquam hactenus exhibuit præſente febri, tum enim omnia draſtica & vehementiora evacuantia procul eſſe debere arbitratur: cum nihilominus ex re ægrorum ſit, ut alvus ſit aperta, lenientibus ſolis hactenus uſus eſt, & interea inſigni mactat encomio electuarium lenitivum Burrhi, quod & grati eſt ſaporis, & blandiſſime ſine ullis turbis, ac intenſione febris lubricando aperit, cui tamen ob varias cauſas præferre non dubitat aliud medicamentum, quod ſub nomine *balſami perpetui* ipſi innotuit, ac inſigni viſcera deoppilandi, eademque à putrilagine conſervandi virtute pollet, quas dotes evidentius, ut aliquoties eſt expertus, exerit in illis, quibus potus ordinarius cereviſia eſt. Tinctura ſacra Liſteri ex *hierâ picra & cochinillâ*, cujus meminit in conſilio pro Sereniſſimo Rege Wilhelmo, etiam inter ſelectiora me-

 di-

(1) Recenti farina avenacea, arena, ſale, iiſque ſiccis & calidis.
(2) Capſulis portatilibus e terrâ aut alio minerali confectis.
(3) Fumigatione plantarum, lignorum, mineralium aliorumque ſpirituoſorum.
(4) Fumo recepto per foramen in terra, ex igne ibi accenſo.
(5) Hordeo toſto, poſt cereviſiam exhauſtam. Item: Herbis, Ligno vitæ, variis pulveribus liquoribusque coctione parandis. *Et addit.* Hæc omnia poſſe ſecurè adhiberi.

dicamenta referri meretur. Pilulæ autem ejuſdem ex confectione Hieræ Picr. ℈j, Extr. Rud. gr. iiij. ſucc. glyzyrrhizæ, aqua roſarum ſolut. ℈j. pro doſi nimia mole & ſapore nauſeabundæ ſunt. Cæterum prudenter monuit Sennertus noſter *lib. 2. part. 2. cap. 20, Medic. Pract. educendam eſſe materiam paulatim & medicamenta purgantia repetenda eſſe.* Nam ſi ἀθρόως aqua in hydropicis univerſim effluxerit, πάντως ἀπόλλυνται *omninò moriuntur*, ut ait Hippocrates *aphoriſm.* 27. *ſect.* 6. Et ſi hoc fortaſſis non eveniat, id tamen, ſi *validius purgans exhibeatur*, certò conſequitur, quæ Riverii eſt obſervatio, *ut humores valide exagitentur, unde ſuffocatio ingens ægrotanti contingit, quæ illum ſubito de medio tollit. Ideo*, inquit, *caute agendum eſt, & in minori doſi atque iteratis vicibus, medicamenta exhibenda ſunt, eaque cum potentioribus aperientibus ac diureticis miſcenda, ut ſimul viæ aperiantur, & ſeroſæ materiæ portio ad urinæ vias deducatur.*

§. 3. Purgantia in cura hydropis pectoris excipiunt *Diuretica.* Ab hisININglorioſiſſimus Imperator Maximilianus II. plurimum commodi ſenſit, qui, cum pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad annos 20 laboraſſet, uno interdum die ad ſex libras aquæ minxit, cumque motus ille materiæ impeditus eſſet, ſuffocatus eſt, ut refert ex Cratone Sennertus *l. c.* Sed quæſtio eſt, quænam diuretica hic potiſſimum locum habeant. Si locum affectum, ut par eſt, conſideremus, jure ambigas, an ea, quæ ſalſedinem ſeri augent, ac eo ipſo majorem materiæ, quâ natura ad relaxationem renum ſtimulatur, quantitatem ſuppeditant, id eſt, ſalina hic prudenter præſcribantur, cujuſcunque etiam generis ſint, ſive *temperata acida*, e. g. ⌒ ♃tri, ⊖lis; ſive *alcalica* & ea rurſus *volatilia præcipue oleaginoſa*, e. g. ⌒. ebor., tartari; vel *fixa*, e. g. ⊖. geniſtæ &c. ſive tandem *media*, e. g. tartar. ⏀latus ⏀. regeneratum, ⊖. digeſtivum Sylvii &c. quod notorium ſit, quanto cum damno iis, quorum pulmones minus recte conſtituti ſunt, ſicuti & in hydopicis noſtris contingit, exhibeantur. In uſum itaque potiſſimum ea erunt vocanda, quæ mucoſitatem humorum reſolvunt, ut tanto facilius tenuior ſeri pars ſecedere queat, ex quâ claſſe ſunt acria pinguia, gummi-reſinæ, radix item vincetoxici, pimpinell. apii, petroſelini, raphan., calam., & omnis generis plantæ antiſcorbuticæ, ex quarum nonnullis aqua ad hydropem pectoris Döringii noſtri elicitur, ut ex deſcriptione ejus apud Sennertum patet. Vegetabilibus etiam originem debet ▽. diuretica D. Willis. Præ reliquis placet Terebinthina Julio Cæſari Benedicto in *Conſ.* 43. *p.* 189. *Terebinthina*, inquit, *à me millies in affectibus pectoris comprobata.* Nuper apud nos famam etiam conſecutum eſt ſal quoddam volatile ✳cale, quod virtutes omnes à 9. ✳co mutuatur. Nonnullis arrident ex inſectis præparata, unde antiqua traditio à temporibus Archigenis ad noſtra uſque tempora, de *virtute millepedum ſeu aſellorum*, quacunque tandem virtute agant, propagata. Pilulæ D. Willis ex omnibus hiſce ultimorum diureticorum generibus conflatæ ſunt, conſtant enim ex millepedibus, flor. ſulphuris benzoin., pulv., ſeminis dauci, bardan. terebinth. venetâ. Pompejus Saccus in *medicin. theoret. practic. Conſult.* 27. *p.* 109. commendat ſeqq.

℞.

℞. pulv. milleped. ppt. ℈ij.
  🜔. ſuccin. gr. vj.
  fl. ✱c. gr. vij.
  🜔 tartar. gr.

cum decocto pectorali & diuretico Williſii. Sed Liſterus hic planè in diverſa abit in Conſilio pro Rege Wilhelmo, in quo, ut notum eſt, hydrops pectoris à Medicis metuebatur, nam omnia diuretica vehementiora vehementer diſſuadet, tum quod *nimis acria & corroſiva ſint*, tum quod *ſitim accendant*, quæ in morbo noſtro patientes valde affligit, tum quod *pulmones nimis calefaciant*. Verum hic in genere quidem determinari nequit, qualia ſemper adhibenda ſint diuretica, ſed prudens circumſtantiarum penſitatio facile oſtendet, quæ in uſum vocari queant, & quænam ægro noxia eſſe poſſint. Cum febris complicata eſt cum hydrope, efficaciora diuretica procul ſunto. Nos in eo caſu lap. percar., oc. 69. crudos, tartarum etiam crudum, 🜕. depuratum, emulſiones ex ſem. violar. &c. adhibuimus. Quoniam etiam non raro nephritici inſultus hydropicam afflictionem augent, etiam in hoc caſu prudentia opus eſt; nos tum fere, quando præſertim ſtranguria adeſt, aliquot guttas opobalſami veri cum pulveriſato ſaccharo exhibuimus. Eſt etiam ſuus lapidi lyncis, Judaico &c. locus. Ubi vero nulla concurrit febris, tempore verno in corporibus robuſtioribus ſuccum betulæ cereviſiæ confermentatum, prout in Angliâ & alibi fit, non diſſuademus. Succus etiam raphani ad aliquot uncias aſſumptus urinæ largiorem fluxum provocat. Fraga & baccæ alkekengi cum debiliori ſpiritu vini infuſa, ſi in debita quantitate, ad unciam unam puta, accipiantur, ſatis urinam cient. Præcellentem vero effectum eſſentiæ gummatis ammoniaci & ſeri lactis caprilli præterito hujus anni vere in Fœmina quadam illuſtriſſ. expertus eſt D. Preuſs, cum aucta hinc notabiliter diureſi & euphoriâ in Hydrope Pectoris & Pedum, qui uterque una cum ſymptomatibus concomitantibus t. t. egregie hinc ceſſavit ac diſparuit. Verum his ac aliis pro varietate circumſtantiarum nos tum demum recte uti poſſe cenſemus, quando urina tenuior eſt, & parce fluit. Neque tamen hic cum impetu res agenda eſt, ſed moderato & continuato uſu opus eſt, præmiſſis & interpoſitis laxantibus, ſine quibus uſus diureticorum nunquam tutus eſt. Imo etiam neceſſarium eſt, ut crudioribus & craſſioribus recrementis, maſſa humorum ante ſit defæcata, ne forte per diuretica hæc inquinamenta ad renes præcipitentur, poris per diuretica dilatatis impingantur, unde non niſi renum obſtructio, urinæ ſuppreſſio, & alia mala conſequi poſſunt. Cæterum aliquoties meminimus nos vidiſſe, quòd diuretica imprudenter uſurpata, non tantum magnos in humoribus tumultus excitaverint, ſed & aſthma cum periculo ſuffocationis intenderint.

§. 4. Porro conducunt hydropicis noſtris etiam diaphoretica (quoniam corpora eorum recrementis ſeroſo-vaporoſis abundant) & quidem tanto magis

gis, quando habitus exterior perſpirabilis eſt, ac natura ipſa, quod nonnunquam fit, ad ſudores inclinat, dum nimirum ægri in ætate vegetiori adhuc ſunt conſtituti. Accedit & hoc, quòd ſanguini, qui in his viſcidus eſt, fluxilitatem & attenuationem concilient, ac tenacitatem lymphæ disjiciant, ac obſtructiones reſerent. Multum his remediis confidit Sylvius, ex immenſo autem eorum numero ſeligit aquas theriacales plures c. ♁. paratas, decocta ex lignis guajaco, juniperino, ſaſſafras, è rad. Imperator. chinæ, ſarſaparill. petaſitid. &c. foliis ſcordii, card. b. card. mar., ſcabioſa, taraxac., fl. papav. errat., ſambuc. chamomill. ſem. milii, card. b. parata; imò in ea ſententia verſatur, *quòd vaſa lymphatica rupta, poſtquam obſtructione fuerint medicamentis laudatis liberata, ſponte conſolidentur, ſicut obſervavimus evenire in vaſis ſanguineis, cum glutinandi vi præditum ſit cujusvis partis alimentum proprium, quippe plus minus tenax & glutinoſum.* Decoctum chin. c. aliqua portione L. ſaſſafras commendat Benedictus *Conſ.* 42. *p.* 184. etiam hoc nomine, quòd *viſceribus tonum reſtituat.* Et hinc pro potu ordinario ſumi vult ſeq. Bochetum Williſius *p. m.* 218. ℞. rad. ſarſapar. ℥vj. chin. ℥iiij. C. ſantal. alb. citrin. aa. ʒvj. raſur. eboris, c. c. aa. ʒiij. rad. calam. aromat. ℥ß. paſſul. exacinat. ℔ß. rad. liquirit. ʒiij. ſecundum artem infund. & coqu. in ▽. font. ℔. xij. ad VI. F. colat. Admiſcet alia adhuc ejus generis decoctis, ſc. fumar. eupator., card. b., rad. ari, hirundinar. Valerian. *&c.* D. Saccus *l. c. Conſult.* 28. *p.* 113. At in exhibendis tamen ſudoriferis his caute procedendum, propter reſpirationis difficultatem, *propter quam difficulter ſudorifera adhiberi poſſe* cenſet Fonſeca *l. c. p.* 378. Hæc & alia ejus generis præcipuè tum habent locum, ubi, quod fieri ſolet, in cute pruritus, aut etiam excoriationes aliquæ adſunt, quo in caſu recte, ex multorum etiam opinione adhibentur ſerpentum & viperarum oſſicula, aut integra etiam (ſeparata cute) corpora, abjectis, præter hepar, interaneis omnibus. Quando febris cum hydrope complicatur, præ reliquis medicamentorum generibus ſudorifera, prudenter ſelecta, & iteratis vicibus exhibita, uſum habent, eumque inſignem. Soliti ſumus hactenus, ſub his circumſtantiis, exhibere ex Rob. ſambuc., ebul. c. lap. 69. ⊖. card. b. & ſyrupo quodam, extemporaneo labore commixtum, electuarium horis matutinis, quod eo potiſſimum tempore, natura, coctione finitâ, ſecretioni recrementorum, & rerum noxiarum eliminationi ex corpore vacet; ſemper vero etiam una intenti fuimus in moderationem ſudoris (qui alias non facile in noſtro morbo ſuccedit) dantes operam, ne ſuffocationis periculum creetur, aut vires nimium dejiciantur, id quod præcavebitur, exhibitis, fluente ſudore, analepticis ſubacidis, ſi ſc. tuſſis abſit. Tanto autem minus virium eſt metuendum diſpendium, quando ſudorem ſequitur placidus ſomnus, aut corporis aliqua quies, animique, quod tamen raro fit, tranquillitas. Obſervatum autem eſt multoties à nobis, ſudores hydropicorum noſtrorum fere particulares ſolum eſſe; & in pectore ac capite eos ſæpè, in artubus autem valde raro prorumpere. Non diffitendum tamen eſt, quod diaphoretica hæc ad aquam è cavitate pectoris evacuandam ſint invalida, & hinc in antiquioribus

bus Medicis vix pro hoc fine commendata legas. Certè Hippocrates tantùm in febb. eadem laudat, ut Cl. Clerc. *l.* 3. *p.* 1. *c.* 21. obſervavit, & propterea magis inter ea medicamenta, quæ occaſionem generando hydropi præripiunt, numerari debent.

§. 5. Sed nunquid & pectoralia in hydrope thoracis locum habent? Commendant ea multi, & inter eos Doctiſſ. Vir Chriſt. Joh. Langius Lipſienſis. Et ſane ſi pulmones ſero glutinoſo diſtendantur & intumeſcant, fortaſſis prudenter adhibita pectoralia non nocebunt. Sed difficulter certe aſſequaris, quomodo efficaciam ſuam exerere poſſint, ſi in cavitate pectoris aqua fluctuet, niſi credere velis, pulmones in ſuperficie *eſſe perforatos inſtar ſpongiæ & abſorbere aquam, eamque ad arteriam aſperam ablegare ad exſpuendum, accedente inter tuſſiendum valido diaphragmatis motu, à quo verſus ſuperiora cum impetu propellantur, quæcunque ſibi moleſta ſentit natura.* Laudantur autem hic eadem, quæ in thoracis empyemate præſcribi conſueverunt, e. g. ſcabioſa, tuſſilago, hyſſopus, veronica, marrubium album, pulmonaria, betonica, capill. ♀. &c. Ut autem recte hæc adhibere poſſis, neceſſe eſt, ut adſit tuſſis, nam niſi natura tuſſi indice ſatagat eliminare per pulmones materiam in thorace contentam, fruſtra omnino becchica à nobis præſcribuntur, & hactenus in pæſcribendis expectorantibus in hoc affectu non fuimus nimii, eam foventes opinionem, illa non habere locum; niſi ubi manifeſta adſunt indicia, quòd *mucoſa materia circa bronchia & arteriam aſperam hæreat;* neque, vel in hoc caſu, cenſemus illorum uſui diu circumſpectum practicum inhærere poſſe, quòd expectorantia non tantum mucoſam in pulmonibus materiam eliminent, ſed ejuſmodi materiæ uberiorem ad pulmones affluxum concitent, & eo fere, quantum ad hoc, ritu operentur, quo purgantia, quæ non tantum recrementa ex inteſtinis evacuant, ſed & ex maſſa humorum fæces ad eadem propellunt. Si qua ergo ſeſe offerat occaſio ordinandi expectorantia, non prævaricabitur Practicus, ſi & diſcutientia, ac cathartica leniora interpoſuerit, nec nimis continuato becchicorum uſu viſcoſitates uberius ad pectus propulerit. Non eſt neceſſe, ut ex Hippocrat. *l.* 2. *de morb. & libr. de intern. affect.* prolixe modum deſcribamus, quo in empyemate pulmonis purgare eſt annifus, quia breviter eum delineat Clerckius *part.* 1. *lib.* 3. *c.* 17. & hoc de illo fert judicium: *Les Medecins des ſiecles ſuivans ne l'ont plus pratiqué; ſoit qu'il n'y ait pas eu des malades qui l'ayent voulu ſouffrir, ſoit qu'on l'ait jugé inutile ou impraticable.*

§. 6. Si hiſce, de quibus hactenus locuti ſumus, remediorum generibus, obtenta fuerit materiæ peccantis evacuatio, cura convertenda erit eo, ut humorum vitia & viſcerum inflammationes, obſtructiones, ſcirrhi, quantum fieri poteſt, emendentur & corrigantur. Correctioni humorum potiſſimum dicata ſunt abſinthium, mentha, cent. min., cochlear., fumar., naſturt., card. b. rad. pimpinell. ſcorzoner. rad., ari, helenii, vincetox. acori calami aromat., curcum. raphan., zingib. bacc. juniper. & ex his varia arte pharmaceutica debite præparata. Merentur etiam eximiam laudem ſalia fixa,

& inter ea arcanum duplic. M., niſi evidentia læſorum pulmonum adſint indicia, effectum laudabilem exerit, quando urina eſt pallida. Arcano huic; quantum ad vires, par eſt tartar. vitriol. Eximium quoque habet uſum ipſum ⊕. depuratum, ⊖. abſinth. egregium eſt medicamentum in hydrope, poſt febres debite continuatum. In corrigenda lymphæ viſciditate & hinc ortis variis malis ☿. d. rite præparatis facile aliis palmam præripuerit. Eadem etiam medicamenta viſceribus obſtructis deoppilandis inſerviunt, & quidem acriora phlegmaticis, temperatiora ſanguineis & cholericis. Medicamenta autem ex animalibus parata (e. g. pulmones vulpis, aut hepar lupi, vitulorum, anſerum, gallinarum *&c.* quæ ſingulariter pulmonibus, hepati *&c.* convenire creduntur, & quædam ex iis à Medicis ipſis extolluntur, e. g. Hepata ab Heinrico à Bra in *lib. de medicam. ſimpl. ad hydrop. p.* 90. Jacob de Dondis Patavino in *Promptuar. Med. tract.* 3. *p.* 83. *& ſeqq.* Julio Cæſare Claudino, Schrœdero *&c.*) omni virtute caſſa ſunt. Nec, ut obiter hoc dicamus, experientia confirmavit virtutes, quæ bufonibus à recentioribus æque ac antiquis in hydropicis affectibus tribuuntur. Hic potius uſum pilularum ex extractis ſelectioribus reliquis remediis anteponimus, præprimis in ſequioris ſexus cachexiâ cum viſcerum obſtructionibus conjuncta. At in exareſcentia & ſiccitate viſcerum quid faciendum ſit, non facile quiſquam definiverit. Humectantia indicari certum eſt, at nec minus exploratum, neminem fortaſſis illis ipſis unquam fuiſſe verè ſublevatum. Ingere, quantum libet, potiunculas ex ▽. lactuc. portulac. malv. borrag. bugloſſ. endiv. ſyrup. violar., pomor. redolent., jujubin. glyzyrrh. non majorem inde videbis utilitatem, quam ex alimentis humectantibus, e. g. bradiis carnium, oleribus, lactucis, ſpinachiis, endiv. rapis dulcioribus, pomis, prunis, uvis paſſis coctis *&c.* quæ medicamentoſis illis longe præferimus. Cura Sydenhamii in hectica per equitationem, vecturam, deambulationem huc trahi poteſt, & quidem tanto magis, ſi accedat tuſſis ſicca & vehemens. Sperant aliqui eximium uſum ex ſapone Veneto, & hanc raſuram cum lacte, alio etiam tempore cum vino coctum, ad imitationem Clariſſ. Viri Roſini Lentilii in *miſcell. medic. Pract. part.* 1. *p.* 3. 104. 176. ejuſmodi ægris exhibuimus, at verò id plerumque feciſſe nos cum exiguo effectu probe recordamur. Propterea jam ab aliquo tempore ab ejus uſu abſtinuimus, ac aliquas in hoc caſu herbas, maxime autem flores bellidis minor. contundi & juſculis carnium admiſceri juſſimus, quem modum fuiſſe Wepfero familiarem didicimus ex hujus epiſtola ad Clariſſ. Harderum in *Apiar. p.* 198.

§. 7. His ita conſtitutis, ediſſerendum, quomodo urgentioribus morbi noſtri ſymptomatibus occurrendum ſit, febri inquimus, & difficultati reſpirationis, ſive metui ſuffocationis. Complicatæ febri prælaudatus Saccus quomodo occurrere annifus fuerit, diſcimus ex *Conſult.* 27. *p.* 109. *Ad primam indicationem adimplendam* (febrilem ſc. efferveſcentiam mitigandam) *præſtant febrifuga, unde laudarem pulverem corticis Peruviani, more Gallico, exhibitum; quod ſi ab hoc febris non tolleretur, extractum parandum ex eodem cortice, rad.*

gentian.

gentian., cent. m. & chamomill. & à capite mortuo reſiduo incinerato extrahendum ⊖., *addendum poſtea iiſdem extractis & de hoc exhibendum ante paroxyſmum per duas horas ad* ʒj. *cum* ℈ß. ♁. *d. c.* ▽. *febrifuga Querc. vel Mynſ. febre in augmento exiſtente diaſcord. Fr. c.* ▽. *plantag. & acetoſæ exhibendum, ut efferveſcentia febrilis moderetur, tempore minoris afflictionis, in quo alterantia & præparantia exhiberi ſolent, deobſtruentia ſubminiſtranda, quæ urinam etiam movere ſolent, ut:* ℞. ⊖ tartar. vitriolat. ℈j. *croc.* ♂. *aperit.* ℈ß. ♁*d. gr. xv.* ♀. *millep. pp.* ℈j. *ſuperbibendo decoct. rad. fœnicul., pentaphyll. graminis, ireos, chærefol. c. gtt. x.* ∽. ⦶*tri, omni tertio die leniter purgandum corpus cum caſſia; ſic enim & febrili materiæ occurremus, & aquam evacuabimus, ut reliqua poſſit abſorberi à vaſis lymphaticis &c.* Hæc ibi Saccus. Sed ſi abſque fuco animi noſtri ſenſa exprimere nobis fraudi non fuerit, libere fatebimur, hanc curam nobis non probari. Corticis Peruviani, qui eximiá virtute adſtringendi pollet, uſum hic ſummoperè noxium eſſe arbitramur, & eo adhibito, febrim ejus commatis, de quo nobis ſermo eſt, fieri intenſiorem, varia experientia edocti ſcimus. Et quantum noxæ adferat in febribus veris intermittentibus, quorum antidotus ſano ſenſu vocari poteſt, ſi intempeſtive adhibeatur, omnis dies docet. Et, ſi res ex voto cedat, recidiva tamen metuenda erit, quoties ſub primo ſtatim initio febris cortice hoc febrifugo ſupprimitur. Nam hoc pacto febris *ſine ratione ſine bonis ſignis finitur*, & quæ ita finita eſt, fere *revertitur*, ut Celſus recte docet *l.* 2. *c.* 7. ſecutus Hippocratem in prænotion.: *Quibus febres ceſſant, neque apparentibus ſolutionis ſignis; neque diebus judicatoriis, iis recidiva expectanda eſt.* Verum hic non eſt locus de abuſu hujus medicamenti noxio odioſam ingredi diſputationem. Nec erimus cuiquam Auctores, ut Diaſcord. Fr., nobile alias in contagioſis morbis medicamentum, empirico uſu profanet, nam & propter adſtringentia & opium, quæ ejus compoſitionem ingrediuntur, tuto hic adhiberi non poteſt. Nos, perpendentes febres haſce potiſſimum inde oriri, quòd circa viſcera adſit præternaturalis diſpoſitio, e. g. *infarctus, tubercula, ſcirrhi, indurationes latiores &c.* quibus ſanguini liber progreſſus denegatur, non alio modo, quam hecticas tractandas eſſe, hactenus credidimus, & vix alia, quam deobſtruentia, incidentia & reſolventia adhibuimus. Id placet in Conſult. Sacci, quòd diureticam methodum commendet, à quâ, quod non obtinetur, alia vix ac ne vix aſſequeris, quanquam acria diuretica longe hinc proſcribenda ſint. Si paulo impetuoſior ac vehementior ſit hæc febris complicata, magnæ inflammationis præſentiam arguit, & præpropere utplurimum ſolet funeſtum ſuum abſolvere ſtadium. Quando præſentia ſunt ulcerationis internæ ſigna, an decoctum Guajaci, quod Freitagius tantopere commendat in hectica febri, adhiberi poſſit, dudum deliberavimus. In humidioribus temperamentis periculum fieri poſſet, ut & in illis ſubjectis, quæ quondam venereis inquinamentis fuere infecta. In ultimis hiſce, etiam ſumme tabidis, tantum præſtat, quantum vix quiſque crediderit, niſi expertus, modo juxta methodum Arcæi iſtud & præparetur & adhibeatur.

§. 8. Omnium autem maxime diſquiritur, quid Medico agendum ſit,

quando reſpirandi difficultas ita increbeſcit, ut ſuffocationis metus & periculum præſentiſſimum ſit, quando ægri & circumſtantes trepidant, ac ille in limine mortis, ut ex pallore vultus, frequentia & intermiſſione pulſus, extremis frigidis *&c.* concludi poteſt, eſt conſtitutus. Segnia medicamenta reſpuit hic affectus; ac propterea, ſine dubio, volatilia fuerint adhibenda. Nos, cum toties animadverterimus, aliquid convulſivi ſimul concurrere, elegimus ea remedia, quæ utrique affectui conveniunt, & una fidelia duos dealbavimus parietes. Proſtat in noſtris officinis ſpiritus ſub nomine *Bezoard. D. Buſſii*, quem ægros ſublevaſſe meminimus, ſi ſingulis horis 40. guttæ propinentur. Certavimus ſubinde etiam potiunculis antiſpaſmodicis, carminativis, diureticis, & ita cum fructu aliquando exhibuimus potionem ex ▽. fl. til. pœon. petroſel. chamomill., ⁓. ✳c. ſ. ac ſyrup. dialth. Nec minus clyſteres injici curavimus, & externe etiam linimenta ex antiſpaſmodicis concinnata applicari juſſimus. Senſibiliter auxilium aliquo tempore præſtitit miſtura ex ſpermate ceti, ∘°∘ amygd. d. & liquore C. C. ſuccin. ad ignem ſub diligenti agitatione parata. Solvitur autem abſque manifeſta exſcreatione, imo ſi quid forte ſub finem exſcreetur, id tantillum eſt, ut non cauſæ, ſed potius producti rationem ſubire queat. Hoc cum videret Helmontius ex aſthmate ejuſmodi fecit *caducum pulmonis &* iſtum fieri *è veneno, quod proprietate ſua pulmonem afficit, ſicut cantharis lotii organa*, contendit tractatu *de aſthmate & tuſſi* §. 29. Ad præcavendos ſuffocationis hujus inſultus aliquid conferre fumum nicotianæ, aliquot notabilibus exemplis alibi recitandis, didicit D. Helwich; ſed qua virtute id faciat, non facile explicaverit quiſpiam, etiamſi nemo hodiè temerè ignoret, quòd nicotiana oleoſis & ſalinis acribus partibus pollens, ductuum poros & oſcula reſeret, fibrillas ipſorum ſtringat, ſuccos è fontibus eliciat, ſanguinis particulas ſolvat, incidat, ac viſcidiores reddat fluxiles. Nam etiamſi hæc ita ſeſe habeant, nondum tamen conſtat, quomodo hæc ejus vis reſeratoria & inciſoria imminentem aſthmatis inſultum auferre queat, niſi forte ſuſpicari quiſpiam vellet, ♃e ſuo anodyno hanc virtutem exerere tabacum. Wepferus paroxyſmum aſthmaticum non citius potuit ſedare quam quiete *panſis quaſi alis brachiisque repoſitorio impoſitis elatiori.* Hodie adhuc obverſatur noſtris oculis, qui aſthma multum remittere aſſeverat, quando pectus menſæ capite inclinato fortius allidit, & ſub hoc ſitu aliquid ſcribit.

9. Quantumvis autem varia hactenus remedia recenſuerimus, quibus malum hoc debellari queat & debeat, pro candore tamen noſtro, non ducimus eſſe diſſimilandum, quòd multoties hoc malum tam rebelle ſit, ut ægri non tantum non curentur, ſed ne quidem ſymptomata eorum mitigentur. Quo in caſu medicamenta avarâ manu ægris danda eſſe credimus, imo Medicos nihil à chriſtiana pietate alienum facturos putamus, ſi prorſus à remediis exhibendis ad tempus abſtinuerint. Prælucet hic exemplo ſuo magni nominis & conſummatæ experientiæ Medicus Joan. Jacob Wepferus, cujus toties mentionem fecimus, in proprio ſuo corpore. Initio, teſte Brunnero, *l. c. p.* 161.

remedia

remedia varia tentavit, ſed caute & prudenter, aperientia diuretica in uſum vocavit, quibus cum veſicam affligi animadvertiſſet, ſolius gelatinæ C. C. uſui inhæſit tantiſper, dum, ſollicita attentione medicamentis ne hilum profici expertus, unicæ diætæ, cujus exactiſſimus obſervator ſemper fuit, ſtuduit, qua tantundem profecit, ut præter ſpem, hoſtem, etſi non profligavit, penitus tamen ne vitæ arcem occuparet, prohibuerit per unum alterumve annum. Itaque hujus exemplo commonefacti Medici exactiſſimam ægris ſuis diætam in hoc morbo ſtudioſiſſime commendabunt, memori ſemper ſub pectore gerentes illud tanquam ex tripode profectum Lucæ Tozzi *l. c. p.* 311. oraculum: *Si quod juvamen unquam huic morbo ſit adfuturum, certe ex diætâ exactiſſimâ illud ſolum ſperare licebit, indicto nimirum victu attenuante & exſiccante.* Imò ne hic quidem ſolus ſufficit, ſed & parciſſime ejus generis cibis veſcantur ægri, ac juxta prudens Petri Salii Diverſi monitum *l. c. p.* 248. *merum in minima quantitate bibant.* Cum vero in omnibus thoracis ac pulmonis affectibus, magnum ſit in aëre poſitum momentum, nemo non videt, aërem ſiccum & purum eſſe eligendum, qui nullis ſit correptus inquinamentis. Innotuit nobis, quod Celeb. D. Stahlius in pectoris affectibus cum ſucceſſu jubeat attrahere fumum & vaporem ex ♁io; diſpiciendum ergo impoſterum erit, an cum utilitate in hydrope noſtro hoc experimentum adhiberi poſſit. Metus, terror vehementiſſime nocent hydropicis noſtris, ac magnam eamque febrilem perturbationem in corpore hydropici nuper excitarunt. Ægerrime commoti hi fluctus ſubſidebant; & vix non eadem cum difficultate in vitâ conſervabatur, quàm Joannes de Pictaviâ, qui, narrante *Thuano lib* 3. *hiſtor.* ad mortem damnatus, cum ad ſupplicium duceretur, ex pavore in tam acutam febrim incidit, ut venia, in gratiam filiæ, quæ pulchritudine ſua multorum Procerum benevolentiam demeruerat, à Franciſco I. Rege, impetrata, vix ad mentem & ſanitatem reduci potuerit, unde Sanvaleriana febris apud Gallos in proverbium abiit. Porrò danda opera eſt, ut excrementa ſingulis diebus debite eliminentur. Somnus quoque ſit moderatus.

FINIS.

DEO SIT GLORIA.

INDEX RERUM.

A.

Abdominis intumeſcentia poſt partum pag. 222, *ſeqq.*
Abortus, 270. ejus præſagia, 316
Achores, 173
Acidularum abuſus & noxa, 293
Aduſti in Sileſia uſus frequens, 131
Aer in Sileſia qualis, 125
Aeris conſtitutio Anni, 1699. in Jan. Febr. Mart. 1
April. Maj. Jun. 27. 28
Jul. Aug. Sept. 47
Oct. Nov. Dec. 92
An. 1700. Jan. Febr. Mart. 143
April. Maj. Jun. 160
Jul. Aug. Sept. 174
Oct. Nov. Dec. 196
An. 1701. Jan. Febr. Mart. 211
April. Maj. Jun. 226
Jul. Aug. Sept. 239
Oct. Nov. Dec. 256
An. 1702. conſtitutio vernalis ejuſque morbi 307
æſtiva, 333
autumnalis, 359
hiemalis, 383
Aeris in Corpora potentia, 27
Affectiones in ægris diligenter examinandæ, 415
Affectus ſpaſmodici, 150
Albus Fluor, vide *Fluor.*
Alexipharmaca quando adhibenda 10
Alphus, 344. curatio, 345
Alvi fluxus, 143. 144. conditio in hydropicis, 437
Anaſarca, 267
Anatome pueri membris genitalibus deſtituti, 384. alius ex peſte mortui, 386
Anatome cerebri Williſiana notatur, 406
Anatomici multis erroribus laborant, *ibid.*
Anaxagoræ dicterium de nive nigra, 405
Aneuriſma, 165
Aneuriſma internum, 238
Angina vera, 42. notha, 43. *ſeq.*
Anguſtia circa præcordia, phænomenon hydropis in pectore, 432
Ani prolapſus, 104
Aorta, 451
Aphonia febri continuæ accedens hæmorrhagiâ narium & vomitu critico ſublata, 302
Apoplexia, 286. infantum, *ibid.* occaſio ad illam nimietas potûs & ciborum, 287. vita otioſa, 288. ſomnus nimius, 294. affectus animi, 295. abuſus pulveris ſternutatorii & fumi tabaci, 293. prodromi illius, 288. qui aliquando non adſunt, 289. cum ſyncope complicata, 290. cum convulſionibus, *ibid.* ſigna inter diagnoſtica rubor faciei & venæ inflatæ, *ibid.* Signa diſtinctiva ab affinibus affectibus, 289. ſigna ſalutis, 291. mortis, 292. tranſitus in alios morbos, 291. 292. quomodo præcavenda, 288. ratio medendi, 297. *ſeqq.* apoplecticorum ſectiones poſt mortem, 296. methodi antiquorum cum noſtra hodierna comparatio, 298. 299
Appetitus depravatus, 335. ætiologia obſcura, *ibid.* ſatiatus gravidis minus nocet, aſt multum puellis & non gravidis, 336. ciborum in hydropicis, 437
Aqua in pulmone & cavitate thoracis collecta cauſa eſt hydropis in pectore, 431. ponderoſa deprehenditur, 434. qualis in mortuis inventa, 438. quantitas ejus, 439. ex vaſis lymphaticis in thoracem depluit, 444. 455. 456. quomodo evacuanda, 461 - 465
Arcanorum jactatores raro fidem merentur, 403
Ariſtolochiæ rot. vires in ulceribus, 364
Arteriarum inſpectio, 96
Arthritis, 3. 302. 341. 382. vita ſedentaria ad illam diſponit, 302. 303
Artuum, & infimi ventris dolores, 253
Aſcitem nunciat anguſtia circa præcordia, 432. item reſpiratio difficilis, *ibid.* nec non tumor in pedibus, 433
Aſperitas vocis in Aſthmate, 432
Aſthma, 16. 432. 460. 467. hypochondriacum, 24. ſtomachale, 201. Senum, 381. ortus, *ibid.* cura, 382
Atrophia, 20. 340
Auditio depravata, 41
Aurum fulminans infanti cuidam funeſtum fieri viſum, 331. in præparatione ♀ tantillum amovendum, 332
Aurum vitibus adnaſcens, 397

B.

B.

Balſami ſulphur. terebinth. uſus internus in exulcerationibus anceps, 363
in *Belgio* frequens eſt hydrops pectoris, 431
Bezoardicorum uſus in febribus, 10
Bilsii faſtus in Anatomicis intolerabilis, 402. ejus fabula de duabus tunicis vaſorum lymphaticorum, 407
Brachiorum dolores, 237. in hydrope pectoris, 437
Bubones, 39. ſubaxillares, 98. venerei, 371. origo, *ibid.* cura, 372.

C.

Cachexia mulierum, 380
Calculus veſicæ, 133. in uretere hærens, 346
Canalium principium & finis, 410
Caniculares dies an permittant medicamenta, 256
Cantharidum tincturæ uſus ſuſpectus, 334
Cardialgia, 39. 350. remedia ejus, 350. 351
Carminativis calidis circumſpecte utendum, 305
Cartesii Philoſophia taxatur, 404. 405. ejus ſententia de ſtructura cerebri notatur, 406
Caſtor, an ſe ipſum faciat eunuchum, 400
Caſtratio hernioſorum pluribus funeſta, 327. ignorantiæ anatomicæ debetur, *ibid.*
Catarrhalis febris, 116
Catarrhi, 47. 306. eorum egregium remedium, *ibid.*
Catarrhi ſuffocativi, 265
Cauſæ hydropis in pectore, 442. *ſeqq.*
Cauſus ſ. Synochus putrida, 56
Cerevisia Sileſiorum, 129. 130
Chamomillæ vires in cardialgia, 350
China-Chinæ uſus in febribus, 32
Chloroſis mulierum, 380 remedium, *ibid.*
Cholera, 236. 265. 336. methodus curandi, 337. noxæ ex adſtringentibus, 338
Chyliferi ductus intra thoracem diffracti, 446. 452
Cinnabaris nativæ uſus, 11
Clyſterium in dyſenteria uſus, 86
Cœliacus fluxus, 338. æthiologia, 339. remedia ejus, *ibid.*
Colica, 150. bilioſa, 154. convulſiva, 155. nephritica, 2. 156
Conſenſus inter pectus & pudenda, 458
Contagii natura, 212
Cordis palpitatio, 115. in hydropicis, 434
Cordis dilatatio à Veſalio credita. 407
Cortex Peruvianus febris ſuppuratoriæ variolarum remedium, 285
Coryza, 41
Cryſis per abſceſſum cuticulæ, 344
Cura omnium florum, 333. 334. vernalis, 328. quibus vulgariter abſolvatur, 329. non omnibus utilis vel neceſſaria, 328. quomodo celebrata, 229

D.

Decoctum lentium in variolis quibus noceat, 285
Deglutitio ſolidorum quandoque facilius quam liquidorum peracta, 326
Delirium melancholicum perioticum ex dolore pollicis pedis ſiniſtri, 302
Democriti opinio de atomis, 405
Dentitio, 33
Diæta febricitantium, 12. 13
Diæta hydropicis obſervanda, 473
Diaphoreticorum uſus, 63. in hydrope pectoris 467
Diarrhæa, 58. 64
Diarrhæa poſt dyſenteriam, 252
Dilatatio cordis à Vesalio credita, 407
Diureticorum uſus in hydropicis, 466
Dolor aurium, 299. oleorum in illo noxæ, 300 Nephritici doloris cum calculo confuſio in praxi nociva, 384. Scapularum, 359. 360. ratio curandi felix, *ibid.* Podagricus, 307. Ventriculi, 303. Brachiorum in Hydrope pectoris, 437. Dorſi in puerperis, 228
Dyſenteria, 359. ejus cauſæ, 72. cura, 85. hiſtoria, 66-70

E.

Elaterii uſus in hydropicis, 465
Electuarium hydragogum D. Sylvii, & lenitivum Burrhi, *ibid.*
Empyema pectoris, 254. 434
Ephialtes, 255
Epicuri ſententia de Atomis, 405. falſa opinio de ſolis magnitudine, 406
Epidermidis ſeparatio, 252
Epilepſia, 36. 263. infantum, 33. 333. 334
Epiphora, 237
Epulis, ſ. tuberculus carneus in gingivis, 54
Eryſipelas, 160
Exanthemata varia, 16
Experientiæ medicæ definitio, 393. 394. natura, 394. acquiſitio, 416

Expe-

Experientia ex aliorum relationibus, *Cap. I.* ex propriis obſervationibus, *Cap. II.*
Experientia reddit medicos peritos ad operandum, 419
Experimentorum uſus in illuſtrantibus propoſitionibus univerſalibus, 421. Chymicorum uſus, 413

F.

F*Allaciæ* recenſionum in elementis, 394. in meteoris, 395. in mineralibus, 397. in reliquis vegetabilibus, 398. in hiſtoria animalium, *ibid.* ſenſuum in objectis, 404. *ſeq.*
Febris anheloſa, 201
—— aſſodis, 57
—— biliosa, 54
—— catharralis, 116
—— cauſus dicta, 56
—— continua, 64. hæmorrhagiâ criticâ ſoluta, 362
—— elodis, 57
—— epidemica, 196
—— erratica, 262
—— hectica, 99
—— intermittens, 29. intermittentes mali moris, 342. purpuratæ ſcorbuticæ, 343. quartanæ, 364. ⊖ium digeſtivorum in iis vis magna, *ibid.*
—— lipyria, 55
—— maligna, 221. 300. quatenus in hac V. S. locum habere poſſit, 301. 302
—— petechialis, 3. 101. curatio, 8. ſigna prognoſtica, 6
—— quartana, 92. 197. 262
—— ſcorbutica, 178
—— quomodo excitetur, 74
—— in dyſenteria, 82
—— ardente laborantes ſcorburtici quæ patiantur, 321
—— diuturnæ, 333
—— hæmorrhoidalis, 375
—— ſemitertiana, 226
—— ſyncopalis, 57
—— Tritophia, 227
—— Gallorum purpurata, 4
—— purpurata miliaris, 367
—— quintana & ſeptimana, 374
—— octana unde, 375
—— Sanvaleriana apud Gallos, 473
—— in hydrope pectoris ſignum, 436. cauſſæ, 459. quomodo curanda, 470
Fibrarum in ægris conſtitutio, 415. 416
Fides quibuſnam ſcriptoribus adhibenda ſit, 400. regulæ eam in rem concinnatæ, 401
Flatus, 303. hos cauſæ occaſionales non producunt ſine inæqualitate toni inteſtinorum, 304. e qua ſubſtantia oriundi, 304. 305. illorum non prodeuntium incommoda, 305. ratio medendi, *ibid.*
Fluor uterinus, 166. albus, 368. cura, *ibid.* & 369
Fluxus hæmorrhoidalis, 170
Fœtor oris in hydropicis, 433
Fonticuli an hydropicis adhibendi, 463. 464
Frigoris frequentia in hydropicis, 436. cur, 459
Furibundis nonnunquam ſimiles ſunt hydropici in pectore, 432

G.

G*Angræna*, 157
Glandula pinealis in cerebro, 406. 407
Glandulæ hydropicorum quomodo conſtitutæ, 441
Glissonii controverſia de hepate, 408
Gonorrhœa virulenta, 257
Gonorrhæa mulierum quid, 369. quomodo à fluore albo diſtincta, *ibid.* an in hac proſtatæ afficiantur, *ibid.* ejus cura, 370
Gravidæ ſuppreſſionem urinæ patiuntur, 198. item ſpaſmum & teneſmum, 199. aliquando medio geſtationis tempore levi apoplexia tanguntur, 288. earum fluxus ſanguinis, 315. quibuſdam innoxius, *ibid.* quinam periculoſus, 316. fluxum præcedens anxietas abortum notat, *ibid.* abortu tum inſtante non conveniunt adſtringentia, *ibid.* ſed hi ante uteri orificio promotio vel expectatio partus, *ibid.* & 317
Gravidæ mulieres nonnunquam pro hydropicis curantur, 414
Gravidarum pericula ab adſtantium femellarum conſiliis præpoſteris, 270
Grues an cum pygmæis bellum gerant, 399
Gummata gallica, 203
Guſtus judicatu varius & difficilis, 408. 409. ejus uſus in medicamentorum facultatibus, 410. 411

H.

H*Æmoptyſis*, 21. 310. in eâ ſæpe dolor in liene, *ibid.* methodus curandi nova felix, 310. 311

Hæmorrhagia, 6. 28. ſuppreſſa apoplexiam cauſatur, 294. penis, 58
Hæmorrhoidalis fluxus, 170
Hæmorrhoides oris, 239. variarum corporis partium, 242. veſicæ, 246
Hectica, 187. diaphragmatis, 188. hepatica, 189. inteſtinalis, 191. meſaraica, *ibid.* nephritica, 190. omentalis, 191. pancreatica, 190. pulmonaris, 188. ſplenetica, 190. ſtomachalis, 191
HELMONTIUS ſeſe Philoſophum per ignem dixit, 402. ejus medicamenta ſpei non ſemper reſpondent, 415
Hemicrania mulierum, 13. 50
Hepatis tumores, 114
Hepatitis, 46
Hernia umbilicalis, 256. ſcroti ſingularis, 327. ejus novum genus, 328. curatio, *ibid.*
Hieræ ſimplicis Gal. vires emmenagogæ, 313
HIPPOCRATIS auctoritas maxima, 413
Humores in thorace quomodo corrigendi, 469
Hydrops aſcites, curâ omnium florum abacta, 333. uteri, 377
—— pectoris unde oriatur, 431. morbus difficilis eſt, *ibid.* 472. item chronicus, 437. ejus cauſſæ, 442. *ſeqq.*
—— pericardii, 452
Hypochondriacum malum, 23
Hypochondrii dextri dolor, 238
Hyſtericus affectus, 333

I.

Icterus, 14. niger, 180
Ignis in quibuſdam urnis an ſemper ardens extiterit, 394. 395. lambentis phænomena, 395
Ignitorum ferramentorum efficacia in apoplexia, 297
Iliaca paſſio, 263
Impotentes non facit ſectio venæ poſt aures, 349
Impotentia in viris robuſtis, 347. illius cauſſa obſcura, 348
Incubus, 318. ætiologia, 319. curatio, *ibid.* prognoſtica, *ibid.*
Inflammatorii affectus, 45
Inflammatio inteſtinorum in dyſenteria, 81. 90
Inflatio ventriculi, 201
Inteſtinorum conditio in dyſentericis, 74. 75
Inteſtini recti prolapſus in puella notabilis, 104
Intumeſcentia abdominis poſt partum, 222
Ipacuanha, famoſum antidyſentericum, 91
Iſchiatici dolores, 263

L.

Lactis uſus in curâ hecticæ, 101
Landecenſium thermarum uſus, 58. 59
Lethargus, 414
Leuce, 344
Lienis tumores, 113
Lienteria, 201. 340. ætiologia, *ibid.* methodus curandi, 341
Linguæ paralyſis, 199. 200
Lipothymia in hydrope pectoris, 434. ejus cauſſæ, 457
Liquor C C. ſuccinatus egregium medicamentum, 368
Lithotomia, 352. 353
Litigioſis raro fides adhibenda, 403
Lumbago ſcorbutica, 94. 95
Lumborum dolor, 2
Lumbrici, 34
Lumbricorum ſucci vires arthriticæ, 341
Lymphæ extravaſatio, 446. motus, *ibid.*
Lymphatica vaſa in thorace diſrupta 444. 448. 468

M.

Maculæ rubræ, 345. curatio, *ibid.*
—— ſcorbuticæ, 360
MALPIGHII ſententia de hepate, 408
Malum hypochondriacum, 23
Mannæ uſus in hydropicis, 465
Manuum exareſcentia in hydrope pectoris, 436
MAXIMILIANUS Imperator hoc morbo mortuus, 434. 454
Martialium doſes exiguæ utiliores largis, 314
Medicamentorum non alteratorum ejectio, 324
Medicorum quorundam vana jactantia, 417. 418
Melancholia, 52. indicium hydropis pectoris, 432
Menſium perturbatio, 64
Menſtrua tam ex vaginâ, quam ex utero emanant, 316. menſes tarde erumpentes, 311. in quibus ſtimulandi, *ibid.* cauſæ occaſionales quòd tardè erumpant, *ibid.* & 312. conſectaria ſymptomata, *ibid.* ex terrore ſuppreſſi, 313. quæ ſymptomata ſubitò, & quæ lentè ſup-

ſuppreſſa menſtrua excipiant, 314. lumbrici complicati curam difficilem reddunt, 315. fortiora emmenagoga in ſucculentis ſub moliminibus data magis cohibent, 313. nodulorum vires egregiæ, 314. balnea & pediluvia quibus ſpecialiter conferant, *ibid.* menſtruorum tam tardè quàm ſubitò ſuppreſſorum ratio curandi, 314. 315
Menthæ vis venerea, 318
Mercurialia medicamenta, 36
Militum mutilatorum & mendicantium ſymptomata ſcorbutica, 320
Mola, 101. 102
Molæ exemplum rarius, 268. 269
Morbilli infantum, 16
Morbilli epidemii, 307. ſub illorum finem tuſſis exorta purgantibus ſublata, *ibid.*
Morbi craſſi prima ſpecies, 378. cura, 379
Morborum phænomena quomodo obſervanda, 413. genera, 423. 424
Mortuorum Wratislaviæ an. 1699. numerus, 133. item an. 1700., 207. item an. 1701., 277

N.

Neoterici ex veterum veſtigiis arcana ſua hauſerunt, 423
Nephritis, 2. 117
Nervoſus ſuccus an cauſſa hydropis, 443
Nicotianæ fumi abuſus & damna, 293. vis inſignis carminativa in clyſteribus, 305
Nitri vis in hæmoptyſi reſtinguendâ, 22
Nives rubræ in Scythiâ, 397
Noduli in partibus muſculoſis, 53
Novaturientibus non ſemper habenda fides, 402

O.

Obeſitas venereæ congreſſui non officit, 349
Obſtetricum ignorantia, 183. 184
Oculorum affectus, 308. adnatæ puſtulæ, *ibid.* cura minoris apparatus commendanda, 309
Odontalgia, 158. mulierum, 13
Odoratûs diverſitas in medicamentorum facultatibus, 410. 411. 412
Oleum terebintinæ quartanario unà calculoſo funeſtè datum, 365
Ophthalmia, 13. 60. 237
Opii vis venerea, 317
Orgaſmus ſanguinis in dyſenteria, 88
Orthopnæa, 263
Otalgia, 227

P.

Palpebrarum ſugillatio, 165
Palpitatio cordis in hydropicis, 434. 454. 457
Pandiculatio crebra in febribus, 52
Paracelsi thraſoniſmus, 402
Paralyſis, 368
—— faucium & œſophagi, 325. miſerabilis illâ extincti caſus, *ibid.*
—— pylori, *ibid.*
—— linguæ, 199. 200
—— in hydrope pectoris, 437. 459
Parotides, 40.
Parturientium dolores ſpurii, 198
Parulis, ſ. inflammatio gingivæ, 54
Paſſiones nephriticæ, 117
Pectoris empyema, 254
Pectoralia num in hydrope pectoris locum habeant, 469
Pericardii in hydrope pectoris conſtitutio 440
Petechialis febris, 3. prognoſtica ſigna, 6. curatio, 8
Peucedani calicis uſus in podagra, 307
Phænomena morborum quomodo obſervanda, 413
—— circa hydropem pectoris in viventibus, 432. in mortuis, 438. *ſeqq.*
Pilularum cephalico-hyſteric. cum maſſa pilul. Ruffi uſus in menſibus, 314. earum deſcriptio, 330
Pilularum formula pro melancholicis egregia, 330. 331
Pimpinellæ extractum bonum carminativum, 306
Pinealis glandula in cerebro, 406
Piperis vires in præcavenda cardialgiâ, 351
Pleuritis, 45. 46. notha, 1
Plica Polonica, 175
Pluviarum ſanguinearum natura, 396
Pluvia lapidum, *ibid.*
Pluvioſæ tempeſtatis morbi, 333
Pneumatoſis, 377. curatio, *ibid.*
Podagra, 120. retropulſa, 226
Polona herula ex hydrope pectoris mortua, 448
Porrigo, 252
Poterius Gallus ſcriptor eſt fallax, 433
Potus in Sileſia qualis, 130
Præcordiorum dolor gravativus, 455
Procidentia ani, 345. cura, *ibid.* & 346
Prunella, 236
Pruritus, 27

Puerperarum dolor in dorſo, 228
—— intumeſcentia abdominis, 222
Pulmonum in hydrope conditio, 440. 453
Pulſus in hydropicis ſæpe intermittens 433. ejus cauſſæ, 456
Purgantia an in ſcabioſis neceſſaria, 25. 26
—— in febribus intermittentibus, 30. 31
—— in hydropicis, 465
Purgantium aliquot formulæ, 332. iis olea deſtillata non addenda, 331. ☉ fulminans additum vim auget & tormina præcavet, *ibid.*
Purgatio à terrore ſuperveniente impedita, 313
Purpura alba, 163
Purpurata Gallorum febris, 4
Puſtulæ venereæ, 373. cura, 374

R.

R*Anula*, 235
Raucedo, 42. Raucedinis V. S. præſentaneum remedium, 326
Regulæ de experientia, 416
Renum vitia in hydropicis, 453
Reſpiratio difficilis apud aſciticos & hydropicos in pectore, 432. quomodo curanda 472
Rheumatici affectus, 283. noxæ ſudoriferis valde calidis, 284. antirheumaticum linimentum Lentilii, *ibid.*
Röthe-Kuchen ſchneiden, 350
Roſalia, 164
Rubeolæ ſ. *Rutteln*, 16

S.

S*Anguinis* puri excretio in dyſenteriâ, 68. 79. item per vias urinarias, 246. fluxus periodicus in corpore Jacobi Uſſerii, 244. ſtatus rancidus medicamentis inemendabilis, 333. ebullitio an cauſa hydropis, 442
Sanguis cur ſerum ex vaſis ſuis in cavitatem pectoris dimittat, 449
Sanvaleriana febris apud Gallos, 473
Scabies, 25
Scarificatio hydropicis utilis, 464
Scorbutus, 320. milites mutilati quare illi adeò obnoxii, *ibid.* differentiæ ſcorbuticorum affectuum à reliquis, 322. ætiologia, *ibid.* cura, 322. 323. V. S. quando vitanda, quando profit, 322. draſtica emetica & purgantia fugienda, 323. amara acidulis miſcenda, *ibid.* ſacharata abſint, 324
Scroti intumeſcentia in hydrope pectoris, 435. ejus perforatio, 464
Seminis excretio, 317. quinam illi ſubjecti, *ibid.* cura, *ibid* medicamenta nil proficiunt, niſi ab ideis libidinoſis abſtineatur, 318
Senectutis varia incommoda, 381
Senſuum fallacia in objectis, 404
Serum è vaſis exſudans in cavum pectoris, 445
Seroſa colluvies in pulmonibus & thorace congeſta, evacuanda eſt, 461
Signa morborum, 423
Sileſiorum aer, 125. 126. morbi, *ibid.* & 127. temperamentum, 124. venti, 125. victus, 128
Sinapi vires ſtomachicæ, 351
Singultus continuus, 195. in febribus, 197
Spaſmodici affectus, 150
Spaſmus gravidarum, 199. fibrarum ſpiralium tunicæ ventriculi, 3.6. œſophagi ſpaſmodica ſtrictura aliquando deglutitionem fruſtratur, neutiquam paralyſis, *ibid.*
Spinalis medulla, 417
Spiritûs tartari inſignis vis carminativa, 306
Spiritus vini nimium ſumtus, admodum nocet, 447. 450
Sputatio critica, 197
Sputum ſanguineum in hydropicis, 437
Sterilitas mulierum, 376
Sternutatio, 184
Sternutatoriorum abuſus & noxæ, 293
Stillicidia urinæ, 262
Strabiſmus, 309. congeniti cauſa, *ibid.* aſſuetudinalis cauſa, 310
Stranguria ſenum, 292
Succus pancreaticus, 408
Succus ſambuci radicum utilis in hydrope pectoris, 465
Sudor poſt camphoram ſumtam camphoram redolens, 360
Sudorifera in hydropicis cautè adhibenda, 468
Surarum cum capite conſenſus, 302
Symptomata in morbis haud negligenda, 11. in hydropicis quomodo curanda, 470
Synochus putrida ſ. cauſus, 56

T.

T*Abes*, 263
Tactûs differentia in medicamentis 413
Temperamentum hominum, 124
Teneſmus dyſentericorum, 84. gravidarum, 199. infantum, 255

Terebinthinæ uſus in affectibus pectoris, 466
Therapeia contra hydropem pectoris, 461. *ſeqq.*
Thermæ, 58
Tincturæ vitriol. ♂ Ludovici vires, 339. 350. rubræ Bontekoë vires, *ibid.*
Tineæ, 173. 174
Tinnitus aurium, 300. ejus indoles medicamentis refractaria, *ibid.*
Topica in affectibus rheumaticis prudenter adminiſtranda, 284
Tranſplantativa cura, 173
Trichiaſis, 26
Tumores artuum poſt ſcabiem, 199. critici ſubaxillares, 98. lienis, 113. hepatis, 114. peculiares circa os ſacrum, 249. faucium & gutturis, 334. tonſillarum, 307. euporiſton in iis Joëlis remedium, *ibid.*
Tumor ſcroti ab hydrope pectoris, 435. faciei, *ibid.*
Tumoris genus peculiare, 230
Tuſſis convulſiva infantum, 19
Tuſſis in hydrope pectoris, 435. ejus cauſſæ, 458

V.

V*Arices* teſtium, 246. 247
Variolæ, 16. 112. 143. 285. confluentes, 149. earum differentia, 16. earum eruptio quoque funeſta, 285
Vaſa in thorace diſrupta, 443. 447
Venæ Sectio in curatione Petechiarum, 8. in febribus intermittentibus, 30. in aſcite, 462. Apud Sileſios non adeo frequens, 147. 168. ejus & ſcarificationis neglectæ noxa, 294
Venenum, an inter cauſſas hydropis, 454
Venereo in congreſſu mortui, 295. coitum impediunt animi affectus, 348
Venti in Sileſiâ quales, 125
Ventriculi inflatio, 201
Ventris infimi & artuum dolor, 253
Vermes capillares infantum, 20
Vertigo, 228
VERULAMII obſervationes quædam, 420
VESALII error de dilatatione cordis, 407
Veſicæ calculus, 133
Veſicatoria, 40. 61. 463. eorum in ſuris uſus ſalutaris in aſthmate, 302
Viciſſitudo caloris & frigoris, 358. quibus noxia, *ibid.* Moſcis & Curlandis non nocet, *ibid.* & 359
Victus Sileſiorum qualis, 128
Vini abuſus, 384. hydropem generat, 108. Hungarici proprietas, 3
Viſcerum in hydrope conſtitutio, 440. 453
Viſûs objecta varia, 409
Vitæ vulgaris ratio ſaluberrima, aſt faſtidita, 312
Vitrioli albi vis magnetica experta in hæmoptyſi, 311. veneris vires ophtalmicæ, 309
Ulcera calloſa & ſinuoſa, 202. ſordida & mali moris, 334. exulceratio renum, 360. cura, 362. ulceratis renibus ☿li & ⊖ia nocivi, 354. eâ defunctæ anatome, 364
Unguentum carminativum Auguſt. in caſu ab alto egregium, 356
Ungues in hydrope pectoris incurvati, 436
Univerſales in re medica propoſitiones admodum fallaces ſunt, 425
Volvulus, 356. pulvis Joëlis euporiſtus in volvulo, 358
Vomitus, 45. 334. nigri, 179. cruentus in dyſenteria, 83. qui ſedati, 334. quibus medicamentis, *ibid.* malignarum quomodo curatus, *ibid.* à tuſſi, 335. ejus cura, *ibid.* Vomitûs & diarrhœæ ſcorbuticæ remedium egregium lac, 320
Urethræ cicatrices falſò pro caruncula habentur, 352. catheteris in illis egregius uſus, *ibid.*
Urinæ copioſæ tenues, 195. chyloſæ, 201. ſuppreſſio in gravidis, 198. ſtillicidia, 262. difficultas, 52. pus admixtum quomodo deprehendatur, 361. ſuppreſſio, 351. ætiologia, *ibid.* cura, 352. purgantibus aliquando ſoluta, 356. conditio in hydropicis, 437. 460
Uterinus fluor, 166
WEPFERUS, Med. D. ex hydrope pectoris obiit, 433. 472
WILLISII anatome cerebri notatur, 406

FINIS.